~~Ex Libris Michaelis Tarzałowicz Presbyteri.~~

N3 ft 12.

Ex Libris Andreae Kawski Presbyteri



X

Autor Wierzbicki Marchian

Frater M. M. R.

Autor Operis

[illegible] na [illegible] [illegible]

DEMONSTRATIO

Cæcitatis, imperitiæ, ac impietatis judaicæ.

XXXIII. *Articulîs, in honorem ac venerationem 33. Annorum SSmæ Vitæ D. N. JESU Christi, per quos Jlle, dum esset * Rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ,*

*Ps. 73. v. 12.

COMPREHENSA.

IN QUA

Ex Scripturis veteris Fæderis, à judæis quoq; receptis, urgentibus rationibus, priscorumq; Rabbinorum doctrinis, & Thalmud ipso quandoq;

Referuntur pleraq; ac refelluntur

De cæcitate, imperitia, ac impietate perfidorum & impiorum horum.

Annô, quô *Lux vera * illuminavit his qui in tenebris & in umbra mortis sedent, * 1767.*

*Joan. 1. v. 9.
*Luc. 1. v. 79.

CRACOVIÆ

Typis Seminarii Episcopali Academico Annô M. DCC. LX. VII.

MIſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis, claudet oculos veſtros, prophetas & principes veſtros, qui vident viſiones operiet. *Iſ. 29. v. 10.*

Audi popule ſtulte, qui non habes cor: qui habentes oculos, non videtis; & aures, & non auditis. *Jer. 5. v. 21.*

Ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt *Soph. 1. v. 17.*

Univerſum os locutum eſt ſtultitiam. *Iſ. 9. v. 17*
Non eſt enim populus ſapiens, propterea non miſerebitur ejus, qui fecit eum. *Iſ. 17. v. 11.*

Quomodò dicitis: Sapientes nos ſumus, & lex Domini nobiſcum eſt? verè mendacium operatus eſt ſtylus mendax ſcribarum. Confuſi ſunt ſapientes, perterriti & capti ſunt: verbum enim Domini proiecerunt, & ſapientia nulla eſt in eis. *Jer. 8. v. 28. & 29.*

Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis: dereliquerunt Dominum, blaſphemaverunt Sanctum Iſrael. *Iſ. 1. v. 4.*

Abiecerunt enim legem Domini exercituum, & eloquiū. Sancti Iſrael blaſphemaverunt. *Iſ. 5. v. 24*

Væ eis, quoniam receſſerunt à me: vaſtabuntur, quia prævaricati ſunt in me: & ego redemi eos: & ipſi locuti ſunt contra me mendacia. *Oſ. 7. v. 13.*

PERILLUSTRI

ADMODUM REVERENDO

DOMINO,

FRANCISCO, ANTONIO,

De Bętkowice

BĘTKOWSKI,

Juris utriusque

DOCTORI,

Ecclesiarum Collegiatæ Sandecensis


SCHOLASTICO,

Et Parochialis in Olpiny

CURATO,

DOMINO ET MECÆNATI FAVENTISSIMO.

In Gentilitium Stemmā
ILLUSTRISSIMÆ
DOMUS.
BĘTKOWSCIANÆ.




I.

En Gladius rutilat quem duplex Lumen adornat,
Multiplices titulos, multa decora gerens;
Non uno celebris resplenduit ille triumpho,
Patria jura tuens, Templaq; Sacra juvans.
Hic terras decoret, virtutibus ornet & Astra,
Sit pretiumq; solo, deliciumq; Polo.

II.

Dissipet ut noctes est unica luna creata, * (* *Gen.* 1. v. 16.)
At Domus Illustris Lumina bina fovet;
Non etenim solas tenebras hæc Cinthia pellit,
Prospera dum cumulat mæstaq; cuncta fugat.
Duplex lumen erit post ultima sæcula Lunæ, * (* *Is.* 30. v. 26.)
Par hæc Luna tenet, dum geminata nitet.

PERILLUSTRIS
ADMODUM REVERENDE DOMINE
MECÆNAS AMPLISSIME.



Emonstratio cæcitatis, imperitiæ ac impietatis judaicæ evidentior ac expeditior claro tuo in lucem prodit sub Nomine, PERILLUSTRIS Et ADMODUM REVERENDE DOMINE Mecænas Gratiosissime. *Et quidni gentis perversæ & perfidæ demonstrata cæcitas sub auspicijs tui Perillustris Nominis limpidior clariorq; evadat? quē & ignitus Religionis Orthodoxæ zelus, eximiæq; in DEUM ac Divina pietatis splendor reddit præfulgidum, & claritas Domûs Illustrîs illustrissimum. Gloriosi illi*

Ec-

Ecclesiæ Pugiles, scil. Orthodoxi Patres, gloriosum sibi ducebant sub inclytis Virorum genere & virtute celebratissimorum nominibus contra nenias infidelium elaboratas à se lucubrationes luci publicæ consignare. Hinc Hieronymus duas suas Apologias adversus Jovinianū, *& tertiam* adversus errores Joannis Jerosolimitani *Pamachio & Theophilo. Alexandrino Præsuli*, adversus Ruffinum, *Pammachio & Marcellino*, adversus Pelagium, *Ctesiphonti*, adversus Montanum *Marcellæ*, adversus Vigilantium *Ripario Presbytero, aliasq; alijs celebribus pijsq; personis dedicaverat. Augustinus libros contra Pelagianos* de peccatorum meritis & remissione, *Marcellino*, de nuptijs & concupiscentia *Valerio Comiti*, Contra duas Epistolas Pelagianorum. *Bonifacio*, de Gratia & libero arbitrio, *Valentino, illustribus Viris, omnigenaq; probitate præfulgidis ac celebratissimis obtulerat. Cyrillus alexandrinus* Dialogum de adoratione & cultu in spiritu & veritate, *Palladio*, libros X. pro Christiana Religione contra Julianum apostatam, *magno ac pientissimo Imperatori Theodosio*, librum de recta in dominū Nostrum JESUM Christum Fide, *eidem, & alium ejusdem tituli & dogmatis, piētissimis (ut inquit)* Reginis *consecraverat. Lactantius* libros VII. Divinarum Institutionum adversus gentes, *Constantino Magno Imperatori*, librum

de ira DEI contra easdem „ *Donato*, *& alterum* de officio DEI *Demetriano*, *inscripserat Lucas quoq; Evangelista Christi Sanctissimus, suum Evangelium (ut & post actus Apostolorum *) optimo & erudito Theophilo DEI amatori, à DEOq; amabili, attribuerat, Lucæ* 1. v. 3 & 4. *inquiens* Visum est & mihi, assecuto omnia à principio diligenter: ex ordine tibi scribere optime Theophile, ut cognoscas eorum verborum, de quib9; eruditus es veritatem. *Alijsq; alios suos pios & eruditos pro Fide orthodoxa Tractatus solemnibus devotisq; Personis, earumq; præclaris nóminibus præclarè adsciscerant. Quidni mihi quoq; non liceat horum exempla sectari? qui quantumvis peccator & idiota, tamen hos Divos Doctores Protectoresq; adoro, sub præclariq; Nominis Tui tutela hancce qualemcumq; ac quantalamcumq; lucubratiunculam meam luci publicæ consignare exambio. Et certè quó faustiùs collimasset illa quam ad te Virum omni virtute conspicuum, Nominis splendore coruscum, Orthodoxæq; Religionis ac pietatis zelantissimum, qui vitam cum Stemmate æquans, hinc inextricabile relinquis problema, sis ne nobilior an melior? Stemmate Majorum an virtute morum laudabilior & lucidior? Rutilat in te innata quasi pietas ac Religio, morumq; ad Christianæ ac Sacerdotalis vitæ regulas moderatissima attemperatiò, ut meritò à cunctis inter bonos optimus, inter mo-*

* *Act.* 1. v. 1.

de-

deratos moderatissimus, inter honestos honestissimus adoreris, aprobante Apostolo * Qui bene præsunt Præsbyteri duplici honore digni habeantur. Suspiciunt te ac venerantur omnes Prælatum pietate in DEUM charitateq; in proximum instructissimum, virtute, omnigenoq; scientiarum genere ornatissimum, in beneficentiam erga omnes effusissimum, nitoris ac decoris Domus DEI tenacissimum, ad sufferendos in Pastorali cura pro salute animarum labores expeditissimũ, in eisq; penitus indefessum, ad virtutum surculos cordibus fidelium inserendos Operarium in Vinea Domini exercituum * vigilantissimum, ad heterodoxorum ac infidelium putidos ac pudendos errores evellendos radicitus solertissimum, ad pauperum inopiam sublevandam illorumq; imbecillitatem juvandam exactissimum, innataq; tibi comitate, bellorumq; morum suavitate omnibus & per omnia commendatissimum. Expertus sum hæc inte quæ refero Patrone faventissime, dum enim audires, me antea nunquam tibi cognitum, hanc exilem opellam contra perfidam perversitatem Judaicam meditari, comiter me ipse adiisti, laborem mente conceptum collaudasti, ad insistendum ei animasti, pauperiem Minoriticam insignibus expensis ut illa publicam lucem videret adjuvisti, ad idq; fenore, favore & labore tuo insignissimo insudasti, velut alter Phinees* vel Elias * zelo zelatus pro Domino DEO

* 1. Tim. 5. v. 17.

* Is. 5. v. 7.

* Num. 25 v. 13.

* 4. Reg. 8. v. 11.

exer-

exercitutum. *Præceperat Seraphicus Pater Noster* FRANCISCUS *ut nos Minoriticæ professionis alumni singulari cultu ac reverentia Sacerdotes hujus sæculi prosequamur:* Ipsos *(inquit)* & omnes alios volo timere, amare, & honorare, sicut Dominos meos, *gratulamurq; Minoritæ vos Dominos nostros agnoscere ac celebrare, ut pote qui experimur maximos vestræ in nos propensionis favores,* Sacerdotes Dignissimi. *Singulariori tamen mecum tuo cliente Minoritica Reformata nostra Religio tibi obligatur amore, obsequio ac gratitudine* SCHOLASTICE Æstimatissime, *qui cum sis ore, ope, & opere* Mecænas *omnium nostrum* munificentissimus, *largiter & inexhausté sublevas nostram inopiam, tueris famã, propugnas oppugnatam à quibusdam quandoq; innocentiam, summamq; omnibus nobis exhibes benevolentiam, dignus prohinc in extremo Tribunali Christi gaudere perenniter illô ejus elogio* * Quam diu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. *Utiq; beneficentiæ pretium & præmium est* DEUS *præmians beatos ac beans, attestante Apostolo* * Beneficentiæ autem & communionis nolite oblivisci talibus enim hostijs promeretur DEUS; *hoc præmium affectas & captas* Benefactor Largissime, *dignus proinde æviternè eo potiri & lætari. plura afferrem in medium pietatis ac probitatis tuæ argu-*

*In Testamento suo.

* Matt. 25. v. 40.

* Hebr. 13 v. 16.

menta, ni tua modestia ora clauderet, manus ligaret, lingvamq; restringeret, & gloria, quam gestis DEO dignis es nactus, limites facultatis meæ ac imbecillitatis transcenderet; hinc avoco mētem tantisper ad ingenita Decora inclytæ, pervetustæ ac illustris tuæ Prosapiæ.

Et dum suspicio gentilitium fulgidæ Domus tuæ OSTOIA, *totum cælum, pietatem integram antiquitatem primis mundi ævis coævam & conterminam, in eam commigrasse conspicio. utiq; Crux, seu Gladius Crucis signum præseferens, est cæli summus splendor, orbis tutela & decor, omnigenæq; pietatis ac virtutis author & origo. Geminata Cinthia cæli lumen duplicat, illiq; Cælo novo, quod Joannes in Apocalipsi * viderat, & cujus lunam duplici (quia ut nunc sol) lumine post ultima sæcula lucere debere Isaias prædixerat * plane assimilat. At vetustas Domus præclaræ tangit primam mundi ætatem, à Noeticisq; temporibus universalisq; cataclysmi tempestatibus suam serenitatem claritudinemq; emendicat. Posteritas Japhet,* (*inquit* Paproccius notæ authoritatis Historicus *) *post lingvarum confusionem ad Babel, in Croaciam pertigerat, ejusq; Primicerius est Rex ac Dominus inter suos effectus. Hic Lunas pro Insigni præsetulit, atq; morti proximus Filium natu majorem in thronum suum suffecit. Cujus abnepos dum in Sabam Divino instinctu appulit, unà cum Gasparo & Melchio-*

* *Apoc.* 21 v. 1.

* *Is.* 30. v. 26.

* *In horto regali & apud Okulski in Orbe Polono, Tō 2. fol.* 357

re

re Orientis Regibus, in Bethlehem pervenit, Cunas Infantis DEI *Hominis invisurus, eiq; Eoa dona oblaturus* Balthasar *nempe* Divinissimus. *Dumq; post ad suos redijt in honorem Nati in Carne Nnminis, mirificiq; Sideris, illum ad locum ejus Natalium deducentis Stellam ad Lunas superaddidit. At dum post quoddam bellum, partamq; in eo gloriosam victoriam, ad suos redibat*, OSTOIA *seu* OSTAWICIEL *ab omnibus salutatus erat, claritudineq; victoriæ celebrior redditus, Gladium inter duas Lunas apposuit. Posteritas ejus dum Lechus & Czechus ex Croacia in ulteriores ripas terrasq; descenderat, cum eis ad easdem oras pertigit, parsq; una illius remansit cũ Czecho, altera discessit cum Lecho. Hincq;* OSTOITARUM *gentilitium cleinodium nedum Polonas ast & Boemas regiones exornat, per sceptraq; & coronas serenissimas & sanctissimas regale in se Genus devolvit, ac tum ab Arca Noëtica, tum à Cunis* Christi Infantis *suam pervetustam explicat claritudinem. Ut jure concelebret illud Okulscius.* *

** loc. citt. fol. 371.*

Crux geminas inter fulgens clarissima Lunas,
Quid nisi sidereæ vult meminisse Domus.

AT non revoco plenos ad calculos vetustissimæ antiquitatis decora, nec sæculorum Maiestatem evoco,

ut illuſtris Proſapiæ tuæ, ex ſe ſplendidiſsimæ, præſumã quempiam ſplendorem ſuperaddere, cùm ſciam eſſe temerarium faculam ſoli accendere, ſerenitatemq; illius exiliori lumine adjuvare. Propiora tibi intueor Mecænas Faventiſſime, *illoſq; tuos Majores in aciem provoco quorum clarum propiùs tangis ſangvinem, illorumq; indolem ac virtutem generoſitatis præſefers claritudine. Primus occurrit illuſtris ac Magnificus D. Jacobus* TOMOWICZ STRUGAŁA *Heres in Bętkowice* BĘTKOWSKI, *Tuus Atavus Digniſsimus, illuſtriq; Sangvine, pietate in* DEUM *&* pro*ximum, inclyto amore in Patriam præſtantiſsimus, qui cum* GNIAZDOSZOWNA *vitæ Conſorte chariſsima & clariſsima ſolo Poloq; ex innumeris dotibus apprimè erat amabilis ac admirabilis. Succedit Magno Patri non minor dotibus par claris decoribus Filius Joannes* STRUGAŁA *de Bętkovice* BĘTKOWSKI *Illuſtris Tuus Abavus, cum Conjuge* KMICIANKA *ex pervetuſta, trabeatis decora honoribus, præcelſisq; ſublimata ſubſellijs* KMITARUM *Familia oriunda. Martinus* STRUGAŁA *de Bętkowice* BĘTKOWSKI *Vir inclytus Proavus Tuus cum uxore ſua* ŁAZOWSKA, *gloriam Majorum ſi non vicit, plenè tamẽ poſſedit, præclariſq; ſuorũ rectefactorũ encomijs cũulavit. Petrus* STRUGAŁA *de Bętkowice* BĘTKOWSKI, *Subdelegatus Caſtrenſis Cracovienſis Avus*

Tu-

Tuus, Vir peritiâ Legum quas omnes mente complectebatur capaci Magnus, consil ô Major, amore publici Boni Maximus, qui cum Anna OCZKOWSKA *Consorte Josephum de Bętkowice* BĘTKOWSI *Patrem Tuum Salisfodinarum Bochnenecensium Vicepræfectum procreavit. Vir hic incontaminatissimus, in spartaq; sibi à Regia Majestate concredita fidelissimus, merito vendicat sibi illud Præfectorum thesauri Salomonis elogium* * Nec prætergressi sunt de mādatis regis --- ex omnibus quæ præceperat, & in custodijs thesaurorum; *sic enim multa prudentia & solertia in disponendis, augendis, & cumulandis, regijs regniq; proventibus insudabat, tantaq; dexteritate omnia & per omnia disponebat, ut* * fidelis dispensator & prudens, quem constituit dominus supra familiam suam, *mereretur ab omnibus vocitari. Indeq; illud quod Josepho Pagina sacra * attribuit: fuitq;* Dominus cum eo,, & erat vir in cunctis prospere agens; *in seipso hic* JOSEPHUS *plenè & perfecte ideavit, delineavit, expressit, ut alludendo ad Gentilitij Stēmatis claritudinem, optimè possit ei illud quadrare, quod uni ex præclara vestra Prosapia* Okulski *adsciscerat* *

* *2. Par. 8 v. 15.*

* *Luc. 12. v. 42.*

* *Gen. 39. v. 2.*

* *In Orbe Polono, Tō 2. fol, 372*

Illustres Lunæ fuerant Jllustris & Ille.

M*Eritoq; in eodem munere Vicepræfecti Salisfodinarum Regni Filium suum Dignissimum, Fratremq; tuum* Patrone Faventissime *Cordialissimum, cum*

Conſorte Thereſsia MIRECKA, *videlicet Stanislaum de Bętkowice* BĘTKOWSKI *dereliquit, Virum (penes Patri ſuo parem dexteritatem) morum ſvavitate, eximiaq; in* DEUM *&* *proximum pietate commendatiſsimum. Cumulant decora decoribus Illuſtris & Magnificus D. Franciſcus* POCILLATOR Bracłavienſis *Tuus Patruus, cum Stanislao, Franciſco Patre, Andrea Franciſco Avo, Stanislao Vēceslao Proavo ſuo, de Bętkovice* BĘTKOWSCIIS, *quotquot enim Viros orbi proficuos, Patriæ utiles, cæloq; amabiles hæc illuſtris Domus dederat, tot viva virtutis ac honoris Simulacra ediderat,*

At quantâ fulgidæ Domui veſtræ progeneravit decora iaclyta Mater Tua Eva KRECZYKOWNA, *ex clariſſima antiquiſſimaq; Familia* KRECZYKORUM, *ex Anglia, adhuc tunc fide & pietate ſplendente, oriundorum, ſangvineq; principibus* ZBARASCIIS, *fortiſſimis olîm Heroibus, & ſtrenuiſſimis victoribus conjunctorum, progenita. Hæc optima Tua Genitrix ex Illuſtri & Magnifico Joanne Georgio* KRECZYK Enſifero Zytomirienſi, *& Eva Thereſſia de Dembiany* DEMBINSKA *ſuis præclaris Parentibus primam lucem aſpexit, præfulgidæq;* BĘTKOWSCIORUM OSTOIÆ *bellicis ſublimatum decoribus ac inſignibus cumulatum honoribus* KRECZYKORUM SONIPEDEM, *& inclytum* DEMBINSCIO-

RUM

RUM RAWICZ *sempiterno fædere copulavit, ipsa quoq; morum probitate, in* DEUM*q; ac proximum pietate probatissima. Nobilissimæ hujus Evæ Genitor Nicolaus de Dembiany* DEMBINSKI Judex Castrensis Becensis, Camerarius Granitierum Prosovicensis, sub tempus Interregni Capturalis Judex, *Vir ad suæ Gentis gloriam, ad commodaq; populorum natus, qui Sacræ Themidis verus ac severus cultor, rigidusq; sectator semper extitit, ut innixæ æquitati causæ gauderent illum sibi obtigisse judicem, scelera formidarent vindicem. Parens ejus fortunatissimus Gabriel Alexander de Dembiany* DEMBINSKI *nactus est vitæ Consortem Isabellam* BEŁZECKA *à Patre ilustrissimo Nicolao* BEŁZECKI, *Matreq; Catharina* ZBARASKA *Celsissimis ducalibus tiaris decoribusq; conspicua, progenitam, quæ* KRECZYKORUM *pariter & BĘTKOWSCIORUM splendoribus Ducum* ZBARAWSCIORUM *purpuram superinduit, ex hacq; Principe Familia in illorum Prosapiam multiplices titulos, multiplicataq; ornamenta & decora derivavit, ut merito* BĘTKOWSCIANO *Cleinodio hocce distichon quidam inscrisperit* *

Cerne Crucem, medio Lunarum quæ sita fulget,
Dic Domus hæc tanget Nobilitate polum.

* Apud Okuski in Orbe Polono T. m. 2. fol. 358.

GEorgius *de zbaraz* ZBARASKI *Catharinæ prænominatæ Pater medietatis bonorum* Zbaraz *here-*

ditarius Dominus, *Vir in sago togaq; præcellentissimus, in Lechicoq; Orbe Luminare Majus*, qui (teste

* ibidem Tom. 1.fol 530. Okulscio *) ZBARASCIORUM tam in bonis quã in perpetua gloria Successor fuerat non dissimilis *Frater uterinus illius Nicolaus de Zbaraz* ZBARASKI *Cremenecensis Capitaneus, pro Fide Lege, & Rege, contra infideles, aliosq; Patriæ hostes, multis expeditionibus prosperè, faustèq; expeditis celeberrimus. Janusius á Zbaraz* ZBARASKI *Palatinus Bracławiensis, Capitaneus Cremenecensis, Nicolai Filius, regni tutela & salus, ad Jvanum, Vasilij filium, Moschoviæ ducem Legatus, ad Velicolucum exercituum Præfectus, in expeditionibus ad Socoliam & Toportiam, sub Stephano Battoreo Rege, triumphator victoriosissimus, cujus dum rex ille Serenissimus heroica ge-*

*Apud citt Okulski Tõ 1.fol.530. *sta alta mente perpenderet dederat hoc ei elogium* * Regio imperio dignus. *Ex Ducissa Czetv rtinensi reliquit* par Fratrum, *nedum* Nobile, *ast &* Celsissimum, *Georgium scil. & Chrystophorum, de Zbaraz* ZBARASCIOS. *Ex quibus* GEORGIUS *Vir armis* magnus, *prudentia & consilio major, maximisq; magnalijs ac gestis heroicis maximus, ut pote Religionis ac Reipublicæ amantissimus. Hinc Primò, tituló* POCILLATORIS *Regni Honoratus, Præfecturaq; Pinscensi & Socaliensi donatus, demum primus Senatorum* CASTELLANUS *nempe* Cracoviensis

cre-

creatus. vixit inter Consos primus, inter Gradivos æquè gravissimus ac gratissimus, inter regni proceres præstantissimus. *At* CHRISTOPHORUS *Stabuli Regni* PRÆFECTUS, *Capitaneus Solecensis, trabeatã vitam, quam à Maioribus hausit, optimè de Patria meritus, Reipublicæ commodis impendere studuit. Hinc cum* Sigismundo III. *rege serenissimo ad Smolenscum in Rokoso, ac contra Osmanum Turcarum formidolosũ tyrannum, Heros fortunæ & vitæ non parcens, ingentes copias suis expensis deduxerat; legationem Turcicam, Post Osmani interitum, ad Mustapham, dignissimè, Patriæq; proficuissimè obierat; in qua detentos ex clade Cecorensi regni Proceres, ex captivitate liberaverat; pacemq; Regno, confirmatis pactis à Turca, solertissimè ac strenuisimé pepererat. Hic à* D. STANISLAO *Præsule Cracoviensi & Martyre, ac à* S. P. N. FRANCISCO ** è summo vitæ periculo prodigiosè ereptus, ejusdem* D. STANISLAI *miraculoso admonitu* Solecensem nostrum Conventum & Ecclesiam *sub Titulari Ejus Nomine, munificentisimus Fundator erexerat, Reformationisq; nostræ Tutor & Protector potentisimus & pientisimus semper extiterat, ut pote pietate in* DEUM *Divosq; omnigenaq; virtute, præstantisimus. His accedit* MARIANNA *jam prælaudati Illustrisimi de Zbaraz* ZBARASKI *Capitanei Cremenecensis Clarisima Filia, cum Illustri vitæ Consorte*

* *Archiv. Conv. Solecensis.*

ſorte ZACHOROWSKI, & *Filia ſua Digniſsima* ANNA, *Illuſtriſsimi* WISNIOWIECKI *Capitanei Czyrkaſcienſis gratioſa Conjuge, cujus* ANNÆ *Filius fuit Januſsius* WISNIOWIECKI Stabuli Regni PRÆFECTUS, *qui etiam Demetrium Georgium* PALATINUM Bełżenſem, *Virum eximium, mundo Patriæq; progenuit, geminiſq; Sororibus glorioſus extitit, altera,* HELENA *Illuſtriſsimi* WARSZYCKI CASTELLANI Cracovienſis *Primiq; Regni Senatoris, æviterna memoria digni, Conjuge fortunatiſsima, altera* MARIANNA, *Illuſtriſsimi* SOBIESKI INCISORIS *Regni Conſorte. Et hæc ſunt decora celeberrima, quæ pleno Sangvinis magni torrente in Illuſtrem Tuam Proſapiam* Mecænas faventiſſime *derivantur, quæ tot Virorũ Illuſtriſsimorum Sangvinem, Nomina, & ſtemmata in ſe colligit, collectaq; retinet.*

Nempe tuum toto clauditur Orbe Decus.

AT non licet ab avitis decoribus tuis ſejungere Fratres, Sororeſq; Tuas præſtantiſsimas, quos naturæ, clariq; Sangvinis communio præclarè conjunxerat, probitatiſq; Domui innatæ participatio intimè & extime conſociaverat. Perilluſtris & Reverendiſſimus Dominus Joſephus de Bętkovice BĘTKOWSKI *philoſophiæ Doctor*, CANONICUS Cathedralis Poſnanienſis, PRÆPOSITUS *Collegiatæ Sandecenſis*, CURATUS

in

in Dębno, Sacerdos qui in diebus suis placet DEO, *Ecclesiæ summè utilis, in omnes beneficus, proinde omnibus amabilis ac venerabilis, ut merito ab omnibus* Gemma Sacerdotum *vocitari possit & debeat. Petrus de Bętkowice* BĘTKOWSKI *Congregationis Missionis Presbyter venerabilis, unà cum* Anna & Marianna *Sororibus, prima S. Norberti in Jmbramowice, altera S. Claræ Cracoviæ, DEO dicatis dotatisq; Personis, quæ dum mundum & seipsas abnegaverant toto mundo ac seipsis superiores, cæloq; propiores evaserant. Et tanta est amplitudo Paterni Maternię; Sangvinis inclytæ* BĘTKOWSCIORUM, *Tuæq; Prosapiæ* PRÆLATE Colendissime, *quæ tum è Tuis Primoribus, tum è Clarissimis affinitate sociatis Nominibus præclarè increverat, & insignem quoq; Procerum illustrissimorum numerum sibi accumulaverat, & hi sũt:* GNIAZDOSZOWSCII, KMITÆ, ŁAZOWSCII, OCZKOWSCII, DEMBINSCII, GORECCII, BRZEŚCII, SIERAKOWSCII, DYNOWSCII, MIRECCII, SWIĘCICII, BRONIECCII, ZBARASCII, KOZINSCII, MIĘKUSCII, WILCZYNSCII, CHODOROWSCII, BEŁZECCII, SKOTNICCII, ŁYCHOWSCII, ŁASZCZOWII, RADZISZEWSCII, TARNOWSCII, ZACHOROWSCII, WISNIOWIECCII, SOBIESCII, WASZYCCII, PIEGŁOWSCII, MYSZSZOWSCII, DĄBROWSCII, LIPSCII, PONĘTOWSCII. SCIBOROWSCII, OSTASŻEWSCII, GŁEMBOCCII, KUNICCII, ORACZEWSCII, DOMASŁAWSCII, RYLSCII, *& alij quàm plures. Quos dum recolo, obversatur menti meæ celebre illud elogium, quod, præclarissimo Cæsari Theodosio*, libros X. pro Christiana Religione contra Julianum apostatam, *dedicando, D. Cyrillus*

* In Epistola Dedic. ad eundem. *Alexandrin. adscripserat.* * Quoniam (*in quit*) Vestræ Christianissimæ Maiestatis opera, auditu digna, eximia, atq; adeò ineffabilia, ac studium quoq; erga Religionem incomparabile (ut pote sortem quandam supernè Vobis collatam) à telis invidiæ invicta asseritis, insignita in cunctis honestis negotijs dexteritate, quam hereditario quodam jure à Patribus & Avis possidentes, in præsentibus negotijs nunc potissimum clarescere facitis, ---- igitur ô Theodosi, Rex Christianissimè, dum vobis alij exhibent victorias, coronas, gratulatoriasq; voces, & alia quibus regis potentia jure honoratur, nostri, qui divino fungimur sacerdotio, muneris fuerit offerre libros, ad Divinam potissimum gloriam compositos. *Hoc inquam dum perpendo, emendico stylum, dicoq; Quoniam avita Nominis claritudo, pietas erga Divina & DEUM, erga Religionem Orthodoxam singularis zelus, quem hereditario quodam jure à Patribus & Avis possides reddunt te mundo celebrem cæloq; conspicuum,* PERILLUSTRIS & Reverendissime Domine Mecænas faventissime, *dum alij tibi exhibent merita, preconia, ego, qui (quantumvis indignus) etiam inter Christi sacerdotes recenseor, judico mei esse muneris, exilem ingenij mei feturam, pro gloria Christi, extirpationeq; vel saltem confusione pravitatis ju-*

dai-

daicæ, Nomini Tuo conſecrare. Accipe igitur á Minorita (quamvis te maxima deceant) hoc minimum Religionis noſtræ, quam non parvis beneficijs ſublevas, erga te amoris & gratitudinis, documentum, ac penes copioſas affluentias supernorum donorum, longævamq; in utroq; Homine ſoſpitatem, ad ſummos aſcenſus in Hierarchia Eccleſiaſtica, Impiger & Lunis & Cruce perge duce* *Hoc cordintimè apprecatur & vovet.* * *Okulſki citt. Tom. 2. fol. 373*

PERILLUSTRIS ac REVERENDISSIMÆ Dominationis, Veſtræ *Cliens, & Exorator. multis titulis devinctiſſimus,*

F. M. W. R. A. O.

AD LECTOREM.

LECTOR benevole, ad conſcribendum hocce opuſculum jam dudum zelo Contra Thalmudiſtarum movebar, qui Divino (fortè) aſpirante Entheo, fidelibus colletantibus; quibuſdamq; Magnis Eccleſiarum Proceribus cooperantibus, impias Thalmudiſtarum ineptias & blaſphemias, in aliquot publicis concertationibus, hic in Regno habitis, argutè repreſſerant, ac (ut opinor) ſatis ſuperq; regecerant. At cùm zelus illorum paulatim tantiſper deferbuit, ego quoq; alijs diſtentus & occupatus, ab opere mente concepto avocavi animum. Poſt tamen ad id reaſſumendum calcar mihi addit Prolixior mea (quia jam per quatuor annos propagata) infirmitas, in qua, inani contabeſcens otio, dum ſacrum Bibliorum Codicem attentiùs paulò pervolverem, DEIq; ac Prophetarum Oracula cum Commentarijs Patrum, ac probatis Scripturarum Commentatoribus, majori; quàm ante, indagatione confrontarem, adverti attonitus, omnia Sacroſanctæ Fidei Chriſtianæ Myſteria eſſe ferè patetice in eis præ-

dicta, impiaq; judaica ac Thalmudica deliramenta penitus detecta ac rejecta. hinc in honorem ac venerationem 33. Annorum Vitæ Sanctissimæ *REGIS sæculorum Immortalis* * qui posuit animam meam ad vitam * ac *venit ut vitam habeamus, & abundantius habeamus* * Domini Nostri *JESU CHRISTI* qui mihi indigno, proclamatam aliquoties à Medicis adusq; prorogavit vitam, hancce lucubratiunculam meam, 33. Articulis comprehensam, consecrandam decrevi. Demonstrationem illam vocitavi, non quasi demonstrationibus philosophicis esset suppar, aut eis consimilis, ast quia cuivis prudenti, & non plenè excæcato, à DEOq; & CHRISTO Ejus reprobato, veritates in se contentas efficaciter insinuet ac persvadeat. Patrum hic verba adduco, non quòd illorum Authoritas judæos convinceret, (illi enim cùm impiè ipsum quoq; Evangelium respuunt, multominùs Evangelicos Doctores recipiunt) ast quia non propter solos hos infideles convertendos, ast & propter fideles pleniùs in sua Fide consolandos & consolidandos, hæc conscripsi, & quia Patrum urgentes rationes, sanæq; & concinnæ S. Script, enucleationes possint & debeant judæos quoq; movere, evidenterq; illorum cæcitatem ostendere. Novi quoq; Fœderis Scripturas cum Scripturis Testamenti veteris combinando in plerisq; locis affero, quia (juxta illud Propheticum *) *abyssus abyssum invocat*, i. e. (explicat Hier. *) *abyssus veteris Testamenti invocat abyssum Evangelicam, in voce cataractarum, id est, Prophetarum & Apostolorum suorum*, seu, quia est mera miraq; veteris fœderis cum novo concordantia, harmonia, & concatenatio. Volo tamen te esse admonitū non omnes Scripturarum locos, qui ad propositum facerent, hic esse congestos, quia omnes afferre, nimis foret longum, difficile, ac ferè impossibile, & quia non omnes Libros Divinos, pro Divinis & Canonicis judæi acceptāt;

* Tim. 1. v. 17.
* Ps. 65. v. 9.
* Joan 10 v. 10.
* Ps. 41. v. 8.
* Epist. CL. ad Hebidiam, nō longè à principio

nam

nam * Liber *Sapientiæ*, *Ecclesiastici*, *Judith Tobiæ*, *Machabæorum primus & secundus*, inter apocrypha ab illis seponitur. Imô & in illisquos recipiunt, aliqua respuunt, ut in Libro Esther incipiendo à medio *capite* 10. reijciunt ea quæ sunt inclusivè usq; *ad caput* 16. In Daniele, incipiendo, *à vers.* 24. *capitis* 3. usq; *advers.* 90. & in super *caput* 13. & 14. ejusdem Prophetæ, ex integro reprobánt, ut nec hymnum trium Puerorrm, nec Susannæ, Belis, draconisq; historias pro Divinis agnoscant* Libros insuper quos recipiunt, non sic vocant, ut apud nos vocantur. Nam *Pentateuchum*, i.e. Quinq; Libros Moysi, appellant *Humas*, h. e. *Quinarium*, vel *Thora*, h.e. *Legem*; hosq Libros & Threnos, seu, Lamentationes Jeremiæ appellant à verbis eos initiantibus, scil. Genesim, *Beresith*, seu, *Berescith*, i. e. *In principio*; Exodi, *Velle Semoth*, i.e. *Hæc sunt omnia*; Levitici, *Vaikra*, i.e. *Vocavit autem*, seu, *Et vocavit*; Numerorū, *Vaieddaber*, i.e. *Locutusq*; quamvis hunc Librum persæpe quoq; appellet, *Bemidbar Sinai*, i. e. *In deserto Sinai*; Deuteronomij, *Elle Haddebarim*, i. e. *Hæc sunt verba*; Threnos: seu Lamentationes, *Echa*, i. e. *Quomodo*, & aliquando, *kinot*, i.e. *Lamentationes*, Librum Josue appellant *Jehosva*, seu *Jehosua Ben Nun*, i. e. *Josue Filij Nun*; Judicum, *Sophetim*, seu, *Sophtim*, quod idem, ut & apud nos sonat, nempe *Judicum*; Primum & secundum Regum *Samuel*, seu, *Semuel*, i. e. *Samuelis*; tertium & quartum *Malachim*, seu, *Melachim*, i. e. *Regum*, sive, *Regnorum*, Duos Libros Paralipomenon, in unum confundunt, * vocantq; *Dibre Haiamim*, i. e. *Verba dierum*. Duos quoq; Libros Esdræ pro uno Libro computant, persepeq; *Nehemiæ*, seu, *Nehumiæ* appellant. Job vocant; *Jiob*; Psalterium nominant *Sepher Tehillim* i. e. *Liber hymnorum*, quod etiam appellant, *Tehilloth*, vel tantùm *Tehillim*, vel crebrò per Syncopam, *Tillim*, scil. *Hymnorum*. In hocq; Psalterio non numerant (ut nos numeramus) 150. Psalmos, ast 151. nam Psalmum 9, dividunt in

* *Teste D. Hier. in Prologo Galeato.*

* *Teste eod. Præfat. in Daniel.*

* *Teste D. Hier. Prefat. in Paral.*

duos

ducs, ita, ut in verſu 21. hoc eſt in his verbis: *Conſtitue Domine Legislatorem ſuper eos: ut ſciant Gentes quoniam homines ſunt*, finiatur Pſalmus 9. & ab his *Ut quid Domine receſſiſti longe* &c incipiat Pſalmus 10. Librum Proverbiorum vocant *Miſle Scelomò*, i. e. *Parabolæ Salomonis*; Eccleſiaſtæ, *Coheleth*, i. e. *Contio*, *Concionatio*, ſeu, *Concionator*; Canticorum, *Sir Haſirim*, ſeu *Scir Haſcirim*, i. e. *Canticum Canticorum*. Prophetas Majores & Minores appellant *Nebiim*, ſeu, *Neviim Aharonim*, i. e. *Prophetas poſtremos*, nam Libros Joſue, Judicum, & Regum, inter Prophetales quoq; connumerant, eoſq; *Neviim Riſsonim*, i. e. *Prophetas primos*, appellant. Reliquos ita vocant ut & nos, quamvis Prophetiam Baruch ſub nomine Jeremiæ adducant, Prophetaſq; aliquos aliquantiſper per mutatis nominibus efferant, ut Iſaiam *Eſaiiam*, Jeremiam, *Irmiam*, Ezechielem, *Jehezkel*, Oſee, *Hoſcea* &c appellando. Hinc pro tuo commodo, *Lector amice*, dum aliquem textum ex Script. adduco, ſemper in marigine has appellationes Librorum apud Judæos acceptatas annoto ·expertus ſum ſiquidem quòd illi objectos ſibi ſcripturarum textus ſoleant quandoq; eludere, pro Verboq; Divino non agnoſcere, dicentes tales libros in ſuis Biblijs non haberi, dum ita ut apud nos vocantur, & non ita ut apud illos, adducuntur. Biblia deniq; vocant illi *Macdeſcyia*, i. e. *Rem ſanctam DEI*, vel etiam, *Arbaa veeſrim*, i. e. *quatuor & viginti*, eò quia in eis tantùm viginti quatuor Divinos Libros annumerant. Et ne tibi quidpiam aliquam moleſtiam afferat, exprimo hic abbreviationes, quas per decurſum in hoc meo opuſculo exaravi; ubi: Demoſtr. ſignificat: *Demonſtratur*; ibid. *ibidem*; eod. *eodem*; citt. *citato*; addčt. *adducto*; Script. *Scriptura*; ult. *ultimo*; & ſqq. *& ſequentibus*; q. d. *quaſi diceret*, vel, *diceretur*; in hebr. *in hebræo*; in Vulg, *in Vulgata*; i. e. *id eſt*; h. e. *hoc eſt*; LXX. *Septuaginta Interpretes* &c. Interim vale, & pro me peccatore ora



LAUDETUR JESUS CHRISTUS.

PROLOGUS.



PErversa, derelictaq; à DEO, gens judaica, ut illum se esse populum quasi evidenter demonstret, de quo Dan. 9. v. 26. est dictum: *Occidetur Christus, & non erit populus ejus, qui eum negaturus est.* Et illum, de quo Osee 1. v. 9. dicit DEUS: *Vos non populus meus, & ego non ero vester*; sic à via veritatis aberrat, ut omnia ferè Fidei Orthodoxæ Mysteria negare, blasphemareq; præsumat. Negat quippe Divinæ TRINITATIS Arcanum, nobis quidem in Nova Lege expressè à Christo, non subobscurè autem in veteri fædere, saltem aliquibus Patriarchis & Prophetis, à DEO reseratum. Inficiatur mirandam Incarnationem Messiæ, blaterans illum necdum venisse, non Deumq; ast purum hominem tantùm futurum, ac non ex intemerata Virgine, ast ex maritata fæmina nasciturum esse. Non admittit eum fore novum Legislatorem post Moysen; Mysteriaq; ejus Passionis, Resurrectionis, in Cœlum Ascensionis, Spiritûs S. Missionis &c. protervè pernegat. Observat, perversè & carnaliter, sublatam jam nunc à DEO Legem Moysaicam; in impioq; suo Thalmud Essentiam DEI, Attributaq; illius, ac Christum, suum & omnium A.

B.

Redemptorem, diabolico plusquàm ore blaſphemat; taliaq; ibi dicit & docet quæ rectæ rationi, omnigenæq; pietati, ac inſuper ſacræ ſcripturæ expreſsè repugnant. Ut ergo (juxta Pſ. 93. v. 8.) *intelligant hi inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapiant*, illuminante Illo, Qui (Joan. 1. v. 9.) *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, præſentem Demonſtrationem, cæcitati, imperitiæ, ac impietati illorum opponendam decrevi; optans illud miſero huic populo, quod eidem olìm Deut.* 32. v. 29. optaverat Moyſes: *Utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent.* Jamq; ſit

C. * *Elle Haddebarim* i. e. *Hæc ſunt verba.*

ARTICULUS I.

Quòd DEUS ſit in Natura Unus, & in Perſonis Trinus.

DEUM eſſe in Natura Unum, omnes nunc ferè gentes fatentur, nec inficiantur Judæi. Nam (præterquam quòd contra Atheos, Polytheos, Manichæos, aliaſq; hominum peſtes, evidenter id ipſum lumen rationis oſtendit, à poſteriori demonſtrans DEUM, idq; tantùm Unicum in Natura eſſe, ac plures deitates & deos implicare) hoc etiam ſcriptura claré inculcat; ut Deut. 6 v. 4. *Audi Iſràël, Dominus DEUS noſter, DEUS Unus eſt.* Et *ibid.* 32. v. 39. *Videte quòd ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me.* Et 2. Reg.* 7. v. 22. *Magnificatus es Domine Deus, quia non eſt ſimilis tui, neq; eſt Deus extra te.* Et Iſa 45. v. 5. *Ego Dominus, & non eſt amplius: extra me non eſt Deus.* Et ibid. v. 18. *Ego Dominus, & non eſt alius* Et v. 22. *Ego Deus, & non eſt alius.* Idem dicitur & alibi in locis ferè innumeris.

* *Samuel.*

D. Hinc hoc ut indubitatô præmiſſô, tantummodò Deum eſſe in Perſonis Trinum. D monſtr.

Demonstr. Primò: Ex script. illis, in quibus vel expressè, vel saltem tectè & implicitè exprimuntur Tres Personæ Divinæ.

I. Gen. * 1. v. 1. & 2. dicitur: *In principio creavit Deus cœlum & terram, - - - & Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Ubi (ut rectè D. Aug. advertit *) per ly: *Deus* denotatur Pater; per ly: *In principio*, exprimitur Filius, quia ipse est Sapientia Patris, *cum eo* (Prov. * 8. v. 30.) *cuncta componens*; dixitq; se esse Principium Joan. 8. v. 25. *Ego Principium, Qui & loquor vobis.* Hinc Christus (ut D. Hier. docet *) *in ipsa fronte Geneseos, quæ caput librorum omnium est, cœli & terræ Conditor approbatur. Unde & in Psalterio de seipso ait: In capite libri scriptum est de me, id est, in principio Geneseos.* Sic ille. Per ly demum: *Et Spiritus Dei*, ostenditur Spiritus S. Simile est ibid. v. 3. & 4. *Dixitq; Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quòd esset bona.* Ubi per Dicentem: *Fiat lux*, Persona Patris signatur; per Verbum verò quô id dixit, Persona Filij. At per Complacentiam qua vidit Deus lucem quòd esset bona, Persona Amoris increati Spiritûs S. ut D. Thom * docet.

* Beresith i. e. In principio
* De Gen. ad lit. c. 1.
* Miste. i. e. Parabolæ
* In Quæst. Hebraic. in Gen.

E.

* 1. q. 74. art. 3. ad 3.

II. Gen. 18. v. 1. & sqq. legitur: *Apparuit autem ei* (h. e. Abrahæ) *Dominus in convalle Mambre - - - Cumq; elevasset oculos, apparuerunt ei Tres Viri stantes prope eum: quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, & adoravit in terram. Et dixit: Domine si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum.* Hìc Abraham licet Tres vidit, tamen Unum esse agnovit, in singulari Eum compellans: *Domine si inveni gratiam &c.* Quòd autem hìc Deus ei verus apparuerit, claret: *Tumq;* script. dicit: *Apparuit autem ei Dominus.* *Tumq;* Apparens ille semper ibi in

* hic. hebr. vocatur *Jehova*, (teste Corn. *) quod est Nomen soli Deo proprium. *Tumq;* Abraham Eum cultu Latriæ soli Deo debito adoravit. *Tumq;* Appellat illum ibi universalem Judicem v. 25. dicens: *Non est hoc tuum: qui judicas omnem terram, nequaquam facies* (occidendo Sodomis
F. justum cum impio) *judicium hoc.* Judicare autem omnem terram soli Deo convenit juxta Is. 33. v. 22. *Dominus enim Judex noster.* *Tumq;* Hic apparens ibid. v. 10. promittit Saræ filium; & hoc solus Deus fecit, juxta illud Gen. 21. v. 1. *Visitavit autem Dominus Saram, sicut promiserat: & implevit quæ locutus est.* Vidit ergo tunc Abraham Deum Unum & Trinum, in Tribus Viris apparentibus symbolicè sibi demonstratum. Hinc D. Hilar. * dicit, tunc esse
* Lib. IV. Trinit. id factum, de quo Christus Joan. 8. v. 56. ait: *Abraham Pater vester exultavit ut videret diem meum: vidit & gavisus est.*

III. Ps. 32. v. 6. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Ubi, per ly: *Domini,* Pater; per ly: *Verbo*, Filius; ac per ly: *Spiritus Oris ejus*, Spiritus S. declaratur, ut D. Hieron. * inquit. Pariter Ps. 50.
* in Ps. 32. omnes Tres Divinitatis Personæ exprimuntur. Dum enim ibi v. 14. dicitur: *Et Spiritu principali confirma me.* Exprimitur Pater; ille enim est Spiritus quasi Principalis, quia reliquis Personis Divinis est prior Origine, ab illoq; eæ,
G. non verò ille ab eis, procedit. Et dum v. 12. dicitur: *Et Spiritum rectum innova in visceribus meis*, exprimitur Filius, quia ipse est veritas, ad veritatem autem pertinet rectitudo. Dum verò v. 13. subditur: *Et Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me*, signatur Spiritus S. Hinc D. Hier. *
* in hos textus. ait: *Tu vero qui legis sanctam scripturam, Sanctam hic Trinitatem*

tatem intellige - - - Spiritum Principalem, Patrem: Spiritum Rectum, Filium: Spiritum Sanctum, ipsum Spiritum Sanctum.

Is. c. 48. v. 16. dicit Deus: *Non à principio in abscondito locutus sum: ex tempore antequam fieret, ibi eram: & nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus ejus.* Hæc (ut & ipsi, prout patebit, confitentur judæi) intelliguntur de illa locutione Dei à principio Legis Moysaicæ, dum ille hanc Legem in monte Sina toti Israëli dando, palam & publicè loquebatur eidem. Hæc enim erat prima & publica ad totum Israëliticum populum Dei locutio, qua ille exterritus, ad Moysen Exod.* 20. v. 19. dicebat: *Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Ante quam locutionem Deus dicit se ibi jam, scil. in illo monte, fuisse, posthinc autem à Domino Deo, & spiritu ejus, missum esse. Per quod Tres Divinæ exprimuntur clarè Personæ: duæ, nempe *Dominus Deus*, h. e. Pater, & *Spiritus ejus* mittens, ac tertia, h. e. Deus ille qui in sina Legem dando palam loquebatur, manendo ibi etiam antequam loqueretur, à Domino Deo & Spiritu ejus missus, scil. Filius. Hinc de illo Baruch.* 3. v. 36. & sqq. dicitur: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ,* (hoc est Legem Moysi) *& tradidit illam Jacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc* (dum scil. est à Patre missus, & incarnatus) *in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Ludicrum autem est commentum R. Salomon, & R. Tauhuma, qui (teste Galatino*) dicunt id intelligi de ipsomet Isaia, quia ille (fabulantur) aliiq; omnes Prophetæ quò ad animam in monte Sina realiter erant præsentes, dum Lex à Deo daretur: ac etiam ibi tunc à Deo omnes suas prophetias acceperunt

H.

* *Veelle. Semoth. i. e. Hæc sunt nomina.*

* *Jeremiæ judæis.*

* *In lib. contra perfid. jud.*

I.

ut post eas illo tempore prædicarent, quo Deus juberet. *Ludicrum* inquam. *Tumq;* Hæc verba Dei ipsius, & non Isaiæ, esse, clarè patet ex textu, hic enim qui ibi loquitur vocat se v. 12. & 13. Primum & Novissimum, cujus manus fundavit terram, & dextera mensa est cœlos; jubet v. 18. mandatis suis attendere, i. e. ea servare, ac post verba à nobis adducta, immediatè v. 17. subdit: *Hæc dicit Dominus Redemptor tuus, Sanctus Israël: Ego Dominus Deus tuus docens te utilia.* Hinc (teste Lyrano citt.) ipsa Glossa hebraica, quæ apud eos reputatur authentica, super illud Exod. * 19. v. 1. *Venerunt in solitudinem Sinai*, ait: *Data est Lex in publico, ut omnis, qui voluerit recipere, eam recipiat. Et ecce Deus Sanctus & Benedictus dicit Esaiæ* 48. *Non à principio in occulto locutus sum, antequam fieret, ibi eram.* Ergo hoc ineptum commentum nedum est contra claram Script. ast & contra receptam à judæis ipsis doctrinam.

* Velle Semoth.

K.

* Beresith.

Tumq; Gen. * 2. v. 7. dicitur: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.* Ex quo patet, quòd Deus priùs corpus hominis formaverat, illudq; organizaverat, & postea (proinde non ante, ut illi stulti somniabant rabbini) animam (etiam in Prophetis) creaverat, corporiq; infunderat. *Ne* autem illi dicant, hoc tantùm verum esse de primo homine, non autem de alijs. *En* Ps. 32. v. 15. dicitur: *Finxit sigillatim* (i. e. seorsim & distinctim, non autem simul) *corda* (i. e. animas, quæ nomine cordis in script. veniunt) *eorum.* Et expressiùs Zach. 12. v. 2. *Dicit Dominus extendens cœlum, & fundans terram, & fingens spiritum hominis in eo.* Ubi universaliter de quocumq; homine (proinde & de Propheta) dicitur, quòd *in*

eo,

eo, scil. in corpore ejus jam formato & organizato, Deus fingat seu creet spiritum, non verò ante, ut frivolè illi de Prophetis confingunt. *Tum demum*: quia ipsimet Prophetæ passim dicunt, sibi aliqua de novo revelata fuisse, quæ antehac ignoraverant, ut Eliseus 4. Reg. * 4. v. 27. ad Giezi de Sunamitide ait: *Dimitte illam: anima enim ejus in amaritudine est, & Dominus celavit à me, & non indicavit mihi.* Et Danieli, antea ignaro, mysterium somnij Nabuchodonosoris per visionem nocte Dan. 2. v. 19. revelatum erat, ut ipse v. 23. confitetur & dicit: *Et nunc ostendisti mihi* (DEUS) *quæ rogavimus te, quia sermonem regis aperuisti nobis.* Similiter mysterium 70. hebdomadarum * de novo revelatum est ei, & alia ibidem, & alibi. Ijdem Prophetæ sæpe nominant tempus & diem quo Deus illos ad prophetandum vocavit, arcanaq; prophetica revelavit, ut Isaias, Is. 1. v. 1. *In diebus Oziæ, Joathan, Achaz, & Ezechiæ, regum Juda.* Jeremias, Jer. 1. v. 2. *In diebus Josiæ filij Amon regis Juda, in tertiodecimo anno regni ejus.* Ezechiel, Ezech. 1. v. 1. *In trigesimo anno, in quarto, in quinta mensis.* Similiter Osee, Amos, Michæas, Sophonias, Aggæus, & Zacharias, ut legere est in eis c. 1. v. 1. Item ipsa Scrip. de Samuele Propheta 1. Reg. * 3. v. 7. dicit: *Porro Samuel necdum sciebat Dominum, neq; revelatus ei fuerat sermo Domini.* Et de Eliseo, 4. Reg. * 3. v. 15. refert quòd nesciverit quid regibus Israël, Juda, & Edom prophetare deberet, nisi dum canente psalte *facta est super eum manus Domini.* Qua ergo fronte contra expressam Script. hi impij effutiunt, quòd Prophetæ, in monte Sina, tempore Legis datæ, suas prophetias acceperint? Meritò ergo non judæi ast ethnici appellari debent, ethnicus enim error Pythago-

L.

* *Malachim.*

* *Dan. 9.*

M.

* *Samuel.*

* *Malachim.*

Pythago-

Pythagoræorum erat, (in quem etiam prolapsus est Origenes) quòd animæ humanæ ante corpora sint creatæ; quem & illi sequuntur.

Demonstr. Secundò: Ex illis locis Script. in quibus dicitur Deus sterilis non esse, ast parere, generare, Pater esse, Filiumq; habere. *Item*: Ex ijs, in quibus Deus dicitur, esse Deus à Deo, à Deo prodire, parturiri. *Item*: Ex ijs, in quibus Spiritui S. prædicata ac attributa Divina tribuuntur.

N. I. Deum sterilem non esse, ast parere, ipse Deus If. 66. v. 9. testatur & dicit: *Numquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus?* En Deus dicit expressè quòd sterilis non sit, ast pariat; at non parit nisi Deum; aliàs monstrosus foret talis partus illius, sicut si homo, non hominem, ast aliud quidquam pariat, est partus monstrosus. Nec parit alium in natura Deum, (unus enim tantùm est Deus, pluresq; repugnant, ut jam visum) parit ergo aliam in eadem Deitate Personam, scil. coæqualem sibi ac consubstantialem Filium. Adverteq; quàm providè Deus hìc addat ly: *Dicit Dominus*, ac ly: *Ait Dominus Deus tuus?* hôc enim non additô, possent judæi (ut aliàs solent) ineptire, ac dicere, hæc verba Dei non esse, ast Isaiæ, vel cujusvis alterius; sic autem tale

O. eis effugium est prorsus præclusum. *Dices*: Hæc intelligenda de parturitione Divina adoptiva, per quam ille, mediante gratia sua fideles adoptat sibi in filios, de illa enim immediatè v. 7. & 8. dicitur. Sic explicatur hic locus à Catholicis etiam interpretibus. * *Resp.* Sic non posse intelligi. *Tumq;* Deus hìc absolutè dicit se parere sterilemq;

* Corn. à Lap. hic Et Tirin ex eo

ſterilemq́ non eſſe: Ergo non eſt id reſtringendum tantùm ad parturitionem ſeu fæcunditatem Divinam adoptivam, aliàs & textus mox afferendos, in quibus Deus dicit ſe generare, genuiſſeq; Filium, poſſet quis de ſola generatione adoptiva explicare. *Tumq;* Deus nedum facit alios parere adoptativè, aſt etiam naturaliter, verèq; ac realiter: dum ergo hìc dicit, quòd ille qui alios parere facit ipſe quoq; pariat, non tantū ſe dicit parere adoptivè, aſt & realiter naturaliter. *Tumq;*Parturitio adoptiva non eſt propriedicta parturitio, non excluditq; veram ſterilitatem, aſt potiùs eam, vel impotentiam propriè dictæ generationis, includit ac ſupponit. Sic Rachel Gen.* 30. v. 3. manens ſterilis, filios Belæ, ac Lia *ibid.* v. *9.* parere jam deſinens, filios Zelphæ, adoptavit ſibi in filios. Jacob quoq; jam moribundus & ſenex, ad generandumq; impotens, Gen. 48. v. 5. Manaſſen & Ephraim filios Joſeph, ſuos eſſe voluit. Ergo cùm hìc apud Iſaiam dicat Deus ſe parere, ſterilemq; non eſſe, non de parturitione tantùm adoptiva, aſt & reali, ac naturali, loquitur. *Quamvis* verò hìc v. 7. & 8. de parturitione adoptiva agatur, tamen non ſequitur, quòd & in verbis Dei immediatè v. 9. ſequentibus, quæ adduxi, de illa tantùm agitur; ſicut non ſequitur, Iſ.7. per totum ferè caput non de Meſſia aſt de liberatione judeorum & Achaz de manu Raſin Regis Syriæ, & Phacee filij Romeliæ, agitur: Ergo & v. 14. *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium. Vel.* Iſ. 16. per totum caput ruina Moabitarum prædicitur: Ergo & v, 1. ibid. dum ſubitò, & quaſi ex abrupto dicitur: *Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ &c.* Hoc enim eſſet ineptum & rabbiniſticum. Et *ratio* eſt: Quia (ut rectè docet Corn. *) Prophetæ ſæpe ſaliunt ex uno ad aliud, in unoq; aliud, etiam longè illo priore myſterioſius, enuntiant; ut & Chriſtus fecerat, ſignanter Matt. 24.

P.

* *Bereſith.*

Q.

* *In Canonibus facem Prophetis præferentibus Can.* 4.

dum ab excidio Jerosolimæ per Titum, ad excidium totius orbis ante extremum judicium avolavit, hocq; in illo adumbravit. Quòd autem quidam interpretes de parturitione adoptiva tantùm id intelligunt, per me licet, cum permittat Apostolus Rom. 14. v. 5. ut *unusquisque in suo sensu abundet*. Mihi ex allatis fundamentis est summè persvasum id de parturitione naturali Divina, qua Pater Filium sibi Homousion * generat, intelligi debere, & hanc Script. contra judæos, aliosq; Divinæ Generationis naturalis hostes, invictè concludere.

* Consubstantialem.

R. *II.* Se quoq; genarare, Patrem esse, Filiumq; habere Deus ipse dicit Ps. 2. v. 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.*. Et Psal. 109. v. 3. *Ex utero ante luciferum genui te.* Et Ps. 88. v. 27. & 28. *Ipse invocabit me: Pater meus es tu: Deus meus*, (secundùm Humanitatem) *& susceptor salutis meæ. Et ego Primogenitum ponam illum Excelsum præ regibus terræ.* En hic in duobus prioribus textibus dicitur quòd Deus Filium genuerit, eumq; habeat; idq; quòd illum genuerit generatione æterna, tali nempe, in qua est semper *Hodie*, & nunquam cras vel heri; taliq; quæ fuerat *ante luciferum*, seu ante tempus, quòd, Gen. * 1. v. 14. per astra cœli, motumq; eorum conficitur, adèóq; ante mundum conditum; idq; *ex utero* suo, scil. intellectu, intellectus enim æterni Generantis ejus uterus est, in quo ille Verbum suum abæternum ineffabiliter concipit ac generat, ut etiam nos qui sumus (Gen. 1. v. 26. (*ad imaginem & similitudinem* ejus conditi, in intellectu nostro verbum mentis concipimus & generamus. In tertio verò textu innuitur Deum, Patrem esse illius sui Divini coæterniq; Filij, quem ille posuit (ut Hominem) *Excelsum præ regibus terræ*, i. e. Regem Cœlestem præcellentiorem omni rege terreno, super solium David &

* Beresith.

super

super regnum ejus sedentem in æternum, cujus *regnum* (Joan. 18. v. 36) *non est de hoc mundo.* Imò hic quoq; denotatur Filij hujus Divinitas ly enim *Excelsus* est Nomen soli Deo proprium. Hinc Propheta Dan. 4. v. 22. ad superbum Nabuchodonosorem dicit: *Septem quoq; tempora mutabuntur super te, donec scias quòd dominetur Excelsus* (i. e. Deus) *super regnum hominum.* Idem etiam nomen tribuitur Deo Gen. 14. v. 19. & 20. Ps. 46. v. 3. & alibi plures. *Dices* cum judæis & arianis: Non sequitur: Deus dicitur genuisse, idq; *ex utero*, habereq; Filium: Ergo in Divinis datur Pater & Filius ejusdem naturæ cum Patre. *Nam* in Script. nedum homines ast etiam quædam inanimata, (quæ proculdubio non sunt ejusdem naturæ cum Deo) filij Dei, á Deo enutriti, geniti, ex uteroq; ejus procedentes, dicuntur, ut Exod. * 4. v. 22. *Filius meus primogenitus Isräel.* Et Jer. 31. v. 9. *Factus sum Isräeli Pater, & Ephraim primogenitus meus est.* Et Is. 1. v. 6. *Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Et Job. 38. v. 28. & 29. *Quis est pluviæ pater? vel quis genuit stillas roris? De cujus uterò egressa est glacies? & gelu de cœlo quis genuit?* *Resp.* Falsum hìc assumi; nam licet aliquæ creaturæ, filij Dei, à Deo geniti, ex uteroq; ejus procedentes, quandoq; dici in Script. videntur, non tamen eo modo quo Filius abæterni Patris. Hic enim dicitur esse genitus generatione æterna, & ante luciferum, creaturæ verò nequaquam, quæ ideò tantùm à Deo genitæ, filijq; Dei dicuntur, quia vel sunt in tempore per Omnipotentiam Dei creatæ, vel quia sunt per gratiam in filios adoptatæ. Pariter dicitur esse *Excelsus præ regibus terræ*, quod nomen est (ut dixi) soli Deo proprium, tales verò esse, nullæ creaturæ dicuntur. Hinc Isräel dicitur esse filius primogenitus Dei, quia fuit

S.

* Veelle. Semoth.

T.

à Deo præ cæteris gentibus electus & dilectus, priorq; illis ad fidem veram, & cultum Divinum singularem vocatus. Dicitur quoq; Ephraim primogenitus, quia à Jacob Patriarcha Gen, * 48. v. 19. Manassi, filio seniori Joseph, est prælatus, primogenituráq; donatus. Sicut ergo frivolè quis argueret dicens: Aliquæ creaturæ dicuntur esse dij, ut Exod. * 7. v. 1. dicit Deus ad Moysen: *Constitui te Deum Pharaonis.* Et Ps. 81. v. 1. *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat.* Ac ibid. v. 6. *Ego dixi: dii estis, & filij Excelsi omnes:* Ergo Deus est talis deus ut illæ, vel illæ sunt tales dij ut Deus; sic quoq; judæi & ariani frivolè arguunt in proposito. *Addo:* Quòd illud Job. 38. nil penitus conferat ad propositum. Non enim dicit ibi positivè Deus: Ego sum pluviæ pater, ego genui stillas roris, de meo utero egressa est glacies &c. ut loquitur in textibus à nobis adductis de Filio suo Unigenito, ast tantùm interrogat negative: *Quis est pluviæ pater* &c. q. d. *Nemo*, ast solus ego omnia hæc creavi. Sicut quoq; ibid. v. 37. dum dicitur: *Quis enarrabit cælorum rationem, & concentum cæli quis dormire faciet?* Et Is. 40. v. 13. *Quis adjuvit Spiritum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?* &c. subintelligitur: *Nemo.*

* Beresith. V.
* Veelle. Semoth.

III. Dicitur Deus esse Pater, Filiumq; habere, Prov. * 30. v. 4. *Quis ascendit in cælum atq; descendit? quis continuit spiritum in manibus suis? quis colligavit aquas quasi in vestimento? quis suscitavit omnes terminos terræ? quod est Nomen Ejus, & quod est Nomen Filij Ejus, si nosti?* Hìc notantur duæ Personæ Divinæ, Pater nempe & Filius, cujus Nomen (utpotè ineffabile) nemo novit, quiq; effecerat magnalia hìc recensita, i. e. cælos spiritum, nempe ventum, vel aërem, (qui etiam in script appellatur spiritus ut Ps. 148. ac alibi)

* Misle i. e. Parabolæ. W.

bi) aquam & terram creavit, hæcq; omnia suo loco ordinatè constituit, illaq; adusq; sapientissimè ac providentissimè moderatur & regit. Ut hunc locum, tam clarissimè edicentem quòd Pater Filiusq; in Divinis detur, judæi quoquô modo eludant, ad solita latibula sua confugiunt, ac dicunt: hæc intelligi non de Deo rerum Opifice magnalia illa patrante, ast de Moyse prodigia sua faciente. Moyses enim (aiunt] *ascendit in cœlum atq; descendit*; quia ascendit in montem Sina cælo proximum, ibiq; Legem à Deo accipiens, ad Israël cum ea descendit. *Continuit spiritum in manibus suis*; quia àërem & ventos subjectos sibi & quasi in manibus habuit, virgâ àërem in Ægypto verberando ut ciniphes & culices eliceret *Colligavit aquas quasi in vestimento*; quia divisit mare rubrum. *Suscitavit omnes terminos terræ*; quia audiendo miracula facta ab eo, maximè in divisione maris rubri, Israëlis traductione, ac Pharaonis submersione, *conturbati sunt principes Edom, robustos Moáb obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan*, ut Exod. X.
* 15. v. 15. dicitur. Hinc dum citt. Prov. 30. quæritur: *Quis ascendit* &c. sensus (inquiunt) est: Quis par Moysi vel similis existit in patrandis miraculis? Si enim quis diceret, fuisse alium illi in his parem vel similem; quærendum esset ex illo: *Quod est nomen ejus?* siq; ille diceret: pridem jam esse vitâ functum, nomenq; ejus ex memoria hominum excidisse: quærendum: *Quòd est nomen Filij ejus?* scil. quæ generatio & propago filiorum ejus ac nepotum, ex qua sciri posset illum talem fuisse. Et *ratio* est: Quia, quòd Deus, qui est immensus, ascendat in cœlum atq; descendat, id de illo verificari nequit. Hæc * illi verè judaicè, quia ineptè & stultè. Nam: dum Job. 38. v. 4. & sqq dicitur. *Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi* Y.

* Vecile. Semoth.

* Teste Cornel. à Lap.

hi si habes intelligentiam. Quis posuit mensuras ejus, si nosti? Et *ibid.* v. 8. *Quis conclusit ostijs mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens?* Et Isaiae 40. v. 12. *Quis mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderavit? quis appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in pondere montes, & colles in statera?* utiq; hic est sermo de Deo rerum Creatore, non autem de Moyse miraculorum suorum patratore: Ergo quoq; in addƈt. Prov. 30. est enim magna similitudo, & ferè identitas textuum, *Item.* Ibi nulla prorsus Moysis est mentio: Ergo ibi de eo non dicitur, ast de ipso Deo; aliàs posset pàrî fundamentô ineptire protervus, quòd & in Script. immediatè allatis, Job. 38. v. 4. & 8. ac Is. 40. v. 12. non sit sermo de Deo, ast de Moyse; quòd esset ineptum & impium, Moysen enim quasi omnipotentem, quia Creatorem & Conservatorem rerum, adèóq; parem Deo, faceret. *Item:* Quòd Moyses montem Sina ascenderit, atq; ex eo descenderit, ineptè dicitur, quòd ascendit in cœlum & descendit; aliàs pari modo quis dicet, quòd dum Deut. * ult. v. 1. & sqq. de eodem Moyse dicitur, quòd jussu Dei montem Nebo ascenderit, in eoq; mortuus fuerit, eum in cælum ascendisse ac in eo mortuum esse; quòd esset contra Script, quæ appellat cœlum Ps. 26. v. 13. Ps. 51. v. 7. & Ps. 141. v. 6. *terram viventium.* Ps. 114. v. 9. *regionem vivorum.* Ps. 141. v. 6. *lumen viventium,* nullibi autem moriturorum, mortuorum, vel morientium. Falsum etiam est, quòd Moyses omnes terminos terræ suscitavit, i. e. (ut explicant judæi) conturbavit; ille enim tantùm exterruit & conturbavit Edom, Moab, habitatoresq; Chanaan ut in citt. Exod. * 15. ipse dicit; illi autem populi non erant omnes fines terræ, ast tantùm exigua pars illius. *Item:* Si quis fingeret quòd ante Moysen fuit aliquis alius, qui talia ac ille patrabat

Z.

* *Elle Haddebarim.*

* *Veelle Semoth.*

trabat

trabat miracula, non convincerent eum per hoc falsitatis judæi dum interrogarent: *Quod est nomen ejus, & quod est nomen filij ejus?* nam facilè respondere posset, sicut nomen ejus, sic & nomen posterorum ejus, vetustate temporis è memoria hominum jam dudum esse deletum, sicut quoq; nomina plurium vetustarum gentium è memoria hominum exciderunt. Vel illum cælibem fuisse, posteritatemq; nullam habuisse, ut etiam Josue, Elias, & Eliseus plura magna miracula patraverunt, cælibes tamen fuerunt, & posteritatem nullam habuerunt. Si ergo sic (ut fingunt judæi) hæc Script. explicari deberet, tunc ad convincendum illum mendacem, Deus per eam ineptum ac inefficax porrigeret medium, quòd dicere, est blasphemare. *Demum:* Salomon in illo Prov. * 30. v. 2. dicit se esse stultissimum virorum, & sapientiam hominum non esse secum, hujusq; v. 4. caussam subjungens, dicit se nescire: *Quis ascendit in cælum, atq; descendit* &c. ac: *Quod est nomen Ejus, & quod est nomen Filij Ejus?* non diceret autem se stultissimum, si de Moyse, alioq; viro pari Moysi in miraculis loqueretur; quivis enim (multò magis Salomon, tunc adhuc sapientissimus) probè novit, ante Moysen non fuisse ullum alium hominem similem illi in miraculis; Non igitur de Moysi miraculis, ast de operibus Dei Creatoris id dicitur, respectu cujus sapientiæ & omnipotentiæ cognoscendæ Salomon quoq; verè fuit stultissimus, licet aliàs in se sapientissimus. Ad *rationem* dico: Illam esse frivolam. Nam, (præterquam, quòd etiam de Christo intelligi potest Script. ille enim in Incarnatione descendit de cælo, ac post Resurrectionem ascendit in cælum, ut de eo Ephes. 4. v. 10. dicitur: *Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cælos*) explicent nobis judæi illas Script. quæ expressè dicunt, quòd Deus in

Aa.

* *Misle.*

Bb.

cælum

cœlum ascenderit ac ex eo descenderit; quod ascenderit, Ps. 17. v. 11. *Ascendit super Cherubim & volavit.* Et Ps. 46. v. 6. *Ascendit Deus in jubilo.* Et Ps. 67. v. 33. & 34. *Psallite Deo, qui ascendit super cælum cæli ad Orientem.* Quòd descenderit autem, Gen.* 11. v. 5. *Descendit autem Dominus ut videret civitatem & turrim.* Ac ibid. v. 7. *Descendamus & confundamus ibi lingvam eorum.* Et Gen. 18. v. 21. *Descendam & videbo, utrum clamorem qui venit ad me, opere* (Sodomitæ & Gomorrhitæ) *compleverint.* Et Ps. 17. v. 10. *Inclinavit cælos, & descendit* &c. Utiq; expressè hæc dicuntur de ipsomet Deo, suntq; omninò in sensu legitimo vera. Sensus ergo illius Prov. * 30. est; quod Deus, non mutatione loci, ut pote immensus, ast sapientiâ suâ & operatione quasi ascendit in cælum, & descendit, dum in creaturis cælestibus & terrestribus omnia operatur, cælos sideraq; creando, ornando, ordinando, movendo; in äére, terra, ac mari omnia producendo, conservando, gubernando; cujus nomen, Filijq; ejus Unigeniti nemo, sine illius revelatione, novit, ut & Matt. 11. v. 27, Christus dicit: *Nemo novit Filium, nisi Pater: neq; Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius* (hìc per fidem obscuram, in cœlo per visionem claram) *revelare. Addo:* Magis adhuc esse futile, illud aliorum Judæorum, dum dicunt, illud Prov. 30. non intelligi de Deo creante, ast de homine sapiente plane illa opera Dei cognoscente. Magis inquam futile: quia Script. hìc non interrogat: Quisnam opera Dei planè cognoverit? ast, quisnam est hìc qui ea patraverit? h. e. *Quis ascendit in cælum, atq; descendit? quis continuit spiritum* &c. Maximè quia idem Salomon Ecclæ * 3. v. 11. dicit, quòd nullus homo mortalis opera Dei creata possit planè & perfectè cognoscere: *Mundum tradidit disputationi*

Marginal notes: * Beresith. — Cc. — * Misle. — Dd. — * Coheleth.

sputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usq; ad finem.

IV. Deus dicitur esse Deus à Deo Gen. * 19. v. 24. *Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cælo.* Hæc Phrasis: *Pluit Dominus à Domino* (secundùm plures SS. PP. *) eadem est acsi diceretur: Pluit Deus à Deo, seu Filius à Patre: Filius enim à Patre uti essentiam sic & omnipotentiam, omnemq; vim pluendi, agendi, impiosq; puniendi accepit; nam *Pater* (Joan. 5. v. 22.) *non judicat quemquam: sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Hinc in veteri fædere (secundùm plures) Filius apparere ferè semper solebat, Legem dando, Patriarchas instruendo, Prophetas alloquendo; nam ille ipse, non autem Pater, vel Spiritus S. erat appariturus hominibus in humana carne assumpta, ac Baruch * 3. v. 36. & *sqq. Hic Deus noster, qui post hæc in terris visus est & cum hominibus,* in carne humana, *conversatus est, adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Jacob puero suo, & Isräel dilecto suo.* Indeq; teste D. Hilario * Synodus Sardycensis Can. 14. 15. & 16. definit: *Si quis Filium non dicat Abrahæ visum, sed Deum innascibilem, vel Patrem ejus: anathema sit. Si quis cum Jacob non Filium quasi hominem colluctatum, sed Deum invisibilem, vel Patrem ejus dicat: anathema sit. Si quis, pluit Dominus à Domino, non de Filio & de Patre intelligat, sed ipsum à se pluisse dicat: anathema sit. Pluit enim Dominus Filius à Domino Patre.* Quam definitionem Synodi citt. D. Hil. probat (uti patet legenti) & amplectitur, sicq; illas Script. *L. 4. & 5. Trin.* ut hæc Synodus explicat. *Addo*: Ps. 2. v. 12. ubi nos cum vulgata legimus: *Apprehendite disciplinam*; judæi in hebr. * legunt: *Nasku Bar.* i. e. *Osculamini Filium.* Ubi non est sermo de

* *Beresith.*

* *S. Hil. l. 5. Trin. Hier. in c. 2. Zach. Aug. & alios.*

* *Jeremiæ.* Ec.

* *De Synodis advers. sus Arianos.*

* *Teste D. Hier. in hunc locum*

quocumq; Filio aſt de ſolo Divino à nobis oſculando, ſeu diſciplina & doctrina ejus apprehendenda & obſervanda, ſtatim enim ibi ſubditur; *Nequando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta*; de ſolo enim Filio Divino abæterno, qui eſt Deus à Deo, non autem de quocumq; vel qualicumq; alio, verum eſt dicere, quòd niſi quis eum oſculatus fuerit, ejuſq; diſciplinam & doctrinam apprehenderit, iraſcetur ei Dominus, & peribit de via juſta, juxta illud de Meſſia (qui mox *Art. III.* Filius Dei, veruſq; Deus eſſe oſtendetur) dictum à Deo Deut. * 18. v. 19. *Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor exiſtam* Dicitur etiam Deus à Deo prodire & parturiri; ut Eccl. 24. v. 5. Sapientia abæterna dicit: *Ego ex ore Altiſſimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.* Et Prov. * 8. v. 25. ait: *Ante colles ego parturiebar.* Vtiq; non ex aliquo alio, aſt ex Deo, qui ſolus ante colles, ſeu ab æterno fuit. Hæc dici de Sapientia Dei abæterna patet, quia ipſa Eccli 25. v. 5. & 6. dicit ſe eſſe primogenitam ante omnem creaturam, & v. 14. ab initio & ante ſæcula creatam. Et Prov. 8. v. 22. & 23. à Domino in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio poſſeſſam, ac ab æterno, & antequam terra fieret, ordinatam, & v. 24, ac 25. dum necdum erant abyſſi conceptam, & ante colles parturitam. Dicit Eccli 24. v. 6. ſe feciſſe in cælis ut oriretur lumen indeficiens. Et Prov. 8. v, 30. cum Deo cuncta compoſuiſſe &c. per quæ æternitas & omnipotentia, conſequenter & Eſſentia illi attribuitur. Quamvis autem in addct. Eccli dicit ſe ab æterno creatam, tamen hìc creatio impropriè, ſcil. pro generatione ſumitur; ſicut dum Pſ. 101. v. 19. dicitur: *Populus qui creabitur, laudabit Dominum*; creatio impropriè ſcil. pro generatione accipitur,

Ff.

* *Elle Hadebarim.*

* *Miſle.*

Gg.

tur, populi enim non creantur propriè aſt generantur; ut & vulgò in humanis dicitur, quòd v g. hìc homo filium procreavit, h. e. genuit. Et *ratio* eſt: quia Sapientiæ Dei, æquè ac Omnipotentiæ vel Bonitati &c. repugnat ſtrictè creari, aliàs non eſſet Divina aſt creata. Hinc non eſt hìc ſermo (ut volebant ariani per ſocinum impium anti-trinitarium in Polonia quondam propagati) de ſapientia in genere & in abſtracto; talis enim ſapientia in genere nec de Ore Altiſſimi providit, primogenita ante omnem creaturam, à Deoq; concepta ac parturita non fuit, utq; oriretur in cælo lumen indeficiens non effecit, cunctaq; cum Deo non compoſuit; qualis eſt hæc Divina. Nec eſt ſermo de Sapientia Divina eſſentiali, per quam omnia Deus ſapienter condidit; tali namq; ſapientiæ non convenit dicere: *Ex Ore Altiſſimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. Concepta eram. Parturiebar*; aliàs ſic Eſſentia Divina realiter diſtingui à Sapientia ſua eſſentiali deberet, quia Eſſentia eſſet id à quo illa prodiret, eſſetq; concipiens, ac parturiens; ipſa verò Sapientia eſſet prodiens, concepta, & parturita, prodiens verò ab illo à quo prodit, conceptum à concipiente, parturitum à parturiente, diſtinguitur realiter. Repugnat autem ſimplicitati Divinæ ut ab Eſſentia ejus Sapiētia eſſentialis illius diſtinguatur realiter. Multò minùs eſt ſermo de ſapientia ut perſona ficta, quæ quaſi loquens per proſopopæjam inducitur. Nam hæc Sapientia dicitur in locis addct. à Domino in initio viarum ſuarum poſſeſſa, ante abyſſos concepta, ante colles parturita, in cœlo ut oriretur lumen indeficiens effeciſſe, cuncta cum Deo compoſuiſſe, & cum eo per ſingulos dies delectatam eſſe &c. Quis autem dicet, niſi demens? quòd Deus perſonam fictam, proinde ens rationis in initio viarum ſuarum poſſe-

Hh.

 derit?

derit? quòd illud ante abyssos conceptum, ac ante colles parturitum fuerit? quòd ut in cœlo lumen indeficiens oriretur effecerit? quod cum Deo cuncta composuerit? cum illoq; per singulos dies delectatum fuerit? Licet verò librum Ecclesiastici, ut & Sapientiæ, pro Canonica Script. judæi non agnoscant, (ob quod, tam hìc quàm alibi infra

Ii. ex his libris, testimonia contra illos non affero, receptis potiùs etiam ab ipsis Scripturis cæcitatem illorum demonstrando) nequeunt tamen cum aliqua probabilitate dicere verba à nobis allata ex Ecclesiastico falsa esse, simile enim est illud Eccli 24. v. 5. *Ego ex Ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam*; illi Prov. 8. v. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio*; librum autem Proverbiorum ipsi quoq; Canonicum reputant. Ego tamen hunc locum celeberrimum de processione Dei à Deo, scil. Filij æterni à Patre prætermittere nolui, ly enim: *Ego ex Ore Altissimi prodivi*, simile est illi Christi Joan. 8. v. 42. *Ego enim ex Deo processi*. Et illi Joan. 16. v. 27. *Ego à Deo exivi*.

* Misle.

V. Quòd Spiritui Sancto tribuantur prædicata Divina patet, 2. Reg. * 23. v. 2. & 3. *Spiritus Domini locutus est per me*, (ait David) *& sermo ejus per lingvam meam. Dixit Deus Isràël mihi, locutus est fortis Isràël, Dominator hominum.* En Spiritus Domini est Deus Isràël, fortis Isràël, Dominator

* Samuel.

Kk. hominum, quæ sunt utiq; prædicata soli Deo propria. Attribuitur quoq; ei quòd sit Creator, qui cœlos ornavit, firmavit, hominem fecit, ac reliquas creaturas creavit, ac renovavit, Job. 26. v. 13. *Spiritus ejus ornavit cælos: & obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus.* Et Job. 33. v. 4. *Spiritus Dei fecit me, & spiraculum Omnipotentis vivificavit me.* Et Psl. 32. v. 6. *Verbo Domini cœli firmati sunt: & Spiritu oris ejus*

ejus omnis virtus eorum. Et Pſ. 103. v. 30. *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur: & renovabis faciem terræ.* Attribuitur etiam illi immenſitas Pſ. 138. v. 7. *Quò ibo à Spiritu tuo?* Hinc Sap. 1. v. 7. licet apud judæos hic liber non ſit Canonicus) dicitur: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Demum: Omnipotentia, ac infinita Sapientia, ita ut eum nullus adjuvare poſſit, ac ei conſilium dare, illumq; inſtruere, Iſ. 40. v. 13. ac 14. *Quis adjuvit Spiritum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit, & oſtendit illi? cum quo inijt conſilium, & inſtruxit eum? Addo* illud Pſ. 50. *Et Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.* Ubi hæc Perſona Divina expreſsè *Spiritus Sanctus* dicitur, ut & in novo fædere appellari ſolet. Pariter clarè *Spiritus Sanctus* exprimitur Sap. 1. v. 5. Sap. 9. v. 17. ac Eccli 1. v. 9. licet hos libros (ut jam monui) judæi pro apocryphis habeant. Stultum autem eſſet dicere, hìc dici de angelis, qui dicuntur Spiritus Dei Pſ. 103. v. 4. *Qui facit angelos ſuos ſpiritus.* Vel de vento, qui Pſ. 148. v. 8. *ſpiritus procellarum* appellatur. Stultum inquam; illa enim prædicata & attributa Divina nequeunt competere angelo, multò magìs vento. *Dices.* cum judæis: Hæc intelligi de natura Divina, ut ſenſus ſit, quòd Deus ſit ſpiritus, i. e. ſpiritualis naturæ. *Reſp.* Sic non poſſe intelligi. Nam in addđ. Script. non dicitur in recto: Spiritus Deus. Spiritus Dominus; aſt in obliquo: *Spiritus Dei. Spiritus Domini. Spiritus ejus. Spiritus oris ejus.* &c. Ergo id nequit intelligi de natura Divina, ut ſenſus ſit, quòd Deus ſit Spiritus, ſeu ſpiritualis naturæ; alias deberet dici in recto: Spiritus Deus Spiritus Dominus. Sicut Joan. 4. v. 24. quia voluit Chriſtus exprimere Deum eſſe ſpiritum, ſeu ſpiritualis naturæ, dixit in recto: *Spiritus eſt Deus.* LI.

Demonſtr. Tertio: Ex illis Script. in quibus ter repetitur

* Veelle Semoth. titur ly: Deus, Dominus, Jehova, Sanctus. *Nam* Exod. * 3. v. 6. dicit Deus ad Moysen: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob.* Ubi (dicit D. Basilius in Catena) per ly: Deus ter repetitum, significatur Unitas Divinæ Essentiæ in Tribus Personis. Insuperq; Abraham Patrem

Mm. Divinum repræsentat, quia ille est principium Filij & Spiritûs S. sicut Abraham Isaaci & Jacobi. Isaac Filium, quia est ex Patre, sicut Isaac ex Abraham. Jacob Spiritum S. sicut enim ex Abraham & Isaac procedebat Jacob, sic Spiritus Sanctus ex Patre Filioq; *Item*: Num. * 6. v. 23. & sqq. dicit ad eundem: *Loquere Aaron & filijs ejus: sic benedicetis filiis Israel, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, & custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.* Quam benedictionem dum dabat Aaron, vel aliquis sacerdos de filijs ejus, debebat (ut refert Petrus Alphunsi *) ante vultum palmas utriusq; manus suæ protensas habere. Dum verò dicebat ly: *Dominus* (quod exprimebat Nomine Dei Tetragrammaton, h. e. *Jehova*,) tres digitos priores, scil. pollicem, indicem, & medium utriusq; manus, rectos altius erigebat; prolatoq; ita ly: *Dominus*, seu *Jehova*, digitos ut prius remittebat. En hîc tam in Nomine *Dominus* seu *Jehova*, trina repetitione, quam in trium digitorũ trina elevatione, MysteriumTrinitatis, non adèò obscurè adumbratũ fuit. *Item*: Deut. * 6. v. 4. *Audi Israël, Dominus Deus noster, Deus unus est.* Et simile est huic Ps. 66. v. 7. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* In quo utroq; textu (ut in Ps. 66.

Nn. D. Hier. advertit, & cum eo alij) in voce qua secundô locô nominatur *Deus*, additur ly: *Noster*, ad indicandam Incarnationem qua secunda Persona Divina, h. e. Filius factus est *Deus noster*, quia factus est *Emmanuel*, i. e. *Nobiscum*

Deus

* Vaiedabber i. e. Et locutus.

* In Dialog. suis pag. 180.

* Elle Haddebarim.

Deus, nobisq; eſt datus & natus. *Item*: Pſ. 44. v. 7. & 8. *Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi: virga directionis virga regni tui. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* En hìc Deus, cujus ſedes in ſæculum ſæculi, dicitur unctus (puta, quò ad Humanitatem quam aſſumpſerat) à Deo & Deo, nomenq; Deus triplicatur, ut Tres Divinitatis Perſonæ (ut notat Lyran *) exprimantur. *Item*: Iſ. 6. v. 3. Seraphim ſtantes ante Deum clamabant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.* Supra quod D. Hier. inquit: *Dicunt Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum: ut myſterium Trinitatis in una Divinitate demonſtrent. Neq; dicant* judæi: Has, & ſimiles repetitiones, non ſignificare Tres dari in Deo Perſonas, aſt tantùm abundantiam affectûs denotare; ſicut quoq; Can. * 1. v. 14. dum dicitur: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es*, non ſignificatur per hoc ſponſam eſſe duplicem vel multiplicem, aſt abundantia affectus exprimitur. *Non dicant* inquam: Nam jam ſupra oſtenſum varijs & clariſſimis Scripturarum textibus, dari Tres Perſonas in Deo. Cur ergo id non debeat colligi & ex locis hìc adductis aſt tantùm affectûs abundantia? *Item*: Si tantùm ob abundantiam affectûs non autem ob divinæ Trinitatis myſterium nomina illa addct. Scripturæ repeterent tunc non deberent id terna tantùm vice facere (ut conſtanter in illis locis faciunt) aſt tantùm binâ) vel plus etiam quàm ternâ; ut quoq; in citt. Cant. loco, bis tantùm repetitur: *Ecce tu pulchra es, ecce tu pulchra es.* Et Pſ. 117. ly: *Quoniam in ſæculum miſericordia ejus*, repetitur quinquies. Ac Pſ. 135. ly: *Quoniam in æternum miſericordia ejus*, repetitur vigeſies ſexies &c. Non fit ergo id tantùm ob affectûs abundantiam. *Item*: Nullum eſt fundamentum dicendi

* *In lib. contra perſidiam jud.*

* *Sir Haſirim. i. e. Canticum Canticorum.*

quòd dum Deus Exod. * 3. dixit Moysi: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac* &c. dixit id ex abundantia affectûs; Deus enim affectibus non regitur, aliàs ad quem hos affectus dirigeret? Pariter ad abundantiam affectûs nequit illud rejici, quòd Sacerdos Num. * 6. benedicens populo, nomenq; *Dominus* seu *Jehova* ter ibidem repetitum pronuntians erigebat in altum tres digitos manuum. Si enim non aliquòd mysterium id denotaret ast tantùm nudam affectûs abundantiam, deberet totas manus erigere, uti fecit Psaltes Ps. 87. v. 10. abundantiam affectus sui exprimens: *Clamavi ad ad te Domine tota die: expandi ad te manus meas.* Et Ps. 142. v. 6. *Expandi manus meas ad te; anima mea sicut terra sine aqua tibi.* *Addo:* Quòd & illud Cant. 1. *Ecce tu pulchra* &c. non ad abundantiam affectûs denotandam, ast ad significandum mysterium iteretur; nam id vel debet intelligi non de una ast de duplici sponsa, i. e. de Sponsa Ecclesia, ac de Sponsa Anima: vel si de Sponsa Anima tantum, tunc de duplici ejus pulchritudine, scil. animæ & corporis.

* Veette. Semoth.

Pp.

* Vaiedabber.

Accedunt rationes hocce Dogma Divinum persvadentes, & *veteres Rabbini* illud agnoscentes. *I. Ratio:* Deus est summè Bonus, proinde etiam summè comunicativus; (quia, secundùm D. Dionys. & rectam rationem, *omne bonum est sui communicativum*; aliàs si non esset, neq; bonum esset) Ergo pluribus, quam uni, Personis, summam suam & infinitam Bonitatem adèóq; & Naturam Divinam communicare debuit. Licet enim creaturis plurima bona sua communicaverat, præsertim angelis & hominibus, tamen quidquid communicavit, & quidquid (etiamsi in infinitum creaturas creasset) communicare potest, id totum pene est nihil si cum summa illa & infinita Bonitate & Communicabilitate Divina conferatur. Omnia enim quæ communicavit

Qq.

sunt

sunt bona finita, ad ipsamq; Essentiã infinitam non pertinent.
II. Repugnat ut Deus sit solitarius; (aliàs non esset beatus,
consequenter, miser, & non Deus, esset) si autem in Deitate
sua plures non haberet Personas, esset solitarius: nam non
haberet quem Divino suo modo alloqui, cum eoq; conver-
sari posset. Ab æterno enim nullas creaturas habuit; nunc
autem quamvis illas habeat, maximè angelos & homines, ta-
men illas modô suô divinô alloqui, cum illisq; conversari
nequit: infinities enim magis distant ab eo, quàm bruta ab
homine. Ut ergo homo esset solitarius & miser, si inter bruta
animalia solus esset creatus, aliosq; homines, eosdem secum
in natura specifica, non haberet, (quod & ipse Deus a-
gnovit Gen. * 2. v. 18. dicens: *Non est bonum hominem es-*
se solum, faciamus ei adjutorium simile sibi) solitarius quoq; Rr.
ac miser esset Deus, si in una Deitate sua (plures enim dei- * *Beresith.*
tates implicant) plures Personas quàm unam non haberet.
III. Deus nequit esse sterilis, ut ipse protestatur Is. 66. v.
9. (hoc enim esset in eo magna imperfectio; cùm enim
omnes ferè creaturæ viventes, ut plantæ, bruta, homines
simile sibi generent, aut saltem generare possunt, cur non
Deus?) Ergo per intellectum Filium sibi Consubstantialem
genuit, & per voluntatem Spiritum S. spiravit. Quamvis
autem angeli sint creaturæ viventes ac perfectissimæ, non
possintq; sibi generare simile, tamen non sequitur quòd
nec Deus generet; angeli enim sunt tantùm creabiles, re-
veraq; sunt creati in numero ferè innumerabili, proinde
habent sibi similes, naturaq; illorum est satis communicata
plurimis; secus esset in Deo. *IV.* Deus est Ens præstan-
tissimum & peculiarissimum, à reliquis omnibus entibus,
ut pote à se conditis, infinitè differens: (nam si artifex ab
artefacto suo, totô cœlô differt, quantò magis Deus à qua- Ss.

cumq; vel qualicumq; creatura sua) Ergo debet habere in Essentia Deitatis suæ aliquid præstantissimum & peculiarissimum, per quod ab omnibus creaturis differat; proinde sicut differt ab eis Attributis, v. g. Immensitate, Infinitate, Omnipotentiâ &c. (horum enim nihil est simile in creatis) sic quoq; in Natura & Personalitatibus, ita scil. ut sit in Natura Unus, & in Personis Trinus; qualis nulla est creatura aut potest esse. *V.* Creatura potest habere tres naturas, distinctas à se realiter, & unam indistinctam personam: (nam homo constat anima spirituali, carne materiali solida, & sangvine fluido; & tamen est una indistincta persona) cur ergo & Deus non possit in una Deitate indistincta Tres distinctas Personas habere? maximè quia ejus Deitas est infinita, adèóq; pluribus Personalitatibus terminari potens. *VI.* Natura creata si non esset finita, posset, etiam eadem numerô, pluribus communicari personis: (tota enim ratio est, cur sic communicari non possit, ast numerô multiplicari debeat? quia est finita) Ergo cùm Natura Divina est infinita, eadem numerô pluribus po-
Tt. test, ac reipsa communicatur, Personis &c. *Quantùm ad Rabbinos*: super illud Ps. 49. v. 1. *Deus deorum Dominus locutus est.* Ubi in hebr. loco ly: *Deus deorum Dominus*, ponuntur tria Divina Nomina h. e. *Hel, Heloim, Jehova*, Glossa hebraica, judæis authentica quærit: Quare hìc nominatur ter Deus? Et respondet: *Ut ostendatur quia Deus in tribus proprietatibus creavit sæculum.* Et clariùs (teste Lyran. *) super illud Ecclæ * 4. v. 12. *Funiculus triplex difficile rumpitur.* Eadem Glossa ait: *Sensus videtur esse: mysterium Trini Dei & Unius non de facili discutitur.* Ac clarissimè (teste Galatino *) veteres Rabbini docebant quòd Nomen Dei Tetragrammaton scil. *Jehova* significet *Generantem.* Generans autem nequit

* Libello contra perfidiam judæor.
* Coheleth
* L. 2. de arcanis Catholic. veritat.

quit esse utiq; sine Genito. Imò hoc Nomen Divinum sic interpretatur R. Haccados dicens: *Pater Deus, Filius Deus, Spiritus S. Deus.* Ineptiunt autem moderni judæi, qui ad illud primum in quo dicitur quòd in tribus proprietatibus creaverit Deus sæculum, dicunt id intelligi non de Tribus Personis, ast de tribus attributis Divinis, i. e. sapientia, Bonitate, & Potentia, in quibus ille mundum condidit & conservat. Ineptiunt inquam. Nam Glossatores illi in sequentibus locis add&. clarè se explicant quòd de mysterio Unius Dei & Trini, Dei Generantis, ac Patris, Filij, & Spiritûs S. loquerentur, non verò tantùm de illis tribus attributis Divinis. Deinde: Non in sola Sapientia, Bonitate, & Omnipotentia Deus mundum condidit & conservat, ast & in Misericordia, Justitia, & Providentia. Si ergo vellent veteres illi Rabbini non de Tribus Personis, ast de attributis Divinis creationem & conservationem rerum concernentibus, illud dicere, non dicerent, in tribus, ast in sex proprietatibus Deus mundum creavit. Dicunt ergo de Tribus Proprietatibus, h. e. Paternitate, Filiatione, Spiratione, Personas Divinas constituentibus, quæ Personæ sunt unus mundi Creator & Conservator, nam opera Trinitatis ad extra sunt indivisa. Uu.

ARTICULUS II.

Quòd Messias erat futurus non purus tantùm homo, ast etiam DEUS.

DEmonstr. I. *Ex Lege*: Gen. * 24. v. 2. & 3. Abraham adjuraturus servum suum, seniorem domus suæ, idq; juramento maximô & solemnissimô, ait ei: *Pone manum tuam subter femur meum, ut adjurem te per Dominum Deum cœli & ter-*

* Bereschith.] A.

ræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum. Cur hac ceremonia fit Abraham usus? rationem dant Patres * quòd ex Divina revelatione sciebat illum Dominum Deum cœli & terræ, nempe Messiam ex femore suo nasciturum, indeq; per femur, consequenter per Dominum cœli & terræ Messiam, præcipit servo suo jurare. *Manum sub femore jubet ponere; quia per membrum illud descensura erat caro Ejus, Qui Filius Abrahæ esset ex Humanitate, & Dominus ejus ex Divinitate; quasi dicat: tange Filium meum, & jura per Deum meum.* Ait D. Greg. * En Abraham agnovit Messiam ex se nasciturum, non purum hominem, ast Dominum Deum cœli & terræ futurum. Quòd enim dicunt judæi, quòd ob reverentiam circumcisionis, quæ in membro femori vicinio celebratur, id fecerit. Falsum est. Nam solus Abraham, & eum post secutus nepos ejus Jacob, Gen. * 47. v. 29. hac ceremonia suos adjurârunt, quia ex eis per directam lineam Messias oriturus erat; reliqui autem judæi, quamvis omnes erant circumcisi, non solebant jurare ponendo manum subter femur, ast eam in altum elevando. Hinc & David Ps. 62. v. 5. dicit: *Et in nomine tuo levabo manus meas.* Et ipsemet Abraham, dum esset in alijs circumstantijs, quæ non tangebant Christum ex eo nasciturum, jurans regi Sodomorum Gen. 14. v. 22. & 23. ait: *Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cœli & terræ, quòd à filo subtegminis usq; ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt.* Non fiebat ergo hæc ceremonia ob reverentiam circumcisionis, ast ob dictum mysterium.

* *Ut D. Hieron. Ambros. Aug. Greg. & alij citat. à Cornel. à Lap.*

* *citt. ab eod.*

* *Beresith.*

B.

Demonstr. II. *Ex Psalmis.* Ps. 71. v. 1. de Messia (ut & judæi consentiunt) dicitur: *Deus judicium tuum regi da: & justitiam tuam filio regis.* Per quæ exprimitur duplex natura Messiæ, Divina, secundùm quam dandum est ei judicium

cium Dei & justitia, id enim soli Deo tantùm competere potest, ac creaturæ puræ dari nequit, ut & Deus Is. 42. v. 8. protestatur dicens: *Ego Dominus, hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo.* Humana verò, secundùm quam ille est Filius regis, h. e. David. Et infra v. 5. magis adhuc in eo Natura Divina exprimitur dum dicitur: *Et permanebit cum sole, & ante lunam, in generatione & generationem.* Ac v. 11. *Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes servient ei.* Et v. 17. *Sit nomen ejus benedictum in sæcula: ante solem permanet nomen ejus.* Horum enim nihil de puro homine, qui simul non sit Deus, verificari potest; non enim purus homo fuit talis, ut illius dignitas & potestas (hæc etenim quandoq; in Script. significatur per nomen, ut dum 2. Reg.* 7. v. 9. dicit Deus ad David: *Feciq; tibi nomen grande juxta nomen magnorum qui sunt in terra.* Et alibi) ante solem, ipseq; cum sole & ante lunam permaneret; ac non illum, ast solum verum Deum, adoraturi erant omnes reges terræ, omnesq; ei Gentes servituræ, juxta Ps. 21. v. 28. *Convertentur ad Dominum universi fines terræ: Et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ Gentium.* Simile est & illud Ps. 109. v. 1. *Dixit Dominus Domino meo: sede ad dextris meis.* Quod Christus Matt. 22. v. 42. pharisæis objecit, interrogans, cujus Filius esset Christus? Cui cùm illi respondissent: Esse David; Christus subjunxit: *Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? si ergo David vocat eum Dominum, quomodo Filius ejus est?* Ad quod illi ita erant confusi, ut & nihil respondere poterant, & ampliùs de aliquo eum interrogare ausi non fuerant. Jam enim tunc (ut & nunc moderni judæi) excæcati erant, Messiamq; Deum fore non agnoscebant, qui secundùm Hu-

C.

* *Samuel.*

D.

manitatem

manitatem, Filius David esset, at secundùm Divinitatem, Dominus ejus fuisset. Ex his namq; Messiam esse Deum, non autem purum hominem patet: *Tumq;* ly: *Dixit Dominus Domino meo,* translatio Chaldaica, apud judæos authentica (teste Lyran.*) legit: *Dixit Dominus Verbo suo*; h. e. non Abrahæ, non David, non Ezechiæ (ut ineptè aliqui ex judæis volunt) ast Verbo seu Filio suo Messiæ, Deus Deo. *Tumq;* Ibi subditur: *sede à dextris meis.* Quæ autem creata aut creanda pura creatura, talis esse posset, ut à dextris sedere; ac æquari Deo valeret, nam *quis* (Ps. 88. v. 7.) *in nubibus æquabitur Domino: similis erit Deo in filijs Dei?* Cùm enim omnis creata vel creanda creatura, quantumvis præstantissima, ut pote finita & limitata, infinitis à Deo infinito distet, nulla inter Eum & illam potest esse æqualitas, quia & nulla proportio. *Tumq;* v. 3. in eod. Ps. dicitur: *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum: ex utero ante luciferum genui te.* Per quòd etiam abæternitas, ex Deo nativitas, proindeq; & Divinitas Messiæ clarè exprimitur, ut jam dixi *Art. I. litt.* R. Adde illud Ps. 44. v. 7. & 8. de Deo uncto & ungente, de quo *in eod. Art. litt.* Nn.

* In libello contra perfid. jud.

E. Demonstr. III. *Ex Prophetis.* *Nam:* Is. 7. v. 14. de Messia dicitur: *Vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Ubi ly: *Emmanuel.* ex her. significat: *Nobiscum Deus,* i. e. simul Deus & Homo. Et Is. 9. v. 6. *Parvulus enim natus est nobis, & Filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Hic per ly: *Parvulus natus est nobis* innuitur in Messia natura humana, secundùm quam esse parvulus, nasciq: nobis in tempore potuit. Et per ly: *Vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus* &c.

exprimitur

exprimitur clarè Divina. *Neq; dicant judæi:* Hæc ita esse legenda: *Parvulus natus est nobis* &c. & vocabit nomen ejus ille, qui est Admirabilis, Consiliarius, Deus &c. non verò quòd ille parvulus natus, sit Deus vocandus *Non dicant* inquam. *Nam*, teste Petro Alphunsi * rabbini docent Messiam septem illa nomina habiturum, consequenter & *Deum* vocandum. *Deinde*: Messias (ut mox ex Jeremia patebit) vocandus erat summo Nomine Dei, i. e. *Jehova*; Ergo vocandus erat & Deus. *Demum*: Hìc de Messia aliquid singulare prædicitur, (uti patet) si autem non ipse nominibus illis esset vocandus, ast Deus, eis vocatus, esset illum aliquô aliô nomine vocaturus, nil singulare prædiceretur, de illo. Nam utiq; pluribus ante illum solus Deus nomen imposuit, ut Gen. * 5. v. 2. protoparentibus, dum *vocavit nomen eorum Adam, in die quo creati sunt*; & Gen. 17. v. 5. Abræ, vocando illum *Abraham*, Saraiq; uxorem ejus, ibid. v. 15. appellando *Sara*; & Gen. 32. v. 28. Jacob nominando *Israël*; ac 3. Reg. * 13. v. 2. trecentis annis ante nativitatem Josiæ regis Juda (teste Corn. *) illius nomen vocavit; pariter Cyri regis Persarum Is. 45. v. 1. ducentis annis ante ejus ortum, nomen expresse prædixit. *Addo*: Si Messias nominibus illis non esset vocandus, ast tantùm Deus illum alio aliquo nomine vocaturus, non esset ratio cur nam hìc Deo, Messiam alio nomine vocaturo, tot & talia nomina illa tribuantur; nam cùm supra immediatè nominatos nominibus suis appellaverat, non dicitur nisi Deus, aut Dominus. Messias ergo ipse nominibus illis erat vocandus, quia etiam, ex Isaia & Jeremia (quod nec judæi audent negare) vocandus erat *Emmanuel* & *Jehova*; consequenter, *Admirabilis*, *Consiliarius*, *Deus*, *Fortis* &c. futurus.

F.

* *in Dialogo contra jud. pag. 197.*

* *Beresith.*

* *Malachim.*

* *in 3. Reg. 13. v. 2.*

G.

Item

Item: Iſ. 25. v. 9. dicitur: *Et dicet* (populus à Meſſia ſalvatus) *in die illa. Ecce Deus noſter iſte, expectavimus eum, & ſalvabit nos: iſte Dominus, ſuſtinuimus eum, exultabimus, & lætabimur in ſalutari ejus.* Simile eſt illud Iſ. 35. v. 4. *Deus Ipſe veniet, & ſalvabit vos.* Et illud Iſ. 45. v. 14. & 15. *Tantùm in te eſt Deus, & non eſt abſq; te Deus. Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël Salvator.* Hìc de Meſſia dici patet, ille enim eſt, quem expectavimus, Meſſias autem Gen. * 49. v. 10. futurus erat *expectatio Gentium.* Qui etiam expreſsè Deus dicitur, & meritò, ſalvare enim (maximè ſalutè æterna) ſoli Deo eſt proprium. Unde Iſ. 45. v. 17, dicitur: *Iſraël ſalvatus eſt in Domino ſalute æterna.* Et Iſ. 43. v. 11. Ipſe Deus dicit: *Ego ſum, ego ſum Dominus, & non eſt abſque me Salvator.* Et Oſ. 13. v. 4. *Salvator non eſt præter me.* Et hinc, cùm ſolus Deus videat ſcruteturq; corda hominum, ac nulli puro homini convenire id poſſit, juxta illud 1. Reg. * 16. v. 7. *Nec juxta intuitum hominis ego judico: homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Et. 2. Paral. * 6. v. 30. *Tu enim ſolus noſti corda filiorum hominum.* Et alibi plurie; tamen hic Sanctus Propheta id Meſſiæ attribuit Iſ. 11. v. 3. dicens: *Non ſecundùm viſionem oculorum judicabit, neq; ſecundùm auditum aurium arguet: ſed judicabit in juſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſvetis terræ.* Sciebat enim eum non hominem purum, aſt & Deum verum futurum.

* *Bereſith.*

* *Samuel.*

H.

* Dibre *Haiamim* i. e. *Verba dierum.*

Item: Jer. 23. v. 5. & 6. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & ſuſcitabo David Germen Juſtum - - - & hoc eſt nomen, quod vocabunt Eum, Dominus Juſtus Noſter.* Idem eſt ferè in terminis Jer. 33. v. 15. & 16. *In diebus illis, & in tempore illo, germinare faciam David Germen juſtitiæ - - - & hoc eſt nomen, quod vocabunt Eum, Dominus Juſtus Noſter.* Hìc dum dicitur: *Suſcitabo, ac germinare faciam David Germen Juſtum, Germen*

juſtitiæ,

justitiæ, denotatur Christi Natura Humana, [oriunda] ex David. Dum verò auditur: *Et hoc est nomen, quod vocabunt Eum, Dominus Justus Noster*, exprimitur Divina. Pro ly: enim *Dominus*, in hebr. ponitur *Jehova*, quod nomen est maximè Deo proprium. Hinc Chaldæus vertit: *Vocabunt Eum Deum Justum nostrum*. *Neq; hic dicat* R. David. Nomen *Jehova* tribuitur quandoq; etiam creaturis, nec tamen sequitur illas esse Deum. Sic Moyses, Exod. * 17. v. 15. altare à se erectum vocavit *Jehova nissi*, i. e. *Jehova exultatio mea*, eò quòd in illo loco Deus super Amalecitas exaltavit Moysen, quos ille ibi devicit. Et Ezech. 48. v. ult. civitas Dei vocatur *Jehova scamma*, i. e. *Jehova ibidem*. *Non dicat* inquam: *Nam* Moyses de altari illo non dicit, quòd ipsum sit *Jehova* (cui enim potest in mentem venire, quòd ille, qui omnis idololatriæ fuit summus execrator & olor, hic in eam incideret, tribuendo insensibili ac inanimato altari nomen Dei incommutabile) ast dicit, quòd sit trophæum & signum denotans quòd Deus fuerit exaltatio ejus illum hostibus Amalecitis superiorem faciens; ut etiam Gedeon Judic. * 6. v. 24. altare suum appellavit *Domini pax*, non quasi ipsum esset pax Domini, ast quia trophæum erat & signum pacis Domini. Ex aliquo ergo Dei effectu rectè aliquid appellatur nomine derivativo à nomine Dei, non tamen potest rectè appellari *Deus*, ut aliquis homo rectè & piè *Adeodatus*, *Deodatus*, vel *Deusdedit* dicitur, non rectè autem nec piè absolutè *Deus* diceretur. Multò minùs Ezechiel civitatem Dei vocavit *Jehova* in recto, ast quòd in ea sit *Jehova*. Messias verò in addct. Script. vocatur *Jehova* in recto. Item: Baruch * 3. v. 36. & sqq. *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Jacob puero suo, & Israël dilecto suo.*

I. * *Veelle. Semoth.*

*! *Sophetim.*

K. * *Jeremiæ.*

Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est. Quid clarius dici potuit pro Divinitate Messiæ? Ille enim dicitur *Deus noster* qui per Moysen dedit Legem Jacob, & Isráél, ac qui *post hæc*, i. e. post datam Legem, dum est Incarnatus, in *terris visus est*, *& cum hominibus conversatus est.* *Falsum* autem *dicunt* judæi, hæc intelligi non de Deo Incarnato, ast de Deo in monte Sina ab Isráél viso, dum inibi Legem eis dabat. *Falsum* inquam: *Nam* hìc dicitur, quòd *post hæc*, i. e. post Legem datam *Hic Deus noster in terris sit visus, & cum hominibus conversatus*: Non dicitur ergo de Deo in monte Sina Isráéli legem tradente, ab eoq; viso, ast de Deo post Legem illam datam Incarnato. Imò falsum, & contra Scrip. est, quòd Israelitæ in monte Sina Deum viderint, cum eoq; conversati fuerint; nam Deut. * 4. v. 15. dicit ipse Moyses ad eos: *Non vidistis aliquam similitudinem, in die qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis.* Et ipsi soli rogaverunt Moysen Exod. 20. v. 19. *Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Insuper & ipse Moyses, quamvis de eo dicatur Exod. * 33. v. 11. *Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*, puta: in corpore assumpto formato ex àére; tamen Deum ipsum intuitivé non vidit, cùm ibid. v. 20. dixerit ad eum Deus: *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & vivet.*

* *Elle Haddebarim.*

L.

* *Veelle Semoth.*

Item Zach. 2. v. 8. & 9. *Hæc dicit Dominus exercituum: Post gloriam misit me ad Gentes - - - & scietis quia Dominus exercituum misit me.* En hìc à Zacharia asseritur aliùs Dominus exercituum missus, nempe Filius, alius mittens, h. e. Pater. Hic autem Dominus exercituum missus, scil. Filius est Messias; *tumq;* Is. 9. v. 6. *Filius datus est nobis*; *tumq;* ferè est idem add. Zach. cum illo Is. 61. v. 1. *Spiritus Domini super me, eo quòd unxerit Dominus me: ad annuntiandum*

mansvetis

mansvetis misit me. Id autem etiam ipsi judæi de Messia intelligunt; aliàs dicant nobis quisnam sit hic Dominus exercituum missus à Domino exercituum, prout ipse de se ipso testatur) si non est Filius Dei, consequenter verus Deus Messias? Hunc ergo Dominum exercituum misit Dominus exercituum *post gloriam*, i. e. post illam claritatem, *quam* (Joan. 17. v. 5.) *habuit prius, quam mundus esset*, in eadem Divinitate cum Patre; nam (Philip. 2. v. 6. & 7.) *cùm in forma Dei esset, & non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Post gloriam quoq; mirabilis doctrinæ ac stupendorum miraculorum ejus, de his enim Luc. 13. v. 17. dicitur: *Omnis populus gaudebat in universis, quæ gloriosè fiebant ab eo*; ac post gloriam gloriosæ Resurrectionis & Ascensionis suæ, tunc enim hic Dominus exercituum missus est à Domino exercituum *ad Gentes* non in se ast in Apostolis, quos, ad eas convertendas & baptizandas (Matt. ult. v. 19.) destinaverat. Dicere autem (ut quidam dicunt * textum adductum sic debere exponi: *Hæc dicit Dominus exercituum, quòd post gloriam Jerusalem mittet me Gabrielem ad Gentes.* Est improbabile; cùm aliqua verba addantur quæ non extant in textu; & aliàs possent & aliæ Script. similiter explicari, nihilq; certi in Scriptura relinqui. M.

* *Apud Cornel. à Lap. hic.*

Item: Mich. 5. v. 2: *Et tu Bethleem Ephrata parvulùs es in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israël, & egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis.* Ubi Propheta duas Messiæ Nativitates concelebrat, unam temporalem in Bethlehem; alteram æternam *ab initio à diebus æternitatis*; proinde illum esse non purum hominem, ast Hominem & simul Deum agnoscit. Quòd autem Messias *ab initio à diebus æternitatis* dicitur, id de sola prævisione seu præ- N.

destinatione abæterna Messiæ (ut aliqui ex judæis dicunt) non potest intelligi; hìc enim aliquid speciale de Messia prædicitur, prævisio autem & prædestinatio abæterna non est quid speciale, quia prævisio est communis creaturis omnibus, & prædestinatio Angelis sanctis & hominibus. *Dices* cum judæis: Illud Michææ: *Egressus ejus ab initio à diebus æternitatis* non debet intelligi de ipsomet Messia, ast tantùm de nomine ejus; nomen enim Messiæ (stultizant) fuit, & est ex septem rebus quæ sunt ante mundum conditæ. Septem enim res sunt ante mundi creationem creatæ, scil. lex, pœnitentia, infernus, sanctuarij domus, gloriæ thronus, æternus paradisus, & nomen Messiæ. Sic fabulantur illi * *Addit* R. kimhi hinc non sequi quòd Messias sit Deus, nam Deus est ante dies æternitatis, Michæas autem non dicit Messiam esse ante dies æternitatis ast *à diebus æternitatis*: *Resp.* Hoc frivolum ac ineptum esse. *Nam* illud: *Ex te mihi* (Bethlehem) *egredietur qui sit dominator in Israël*, intelligitur de ipsomet Messiâ qui in Bethlehem nasciturus erat, non autem tantùm de nomine ejus. Ergo & hoc, quod immediate subditur: *Et egressus ejus ab initio à diebus æternitatis*, intelligi debet de ipsomet Messia, non autem de nominè ejus; eodem enim modo ibi & hìc dicit Propheta. *Deinde*: Sic stultizando posset quisquam dicere quòd dùm Gen. * 8. v. 18. dicitur: *Egressus est ergo Noë* (de Arca) *& filij ejus.* Et Gen. 12. v. 4. *Egressus est itaq; Abram, sicut præceperat ei Dominus.* Et Exod. * 12. v. 41. *Egressus est omnis exercitus Domini* (h. e. populus Israël) *de terra Ægypti* &c. &c. non ipsemet sit egressus, ast tantùm nomen illius. Hoc autem, extrema foret stultitia. *Demum*: Lex, Pœnitentia, ac Nomen tantùm in aliquo subjecto esse possunt, scil. Lex in intellectu, Pœnitentia in voluntate,

Nomen

* *teste Lyran. libell. contr. perfid. judaic. & Granat. in Præparatione ad Catechis. pag. 711.*

O.

* *Beresith.*

* *Veelle Semoth.*

Nomen in ente quod illo nomine est vocatum. Lex autem illa creata in intellectu Divino ab æterno esse non poterat, aliàs aliqua in eo creatura esset; nec in aliquo creato, quia nullus talis intellectus ab æterno dabatur. Pœnitentia quoq; (quæ necessario in actibus pœnitentis consistit) nec potuit esse in voluntate Divina nec creata. Imò cùm pœnitentia sit de peccato præterito, ab æterno esse non potuit, prius enim tempore quàm illa deberet esse peccatum. Pariter Nomen Messiæ; nec in Deo, nec in Messia, qui (ut judæi blaterant) Deus non est, esse ab æterno poterat. Infernus tunc creatus fuit, dum & terra, (est enim pars seu centrum terræ) terra autem creata est in tempore i. e. in principio mundi juxta Gen. * 1. v. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Et mirum quòd judæi nolint esse cœlum ab æterno creatum, velint verò infernum, nisi fortè magis sibi appretient infernum quàm cœlum, ad illosq; pertineant qui Is. 28. v. 15. dicunt: *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum*; quod eis non invidemus, ast cæcitati illorum indolemus. Sanctuarij domus facta est à Moyse in tempore, dum scil. in deserto Exod. * 25. v. 8. præceperat Deus: *Facientq; mihi Sanctuarium, & habitabo in medio eorum.* Gloriæ thronus Dei est cœlum, dicente ipso Deo Is. 66. v. 1. *Cœlum Sedes mea, terra autem scabellum pedem meorum;* cœlum autem in principio mundi est creatum. Paradisus etiam est plantatus à Deo in tempore, nempe tertio die mundi, dum Gen. 1. v. 11. dixerat Deus: *Germinet terra herbam virentem & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum.* Et hoc juxta illud Gen. 2. v. 8. *Plantaverat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio.* Inanis est ergo; insuperq; contra Script. hæcce fabella judaica. *Ad additum*

* P. *Beresith.*

* *Veelle Semoth.*

ditum Kimhi, dico: Explicet nobis hic rabbi illud Pſ. 89. v. 2. *A ſæculo & uſq; in ſæculum tu es Deus.* Et Pſ. 92. v. 2. *Parata ſedes tua* (Deus) *ex tunc: à ſæculo tu es* &c. utiq; hìc ly: *A ſæculo*, poſitum eſt pro ly: *Ante ſæculum* i. e. ab æterno: (aliàs Deus non eſſet æternus, proindeq; nec Deus) Ergo pariter in addct. Mich. ly: *Ab initio, à diebus æternitatis*, ponitur pro ly: *Ante initium. Ante dies æternitatis*; maximè quia ex tot locis Script. jam patuit Meſſiam eſſe Deum, adèóq; æternum. *Addo*: Ad negandum Meſſiam eſſe Deum & Hominem, inter cætera hoc maximè movet judæos, quòd cùm (juxta nos) Pater, Filius, & Spiritus S. ſit Unus in Natura Deus, Paterq; ſine Filio & Spiritu S. Filius ſine Patre & Spiritu S. ac Spiritus S. ſine Patre & Filio nunquam eſſe poſſit, ſi Meſſias eſſet Deus, non eſſet tantùm Deus Filius, aſt etiam Deus Pater & Spiritus S. quod nos non admittimus.

Q. At leve hoc eſt motivum; quamvis enim verum ſit; quòd Pater Filius, & Spiritus S. ſit Unus in Natura Deus, hiq; Tres ſemper & inſeparabiliter ſibi per Circumincesſionem ſeu Circuminesſionem vel Circuminſesſionem inſint, tamen cùm à ſe diſtingvantur realiter, poteſt Filius ſine Patre & Spiritu S. per Perſonalitatem ſuam terminare Naturã Humanam aſſumptam, ut illa non in ſua aſt in illius tantùm Perſonalitate ſubſiſtat. Exemplum eſt in igne, cui ſemper, naturaliter inſeparabiliter ineſt ſplendor & calor, ita ut nec ignis ſine

R. ſplendore & calore, nec ſplendor & calor ſine ſuo igne, aut à ſe invicem, naturaliter eſſe poſſint. Quia tamen diſtingvuntur realiter, aliquando venit ad nos ſplendor ignis ſine ſuo calore, ut v. g. in candela accenſa, cujus lucem & ſplendorem videmus, calorem autem non ſentimus; aliquando venit ſolus, calor ſine ſplendore, ut patet in fornace, in aliquo hypocauſto accenſa, in quo calor fornacis ſentitur, at non ſplendor.

Accedunt

Accedunt hìc authoritates veterum Rabbinorum id confitentium. *Nam* Rabbenu Haccados, i. e. Magister Sanctus *lib. Gale razeia*, i. e. *Revelatorum arcanorum*, super illud de Messia dictum If. 9. v. 7. *Multiplicabitur ejus imperium*, ait: *Quemadmodum Litera* ה *He componitur ex* ד *Daleth &* ו *Vau, ita Rex Messias componitur ex Divinitate & Humanitate; & sicut hæc duo* הה *He, He, sunt duo Daleth, & ab his procedunt duo Vau, tanquam duo filij, qui ab ipsis oriuntur; ita in substantia Regis Messiæ inveniuntur duæ Filiationes, quarum una est Divinitatis, qua Dei Filius est, altera erit Humanitatis, qua erit Filius Prophetissæ, de qua dixit Esaias: Et accessi ad Prophetissam, & concepit, & peperit Filium. Et sicut harum Literarum* ד *Daleth &* ו *Vau, quæ conficiunt* ה *He, unaquæq; distincta est ab altera, quæ ambæ sunt una Litera, ita in Messia, Substantia Divinitatis distincta erit à Substantia Humanitatis, & è contra: quæ duo simul juncta, sunt Messias.* Et R. Moyses Gierundensis *lib. Toras Lohenim*, super illud Lev.* 26. v. 12. *Ambulabo inter vos, & ero Deus vester*, intelligit id de Messia dicens: *Simile est illud cuidam regi, qui perambulabat hortum suum, ad delectationem & solatium, quem cum hortulanus vidit, abscondit se, & rex ait ei: Noli timere, nec abscondas te à me, quoniam similis tui sum. Ita tempore futuro Deus ambulabit inter justos, animi gratiâ, ut solatium recipiat, & delectetur cum illis. Justi autem videbunt eum, & expavescent ab eo, quibus Deus utiq; dicet: Nolite formidare me, quia similis vestrum sum; attamen licet vobis similis existam, ne forte credatis quòd timor meus non sit super vos, vos scitote, quòd Deus vester sum.* Et *lib. Sanchedrin, cap. Helec*, super illud If. 52. v. 13. *Ecce intelliget Servus meus, exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valdè*, dicunt de Messia Rabbini: *Exaltabitur plusquam Abraham, elevabitur plusquam Moyses, & sublimis erit plusquam An-*

* *Vaikra i. e. Et vocavit.*

geli ministrantes. Hinc R. Jonas *in suis Comment.* super Is. 62. palam & clarè profitetur, *Messiam non hominem tantùm, sed etiam Deum esse debere.* Cum quo moderni judæi salubriter saperent, si hæc ritè intelligere, non autem cor suum excæcare, aures aggravare, oculosq; claudere affectatè vellent, ut est de illis prædictum Is. 6. v. 10.

A. # ARTICULUS III.

Quòd Messias debuerat de Matre Virgine nasci?

* *Vaikra.* DEmonstr. *I. Ex Lege:* Nam Lev. * 12. v. 2. dicitur: *Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit* &c. Ex quo sequitur, quòd aliqua mulier non suscepto semine, consequenter qua Virgo, potest, vel potuit, saltem divinitus, parere. Si enim id fieri non posset, frustra, & inaniter dixisset Deus ly: *Mulier, si suscepto semine pepererit*, nulla enim posset parere non suscepto semine. Ut v. g. frustra & sine ratione aliquis legislator talem legem ferret: *Si quis libellum famosum scripserit calamo, sit ipse infamis;* si solo tantùm calamô, & non etiam aliô instrumento, v. g. penicillô, cretâ &c. posset scribi. Talis autem mulier concipiens & pariens non suscepto semine, proinde ut Virgo, non alia esse debuit, quàm Mater Messiæ. *Tumq;* Id mox adducendæ

B. Script. testantur de illa. *Tumq;* Dignum est ut Messias habeat Nativitatem & Matrem singularem, talemq; qualem nullus hominum habuit, aut unquam habebit, scil. Virgineam Nativitatem, & Virginem Matrem.

Demonstr. *II.* Ex Is. 7. v. 13. & 14. Nam inibi dicitur: *Audite ergo domus David: Numquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus Ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Hìc per signum

intelligitur

intelligitur miraculum, numquam antea visum, summeq; stupendum, scil. Uirginem parituram Emmanuel, ut nimirum Achaz & alij judæi increduli credant, quòd possit illos Deus à Rasin rege Syriæ, & Phacee filio Romeliæ rege Israël (qui illos & Jerusalem tunc obsidione premebant) liberare, cùm audirent, quòd suo tempore longè majus & admirabilius portentum sit facturus, dum scil. Emmanuelem, i. e. Messiam concipiet & pariet Virgo, per quem genus humanum liberabitur de potestate dæmonum, quos Rasin rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ figurabant. Hinc hoc signum Virginis parituræ, non erat signum prævium & prognosticum liberationis regis Achaz & domus David à Rasin & Phacee, ast subsequens, & rememorativum, prophetiæq; præcedentis confirmativum quod nempe liberabitur Jerusalem ab obsidione regum prædictorum. Quale etiam signum Deus dederat Moysi Exod. * 3. v. 12. dicens: *Hoc habebis signum, quòd miserim te: cum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum.* Et 1. Reg. * 10. v. 2. & sqq. plura signa rememorativa sunt à Samuele Saul data, quòd à Deo electus sit in regem. Et 4. Reg. * 19. v. 29. datur signum simile Ezechiæ regi Juda, quòd Deus deleturus erat exercitum Sennacherib obsidentis Jerusalem, dum dicitur: *Tibi autem Ezechia hoc erit signum: Comede hoc anno quæ repereris: in secundo autem anno, quæ sponte nascuntur* &c. Et cùm hìc locus sit evidentissimus pro Messiæ Matre Virginea variè se ad illum torquent judæi. Hinc *RRdent aliqui* ex eis: in adduct. Isaiæ verbis, non legi: *Ecce Virgo concipiet*, ast: *Ecce juvencula concipiet.* Hic enim ly: *Virgo* non exprimitur in hebr. per ly *Betuła* quod propriè significat virginē, ast per ly: *Halma*, quod significat juvenculam fœminā, etiam non jam virginem. Patetq; hoc (ajunt) ex illo Prov. * 30. v. 19.

C.

* *Veelle Semoth.*

* *Samuel.*

* *Małachim.*

* *Misle.*

Quartum penitus ignoro, viam viri in adolescentula, in hebr. est: *Baalma.* Per quod patet (dicunt) quòd *Halma* significat juvenculam, jam viro, licet occultè, cognitam, non autem virginem. Sic judæi, cum quibus proh dolor! eo-
D. dem modo id vertunt quidam falsi Christiani, veri autem judaizantes hæretici, ut Castalion, & Oecolampadius. *At contra. Tumq;* Ly: *Ecce Virgo concipiet*, in hebr. est: *Hinne Haalma hara*; i e. *Ecce illa Virgo* (singularis & admiranda) *gravida erit & prægnans.* Hinc & LXX. hebræum *Haalma* sic intellexerunt, dum hunc textum Græcè verterunt: *Ecce illa Virgo rara & unica* &c. Ergo hìc *Haalma* non denotat quamcunq; juvenculam, ast singularem, miraculosè concipientem & parientem Virginem. *Tumq;* Hebræum *Haalma*, præsertim cum articulo *He*, h. e. *Haalma* (ut est hic) non juvenculam fœminam, ast Virginem; absconditam & secretam significat, *quæ nunquam virorum patuerit aspectibus, sed magnâ parentum diligentiâ custodita sit.* Ait D. Hier. * hebraicæ lingvæ peritissimus. Ostenditq; id ex sequentibus. *Nam* in titulo Psalmi noni, ubi in hebr. est *almout* LXX. pro absconditis transtulerunt. Et Gen. * 24. v. 16. ubi in hebr. Rebecca vocatur *Alma*, Aquila, quantumvis judæus, transtulit non adolescentulam, nec puellam, ast *absconditam*; in nostraq; Vulgata sic legitur: *Puella decora nimis, virgoq; pulcherrima, & incognita viro.* Hinc & in lingva Punica, (inquit) quæ est hebrææ affinis, ly *Alma* virginem intemeratam significat. Subditq; *Quantum cum mea pugno memoria, nunquam me arbitror Alma in muliere nupta* (in Scriptura) *legisse, sed in ea quæ virgo est, ut non solùm virgo sit, sed virgo junioris ætatis, & in annis adolescentiæ*, Consonat
E. D. Hieronimo Petrus Alphunsi * pariter in hebraismo (utpote ex judæus) versatissimus, dicens quòd in hebr. mulier sive

* in hunc locum.

* Beresith.

* in Dialog pag. 186.

sive sit juvenis sive annosa, quamdiu virgo est, appellatur *Betula*; quamdiu verò juvenis est, sive sit virgo, sive non, nominatur *Nahra* sive *Naara*; nulla verò *Haalma* vocatur, nisi sit & juvenis, & viro prorsus incognita, qualis erat, *Alma* (nam & hoc verbum Latinum ab hebræo *Haalma* derivatum esse D. Hier. addct. suspicatur) *Redemptoris Mater*. Et *ratio* ulterior est: Nam *Haalma* derivatur à radice *Alam*, quod significat *abscondere*. *Tumq*; veteres Rabbini apud Galatinum, * Chaldæus, & LXX. (ut jam dictum) ly *Haalma* hìc positum Virginem intactam seu absconditam significare vertunt, Imò & Sybillæ quas Cornel. à Lap. hìc adducit; quibus magis credendum quam modernis judæis excæcatis. *Tumq*; Ly: *Et vocabitur*, hebraìcè *Vekarath*, est generis fœminini, & secundæ personæ, ut sit sensus: *Et vocabis* (scil. tu Uirgo conceptura & paritura) *nomen ejus Emmanuel*. Certum est autem quòd in veteri Lege patres & non matres filijs, à se genitis, nomina imponebant, ut patet in Abraham, qui Gen. * *16*. v. 15. filium suum, ex Agar genitum, appellavit Ismael, & Gen. 21. v. 3. natum ex Sara nominavit Isaac; pariter Joseph Gen. 41. v. 51. & 52. David 2. Reg. * 12. v. 24. Osee c. 1. v. *4*, *6*. ac 8. & alij, nomina filijs suis indiderunt. Cùm ergo hìc ista conceptura & paritura, ipsa sola, vice fungens etiam patris, nomen *Emmanuel* jubetur Filio suo imponere, signum est quòd illum quoq; illa sola, sine viro, adèóq; ut Virgo illibata, concipere & gignere debuit. *Tum demum:* Quia hanc conceptionem & parturitionem posuit Isaias & Deus pro signo mirifico domui David: *Propter quod dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet & pariet Filium*; quale autem esset signum & miraculum, dum mulier juvencula, cognita viro conciperet & pareret? id enim est ordinarium. *Ad illud*

* L. 7. c. 15. *de arcanis Fidei.*

F.

* *Beresith.*

* *Samuel.*

* *Miste.* *illud* Prov. * 30. *dico*: Falsum est quòd debeat legi: *Viam viri in adolescentula*, ast legendum: *Viam viri in adolescentia*, ita ut sensus sit: Penitus & ego (licet sim sapientissimus, nempe Salomon) ignoro viam viri in adolescentia, quidnam scil. fecerit, aut quid sit facturus? qui est (ut potè juve-

G. nis) in omnibus operibus suis inconstans & levis. *Ratio* est: Quia LXX. nostraq; vulgata, legunt: *Viam viri in adolescentia*, non vero: *in adolescentula*. Hinc corruptè in hebr. legitur: *Baalma*, i. e. *in adolescentula*, potiùs enim est legendum *Baalmut*, i. e. *in adolescentia*. Et dato quod legendum foret *in adolescentula*, non *in adolescentia*, tamen & hoc potiùs nos, quàm judæos juvaret; sensus enim esset: Penitus ignoro, nullatenus attingo ego Salomon *viam Viri in Adolescentula* i. e. Messiæ Conceptionem & Incarnationem in intemerata Virgine, Qui est *Vir* (Zach. 6. v. 12.) *Oriens nomen ejus*; nullus enim hoc incomprehensibile mysterium concipere potest, nam (Is. 53. v. 8. *Generationem ejus quis enarrabit?* Hinc simile est hoc illi, mox hìc adducendo Jer. 31. v. 22. *Creavit Dominus novum super terram: Mulier circumdabit Virum*; huncq; Prov. locum, de Messia in Virgine Incarnando veteres explicârunt Rabbini, & signanter R. Haccados

* *lib. 7. de arcanis Fid. c. 15.* teste Galat. * ℞℞*dent alij*: Illud Isaiæ, vel debere intelligi de uxore Achaz, quæ antea erat sterilis, nunc autem con-

H. ceptura & paritura fuerat aut Ezechiam filium Achaz, aut aliquem alium. Vel de uxore Isaiæ, cui tunc illa erat paritura filium. Et *ratio* est, (aiunt) quia solus sive ipsius Achaz, sive etiam Isaiæ filius, potuit Achaz dari pro signo, ad quem ibi Deus loquitur, illiq; signum promittit, ut patet v. 10. *Et adjecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum* &c. solus enim ille filius potuit ab Achaz videri, non autem Messias, longo tempore post illum nasciturus.

Contra.

Contra. Tumq; Nec aliquis filius Achaz, aut Isaiæ, vocatus est *Emmanuel*; nec uxor Achaz, sive Isaiæ, fuit *Haalma*, seu virgo intacta. Ergo non de illis ast de Messia hìc sermo. *Tumq;* Dum hæc diceret Isaias, natus jam Ezechias fuerat, novemq; annos habuerat; Achaz enim dum regnare cæperat erat viginti annorum, ut legitur 4. Reg. * 16, v. 2. & sexdecim annis regnavit in Jerusalem, ut ibi additur. Ezechias autem filius ejus dum successit illi in regno viginti quinq; erat annorum 4. Reg. 18. v. 2. Novem ergo annos Ezechias habuerat, dum cæpit Achaz pater ejus regnare, proinde nequit hîc dici de illo. *Tumq;* Uxor Achaz & Isaiæ non fuerat sterilis, nam prior jam Ezechiam, ut dictum, posterior verò, Jasub filium viro suo peperit, ut patet ex illo Is. 7. v. 3. Et dixit Dominus ad Isaiam: *Egredere in occursum Achaz tu, & qui derelictus Jasub filius tuus.* Et etiamsi esset sterilis (licet id falsum) tamen non fuisset hoc illud signum summè stupendum, ac nunquam ante visum; quia utiq; Gen. * 21. v. 2. Sara Isaac, Gen. 30. v. 23. Rachel Joseph, ac 1. Reg. * 1. v. 20. Anna Samuelem (quæ omnes erant steriles) divinô miraculô conceperat, & pepererat. *Ad rationem dico:* Quôd licet primò adjecerit Dominus loqui ad Achaz, ut sibi signum à Domino Deo suo peteret, tamen dum ille (ut pote sceleratus & impius) ex incredulitate & contemptu v. 12. dixit: *Non petam, & non tentabo Dominum*, Deus illum deserens, ad domum David, scil. posteros ejus convertitur, illisq; signum inauditum, quod nempe Virgo *Haalma* sit conceptura & paritura *Emmanuel*, daturum se, pro sua infinita Bonitate dicit, v. 13. inquiens: *Audite ergo domus David:* (non autem: Audi tu Achaz) *Numquid* &c. *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet* &c. *Neq; dicant*

* *Malachim.*

I.

* *Beresith.*

* *Samuel.*

K.

cant judæi: JESUS à Nazareth, quamvis nôn sit vocatus *Emmanuel*, tamen de illo hanc prophetiam Christiani accipiunt: Ergo potest & de Ezechia accipi quamvis & ipse non sit vocatus hoc nomine. *Non dicant* inquam. Falsum enim assumunt: Nam D. JESUS erat verè *Emmanuel*, i. e. Deus cum Homine, seu Deus & Homo: Ergo vocatus est *Emmanuel*; vocari enim sumitur sæpe in Script. pro esse; ut dum Gen. * 21. v. 12. dicit Deus ad Abraham: *In Isaac vocabitur tibi semen*, sensus est: *Erit tibi semen*. Et dum Messias Is. 8. v. 3. dicitur vocandus: *Accelera spolia detrahere, festina prædari*; ac Is. 9. v. 6. *Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis*, non significatur per hoc quôd talia sit propria sua nomina habiturus, ast quòd talis futurus, ut jure his nominibus appellari possit. Deinde: *Emmanuel*, non est nomen proprium Messiæ, ast agnomen, ita scil. ut Messias penes nomen suum proprium habeat agnomen *Emmanuel*. Ut & Victores Romani penes propria sua nomina, assumebant à devictis à se Provincijs alia agnomina, dum vocabantur Africani, Asiatici, Dacici, Germanici &c. Et sic Salvator penes suum Nomen

L. Sanctissimum JESUS, habuit agnomen *Emmanuel*. Demum Nomen JESUS est reipsa idem quod *Emmanuel*: nam Nomen JESUS est *Salvator*, esse autem Salvator, proinde nos à captivitate dæmonis & peccati liberare non posset, nisi esset *Emmanuel*, scil. nedum Homo, ast simul & Deus, juxta illud Job. 14. v. 4. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* Et Is. 45. v. 25. *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas proper me.* *Addo* Quód ad verificandam hancce prophetiam etiam hoc sufficeret, quòd nos fideles in privatis nostris orationibus sæpe D. JESUM *Emmanuel* appellamus. Imò & Ecclesia in

Canonicis

* *Beresith.*

Canonicis horis id facit; nam in Festo S. Gabrielis Archangeli, ad Benedictus talem canit Antiphonam: *Ascendit jam crepusculum, quo lux splendere incipit solis, & jussa suscipit pacis donandæ Gabriel. Tunc Virginis corpusculum, sensus, & cor perterritur, dum arcanum detegitur, quòd pariet Emmanuel.* In Festo quoq; Annuntiationis, ac in Adventu, maximè in Officio Parvo, hæc verba Isaiæ repetit, per *Emmanuel* concipiendum & pariendum à Virgine, Dominuum JESUM intelligens. Vocatur ergo Dominus *JESUS Emmanuel.* M.

Demonstr. *III.* Ex alijs locis Isaiæ, Is. 45. v. 8. dicitur: *Rorate cæli desuper; & nubes pluant Justum: aperiatur terra & germinet Salvatorem: & justitia oriatur simul: ego Dominus creavi Eum,* Hìc dum dicitur: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant Justum*, notatur Spiritum S. de cœlo descensurum, corpusq; Virginis irroraturum ac fæcundaturum, ut non terrestri ac usitato modo, ast miraculoso ac cœlesti, per modum roris de cœlo descendentis, *Justum* seu Messiam pariat. Qui etiam erat descensurus in terras sicut pluvia è nubibus, juxta Ps. 71. v. 6. *Descendet sicut pluvia in vellus: & sicut stillicidia stilantia super terram.* Per hoc autem quod sequitur; *Aperiatur terra & germinet Salvatorem*, innuitur, quòd hic Salvator nasci debuerat ex sola Virgine, sine patre carnali, sicut germen aliquod terræ, v. g. gramen vel flos, nascitur ex sola terra matre, sine patre. Dum demum: subditur: *Ego Dominus creavi Eum*, per hoc quoq; innuitur, quòd Messias sine virili concursu è sola Matre Virgine, singularî, & nunquam practicatô modô, sit producendus à Deo, Hinc & contra illos, qui hoc non credunt, statim ibid. v. 9. & sqq. subditur: *Væ qui contradicit Fictori suo, testa de samijs terræ: numquid dicet lutum figulo suo: Quid facis, & opus tuum absq; manibus est? Væ qui dicit patri: Quid* N.

generas?

generas? & *mulieri: Quid parturis?* sic enim meritò in eos invehitur Deus qui non credunt hominem posse à solo Deo produci, ex sola Virgine Matre, sine patre; quamvis sciant Adam à solo Deo, sine concursu alicujus, ex terra virgine (h. e. rudi adhuc & intacto limo terræ) esse formatum, Evam vero ex solo Adam, pariter quoq; adhuc virgine, productam fuisse; quasi Deus unum tantùm modum producendi hominem, ex mare scil. & fæmina, haberet. Simile huic est illud Is. 53. v. 2. ubi de Messia dicitur: *Et ascendit sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti;* i. e. sicut virgultum ex arbore sola pullulat, sic Messias (qui etiam erit sicut virgultum humilis, ac à superbis despectus) ascendet, seu nascetur ex sola Matre Virgine. Et
O. sicut naturaliter fieri nequit, ut ex terra sitienti, h. e. prorsus arida (talis enim sitit humorem) aliqua radix oriatur, sic à sola Virgine, à viro non fæcundata, & intacta, non naturaliter ast divinitùs Messias producetur. *Neq; dicant* judæi: Illud Is. 45. v. 8. scil. *Rorate cœli* &c. dictum esse de Cyro, qui postea judæos è captivitate Babilonica liberavit, ad quem, quasi ad rorem cœlestem suspirabant judæi in Babilone captivi. Et *ratio* est, (ajunt) quia ibi ab initio capitis expressè de Cyro prophetatur, ut patet v. 1. *Hæc dicit Dominus christo meo Cyro* &c. Nequitq; id intelligi de Matre Messiæ, illa enim (secundùm Christianos) clausô uterô, & quà Virgo peperit, hìc autem dicitur: *Aperiatur terra, & germinet* &c. *Non dicant* inquam: *Nam* hìc dicitur: *Nubes pluant justum:* Cyrus autem non fuerat justus ast impius, qui ut alter Pharao nesciebat Dominum, ut ei ibid. v. 4. & sqq. Deus ipse exprobrat: *Vocavi te nomine tuo: assimilavi te, & non cognovisti me - - - - accinxi te, & non cognovisti me.* *Ad rationem dico*: verum esse, quòd

ab

ab initio capitis loquatur Isaias de Cyro, ast hìc in illo: *Ro-*
rate cæli &c. à Cyro ad Messiam, pro more prophetico (de
quo *Art. I. lit.* Q. innui) avolat. Vidit enim typum Mes-
siæ in eo; sicut enim Cyrus liberavit judæos è captivitate
Babilonis, sic Messias omnes homines à captivitate peccati
& dæmonis. Quod & ipse Deus innuit in illo addēt. *As-* P.
similavi te (Messiæ Redemptori) *& non cognovisti me.* Si enim
in his verbis: *Rorare cæli* &c non esset de Messia sermo, nul-
lus esset tam ibi quam alibi locus in quo assimilaret Deus
salvationem Cyri salvationi Christi. In illo verò: *Aperia-*
tur terra, & germinet &c. est figura Metalepsis; q. d. instar
terræ, quæ tantùm dum est aperta germinat, Mater Virgo
Salvatorem nobis producat. Sicut quoq; per eandem fi-
guram Is. 46. v. 1. dicitur: *Utinam dirumperes cœlos, & de-*
scenderes; hìc enim dici nequit, quòd Deus descensurus cœ-
li diruptione & apertione indigeat, ast quia corpus huma-
num, quantum & impenetrabile, indigeret illâ si de cœlo
in terram descenderet, humanâ phrasi hìc dicitur.

Demonstr. *IV.* Ex Jer. 31. v. 22. ubi dicitur: *Creavit*
(i. e. certò creabit, quasi jam actu creasset) *Dominus novum*
super terram: Femina circumdabit Virum. Q. d. Novam & in-
auditam rem, opusq; suum novum, nunquam antea factum, Q.
scil. Incarnationis & Nativitatis Messiæ ex sola Virgine Ma-
tre, sine patre, faciet Deus; dum ille sine opera virili pro-
ducetur. *Femina circumdabit Virum*, i. e. Virgo Beata uterô
suô claudet Christum, qui licet quà Homo, conceptus &
nascens, erit staturâ & ætate infans, tamen à primo nedum
Nativitatis ast & Conceptionis suæ instanti erit quoq; Vir,
sapientiâ, gratiâ, & gloriâ perfectissimus. Hinc in hebr.
pro ly: *Virum*, ponitur *Geber*, quod significat Virum poten-
tem seu fortem, ut & *Gabriel*, qui annuntiavit Eum, dici-

tur quasi *Geber El*, scil. *Fortitudo Dei fortis*. Verè ergo novum, quòd Femina Virgo in utero suo circumdedit Virum Messiam, Deum verum, & hominem perfectissimum, nam (quod etiam antiqui adverterunt Rabbini, ut R. Haccados, R. Josue *) ut femina corrupta filium in utero suo circumdet, est vetus & quotidianum, ac non novum. Unde hic textus de Partu Virgineo omnino debet intelligi, ad aliudq; nullatenus potest detorqueri, ineptumq; est illud R. Abrabanel per feminam intelligentis debilem nunc Synagogam, quæ tempore Messiæ circumdabit virum, i. e. dominabitur fortibus gentilibus. Hoc enim non est novum, nam sæpe ante contigit; filij namq; Israël (præter terram Chanaan per Moysen & Josue expugnatam) oppresserunt Judic. * 3. v. 29. Moabitas sub Aod, Jud. 4. v. 15. & sqq. Jabin & Sisaram sub Barac, Jud. 7. v. 20. & sqq. Madianitas sub Gedeon, ac alios sub alijs. David quoq; 2. Reg. * 8. subjugavit sibi plures gentes, dominabaturq; eis, i. e. Philisthiim, Moab, Soba, Syros, ac Idumæos. Salomon etiam, 3. Reg. * 4. v. 21. *erat in ditione sua, habens omnia regna à flumine terræ Philisthiim usq; ad terminos Ægypti: offerentium sibi munera, & servientium ei cunctis diebus vitæ ejus*, ut inibi legitur. Pariter & alij.

* apud Galatin. de arcanis Fid. l. 7. c. 14.

R. * Sophetim.

* Samuel.

* Malachim.

Accedunt veteres ante Christum Rabbini. *Nam* R. Josue, filius Levi, *in Midras Echa*, ait: *Veni, & videbimus, qualiter modus non est Dei, sicut modus hominis carnalis. Homo enim lancea percutit, & emplastrô vel unguentô medetur: sed Dominus Deus noster non sic, quia quô percutit, eô etiam ipsô medetur. Quod quidem reperimus in Joseph & Israël verificari. Nam Joseph per somnia percussus est, & per somnium curatus est. Et Israël in virgine peccaverunt, ut habet Ezechiel. & in virgine puniti fuerunt Thren. 5. Mulieres in Sion humiliaverunt, & virgines*

S.

in

in civitatibus Juda. Sed rursus in virgine consolati sunt, sicut ait Hieremias: Quia creavit Dominus novum super terram, Femina circumdabit Virum. Et R. Barachias etiam *in Midras Echa*, sic inducit Deum ad judæos loquentem: *Vos dixistis coram me: pupilli facti sumus sine patre; sic itidem erit Redemptor mundi, quem surgere faciam vobis sine patre, sicut scriptum est in Esaia: Et ascendit sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti.* Et R. Elias, apud Galatin. * roganti: *Cur tam diu Adventum suum distulisset Messias?* respondet: *Quia non erant in Isräel virgines ex quibus nasceretur, omnes enim corruptæ erant, vel à maritis vel à mæchis.*

* *supra citt.*

ARTICULUS IV.

Quòd Messias jam venit, demonstratur ex Oraculo Iacob.

DEmonstr. *Nam* Gen.* 49. v. 10. Jacob Patriarcha moriturus & prophetans, dixit Judæ filio suo: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat Qui mittendus est, & Ipse erit expectatio Gentium.* Hìc duo innuuntur 1*mum*: Futuros imprimis reges, & postmodum duces seu principes, de posteris Judæ. 2*dum*: Illos non defecturos in illa tribu donec Messias veniret. Prius impletum fuit in David, qui primus rex de tribu Judæ fuerat, in qua tribu usq; ad Sedeciam & captivitatem Babilonicam sceptrum illud, ac regnum (ut patet ex Libris Regum & Paralip.) perseveraverat. Et illa durante, Jechonias, etsi in carcere, tamen rex judæorum erat, eductusq; post de illo, regijs quoq; usus est insignijs, ut legitur 4. Reg. * ult. v. 28. At post captivitatem Babilonicam licet regnum Juda in ducatum seu principatum degeneraverit, (ut in omnibus punctis prophetia Jacob impleretur, quæ dicit primò sceptrum seu reges, & post duces, i. e. principes in tribu

* *Beresith.*

A.

* *Malachim.*

Juda futuros, ad Adventumq; Messiæ ab ea auferendos non esse) semper tamen fuit dux ex eadem tribu usq; ad Herodem I. Ascalonitam, Puerorum Innocentium occisorem, qui fuit patriâ Idumæus, (Tirinus * illum fuisse Philisthæum dicit) expulitq; Antigonum ultimum judæorum principem, ac per vim à Romanis est in ejus locum intrusus, sub quo etiam Christus fuit natus, annô 35. (ut vult. Corn. hìc) regni ejus. Quamvis autem intruso Herode non statim Christus advenit, ast usq; ad annum ejus 35. Adventum suum distulit, hoc nil officit: quia toto illo tempore Herodes non rex, ast potiûs tyrannus judæorum erat, solaq; vi & armis regnum illud tenebat, viventibus adhuc sub initium Aristobulo & Hircano legitimis regni heredibus. Hos verò postquam dolosè & iniquè Herodes occiderat, tamen adhuc primores judæorum illi resistebant, ac ejus imperium detrectabant, sceptrumq; quod re ipsa non poterant, saltem jure retinebant; donec tædiô, & malîs artibûs victi, resistendoq; lassi, ultimô Herodis annô manus ei dedere, & fidei juramentô datô, ac acceptô, colla ejus imperio subdidere; atq: jam tunc ablatum est sceptrum & dux de Juda, datumq; alienigenæ, paucisq; jam ante mensibus natus est Christus in Bethlehem. Sic Tirin. citt. adducens Philon. & Joseph. Ad hæc mire se torquent judæi, variaq; quærunt effugia. Hinc

* *in Gen. 49. v. 10. lit. A.*

B.

I. ℞℞*dent* plures, maximè è rudioribus, cum R. Benjamin * Habere se adhuc sceptrum in tribu Juda trans flumen *Sabatha*, quod hic impostor dicit se oculis suis lustrasse, mentiturq; quòd ejus rex de tribu Juda, & stirpe David oriundus, tantis divitijs ac virtute polleat, ut trecenta millia hominum ad arma colligere valeat. Ad illud autem regnum (delirat ulteriùs) totis sex diebus hebdomadæ

* *in suo itinerario.*

C.

madæ

madæ nemo potest pertingere propter fluvium *Sabbatha* tunc impermeabilem, quia horribiliter fluctibus sævientem, qui tantùm Sabbato solo quiescit, & duabus ingentis proceritatis arboribus, sese mutuò complectentibus per se aditum præbet, qua die non licet judæis traijcere flumina. Ethnicus verò, vel Christianus fluvium illum nunquam pertransire potest. *At contra.* Nam hoc plusquàm anile figmentum est & contra Script. & contra rationem pateticam. *Contra Scripturam.* Quia Is. 3. v. 1. & sqq. dicitur: *Ecce enim Dominator Dominus exercituum auferet à Jerusalem, & à Juda validum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ; fortem, & virum bellatorem, judicem, & prophetam, & ariolum, & senem. Principem super quinquaginta* &c. En hìc Deus dicit se à Jerusalem & à Juda, validum & fortem, fortem, & virum bellatorem, Principem super quinquaginta, ablaturum; & iste ineptus fabulator, contra Script. somniat, illum fictum regem judaicum transsabbaticum, trecenta millia hominum colligere ad arma potentem. Subditur inibi v. 6. & sqq. quòd tunc *apprehendet vir fratrem suum domesticum patris sui:* (ut illi apprehendunt, seu stultè imaginantur regem illum suum confictum) *Vestimentum tibi est, princeps esto noster - - - Respondebit in die illa, dicens: Non sum medicus, & in domo mea non est panis, neq; vestimentum;* (multòminus illæ fictæ divitiæ) *nolite constituere me principem populi. Ruit enim Jerusalem,* (sub Tito illius eversore) *& Judas concidit: quia lingva eorum* (toties Deum calumniantium, contra eum: Crucifige, clamantium, nunc quoq; illum blasphemantium) *& ad inventiones eorum* (ut eum morti traderent iniqua concilia inientium) *contra Dominum.* Ex quo patet quòd post dirutam à Tito Jerusalem, judæosq; excisos, nullum jam nunc illi, ubivis terrarum, regem su-

um

D.

um vel principem habeant. Similis est de hoc prædictio Of. 3. 4. *Dies multos sedebunt filij Israël sine rege, & sine principe* &c. Ergo & sine rege illo transsabathico. Quòd au-
E. tem hæ Script. intelligi debeant de hac captivitate, in qua nunc degunt judæi, ostendam, ut in suo loco *Art. XXIV. lit*, A. & *sqq.* *Contra rationem* verò. *Nam* vel judæi sciunt ubinam sit fictitium hoc regnum illorum, vel nesciunt? si sciunt; dicant, cum aliquo fundamento, in quanam parte mundi latitet? an scil. in Europa, Asia, Africa, vel America? non sufficit enim nudè, & sine fundamento dicere, quòd sit alicubi, aliàs posset quis pari jure fingere, quòd sit altera Polonia, altera Hungaria, altera Italia &c. sed ubi? alicubi. Si autem nesciunt; cur ergo de illo tam ineptè somniant? *Item*: Si judæi de illo suo regno fabuloso sciunt, tunc sciunt vel à judæo, qui ex his nostris partibus ad illud regnum pervenit, rediensq; illis de eo nuntiavit? vel à judæo, qui ex illo regno huc ad nostras partes transivit? (fingunt enim, nec ethnicum, nec Christianum, illuc posse pertingere) at possunt id scire à neutro, qua die enim flu-
F. vium illum traijceret? cùm nec sex diebus hebdomadæ, ob fluctuum ejus sævitiam, nec sabbatô, ob præceptum Dei prohibens (ut aiunt) traijcere illum potuerit. Hinc delirat, sibiq; contradicit R. Benjamin, qui dicit se hoc regnum lustrasse *Item:* Si quis diceret, quòd ille rex transsabathicus sit jam à rege dicto *Bhctri*, se potentiore, devictus, & occisus, regnum illius eversum, fluvius sabbatha vel exsiccatus, vel alio conversus; ægrè fortè crederent hoc judæi: cur ergo nos volunt sibi credere, dum tam ridiculè de regno illo chimærico fabulantur? *Item:* Esto ordinariè non liceret judæis sabbatô traijcere flumina, (de quo tamen nec ex Script. nec ex ipsamet praxi judæorum con-

stat)

stat) tamen ut captivitatem evaderent, liceret ijs fluvium illum transire: sicut 1. Mach. 2. v. 34. & sqq. cùm primò quidam judæi nolent sabbatô, ob reverentiam ejus, ab hostibus se defendere, occisiq; essent ab eis, ex eorum exemplo prudenter se post resolverunt alij, licere sibi contra hostes pugnare die sabbati. Si ergo judæi transsabbathicum illud regnum verè haberent, ad illud, etiam sabbatô, ut captivitatem evaderent, incunctanter transirent; non transeunt autem, quia regnum hujusmodi est in spatijs imaginarijs, seu in eorum imaginatione chimærica. *Demum:* Quia imperceptibile est, quomodo in illo fluvio, tam rapidissimo, ac continuò (præter diem sabbati) fluctibus sæviente, illæ arbores, licet ingentes, adusq; durare valeant, & non potiùs ab aqua (qua semper sunt, præter sabbatum, coopertæ) corrumpi vel disrumpi debeant? *In idem* recidit illud R. Moysis delirium, fabulantis, judæos regem suum in Babilone habere. Nam hoc & est contra add&t. Script. ac rationes, nullaq; (ut est omnibus notum) jam Babilon extat; urbi quoq; dictæ *Kayr* (quæ à nonnullis nova Babilon dicitur) non judæi, ast Turca dominatur. G.

II. ℞℞*dent* alij. Loco ly: *Non auferetur*, in hebr. est: *Lo Jasur*, & id potiùs accessum quàm recessum significat. Et sic sensus prophetiæ erit: *Non accedet sceptrum ad Judam, donec veniat Messias.* Simile est commentum quorundam judæorum, in Polonia nostra degentium, qui * dicunt, in hebr. non esse: *Donec veniat*, ast ly: *Quando veniet*, ut sit sensus, quòd dum Messias veniet, nunquam in posterum auferetur sceptrum de Juda, quia ab inde Judæi gloriosè regnabunt. *At contra* 1mos. Nam LXX, teste Corn. * ly: *Lo Jasur* vertunt: *Non deficiet Princeps de Juda.* Alij quoq; in hebraismo periti illud potiùs pro recessu non pro accessu usurpant, ut Joannes H.

* *teste P. Młodzianowski in suis Conc. fol.*

* *in Gen. fol. 329. Col. 1. lit. B.*

nes Buxtorfius, lingvæ hebrææ Basileensis Professor (quantumvis acatholicus) in Epitome Grammaticæ Hebrææ * oraculum illud sic reddit: *Non recedet sceptrum à Jehuda, & Legislator è medio pedum ejus, usque dum venturus erit Schilo, & ei obedientia populorum.* Nullusq; (præter modernos judæos malitiâ & imperitiâ excæcatos) ly: *Lo Jasur* pro accessu accipit. Ergo futilis evasio. *Deinde*: Tempore David accessit sceptrum ad Judam, à tribu Benjamin, ex qua Saul erat, translatum (David enim, & posteri ejus ex tribu Juda regnarunt) nec tamen jam tunc venit Messias: Ergo non est hic illius oraculi sensus, quòd tunc accedet primò sceptrum ad Judam dum Messias veniet. *Contra ad 2dos.* *Nam* ly: *Donec* * hebr. est *Haad-ki*, estq; verbum compositum ex *Haad*, & *ki*, ac nunquam *Quando* significat; solum enim *ki* significat *Quando*, vel *Postquam*. Hìc verò non ponitur tantùm *ki*, ast *Haad-ki*, ut patet ex Paraphraste Chaldaico, apud jud. authentico, qui legit: *Donec veniat Rex Messias*; seu *Donec veniat Messias cujus est regnum.* Imò & hebr. est: *Donec veniat Silo* * Non est ergo ibi *Quando*, ast *Donec.* Addo: Hic esse: *Non auferetur*: non autem: *Non accedet*; item: *Donec*, non autem: *Quando*, probat ipsa judæorum perversitas, qui potiùs aliâ viâ labefactare robur Oraculi nostri (licet frustra) conantur, responsiones alias confingentes, ut patuit & ultra patebit.

* in Textibus Biblic. pag. 114.

* teste citt. P. Młodzianowski.

I.

* Corn. citt. fol. 331. Col. 1. litt. D.

III. Rℛdent alij: *Sceptrum* hebr. est *Scebet*, quod virgam tribulationis significat, ut sit sensus: adusq; judæi tribulabuntur, quoadusq; non veniat Messias; qui cùm modo tribulantur, necdum venit. *At contra. Nam* Ps. 44. v. 7. ubi legit vulgata: *Virga directionis virga regni tui*, in hebr. ponitur *Scebet*, loco ly: *virga*, legiturq; *Sceptrum æquitatis Sceptrum regni tui*, teste D. Hier. * Ergo falsum est quòd ly:

* in Psalmos juxta

Scebet

Scebet non Sceptrum regni, aſt virgam tribulationis ſignificet. *Item*: De tali virga hìc loquitur Jacob, quæ habet reſpectum ad ducem ſeu principem; nam dicit: *Non auferetur* Scebet, *et dux*, ac *LXX.* vertunt; *Non deficiet princeps de Juda.* Virga autem reſpectum dicens ad ducem, non eſt virga tribulationis aſt regni. *Item*: A tempore David uſq; ad Sedeciam per annos ferè quingentos, non fuerant judæi ſub virga tribulationis, aſt in magna proſperitate & gloria dominantes, Idumæosq; ac alios finitimos populos (ut jam *Art. III. lit.* R. innui) ſubditos ſibi & vectigales, habentes: Ergo ſi tunc deberet venire Meſſias dum auferetur virga tribulationis à Juda, jam pridem debuiſſet venire. *Demum*: Incredibile eſt, ut dum in illa prophetia Jacob Judæ filio ſuo omnia proſpera fauſtaq; promitteret; ut quòd laudaturi eum erant fratres ejus; quòd manus ejus ſit futura in cervicibus inimicorum illius; quòd ipſum adoraturi erant filij patris ejus; quòd ipſe erat futurus ut catulus leonis, ad prædam aſcendens, quòd requieſcens accubiturus erat ut leo, & quaſi leæna quam nemo ſuſcitare audet; ut ibid. legitur v. 8. & 9. ſtatim inopinatiſſimè & inconnexiſſimè v. 10. hìc de ejus tribulatione & ſervitute ſubderet. Ergo falſum hocce commentum. *Simile* eſt & illud aliorum Rabbinorum, qui hebr. *Mechokek*, i. e. *Dux*, vertunt *Scriba*, fingentes, quòd quamvis ablatum jam ſit ſceptrum de Juda, non eſt tamen ablatus *Mechokek*, ſcil. *Scriba* & *Rabbinus*, nam iſtos habent adhuc judæi. *Simile* inquam: Nam *Mechokek* (ut periti in hebraiſmo fatentur *) idem eſt ac *Legislator*, puta dux ſeu princeps, cujus eſt Leges condere: ijdemq; ſubditos regere; quod & patet, utiq; enim hìc *Mechokek* dicit reſpectum ad ſceptrum, quod non ſcribæ, aſt duci & principi convenit.

hebraicam veritatem in hunc locum.

K.

L.

* *Corn. à Lap. hic in Gen. Et Fuxtorfius ſupra citt.*

Imò Jacob soli Judæ appropriat ex ipso futurcs *Mechokek*, deinde per *Mechokek* non intelligit scribam, scribæ enim erant quoq; ex alijs tribubus. *Addo:* Quòd dum in hac captivitate Titi, (ut prædictum Is. 3. v. 3.) abstulit Deus à judæis, etiam *prudentem eloquij mystici*, h. e. (ait S. Hier. *) virum eruditum & exercitatum in Lege & Prophetis, ita ut nunc verificetur illud Jer. 8. v. 8. & 9. *Verè mendacium operatus est stylus mendax scriberum. Confusi sunt sapientes, perterriti & capti sunt: verbum enim Domini pro ecerunt, & sapientia nulla est in eis*; hocq; patet in modernis judæorum Rabbinis, stultissima, ineptissima, ac impijssima quæq; in Thalmud suo conscribentibus (ut ostendam *Art. XXIX. XXX. XXXI.* & *XXXII.*) sequitur quòd ablatus sit de Juda & scriba: ¿Quid ergo adhuc restat de eo auferendum?

* *in Is. 3. hic*

M.

IV. ℟det *R*: *Selemoch* Duos Messias debuisse venire; unum de quo in Script. abjecta & vilia prædicuntur, alterum cui magnifica & splendida tribuuntur. Prior jam venit, (ait) fuitq; quidam filius Joseph, & est in quodam certamine Gog & Magog, apud Ezechielem c. 38. commemorato, occisus. Alter erit Filius David, verus Israël redemptor, regniq; ejus restaurator, qui priorem Messiam suscitabit, cum illoq; regnabit, omnes sibi gentes subijciens. Et hic necdum venit. Sic stultizat hic Rabbi *At contra* *Nam* Lex & Prophetæ nullibi prædixerunt duos venturos Messias; ast tantùm duplicem unius ejusdemq; Messiæ Adventum, unum, ut Redemptoris in humilitate, alterum, ut Judicis in Majestate: quia utiq; Jacob unum hìc tantùm venturum prædicit, quando dicit: *Donec veniat, qui mittendus est*, non autem. Donec veniant, qui mittendi sunt. Et Moyses Deut. * 18. v. 15: *Prophetam de gente tua, & de fratri-*

* *Elle Haddebraim.*

fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus: Deus tuus non autem prophetas. Et Isaias Is. 7. v. 14. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium*; non autem filios. Et Aggæus Agg. 2. v 8. *Veniet Desideratus* (non desiderati) *cunctis Gentibus.* &c. Plura de hoc *Art. XXXIII. lit.* A *& sqq.* *Deinde:* Si ex eo, quòd humilia & sublimia de Messia leguntur, duos Messias liceret confingere, facilè quivis finget duos fuisse Adam, duos Cain, duos Noe, duos Lot, duos Saul, duos David &c. h. e. Unum Adam, qui Gen. * 2. v. 8. positus esse in Paradiso voluptatis dicitur. Alterum, qui Gen. 3, v. 24. ejectus ex eo describitur. Unum Cain, quem Gen. 4. v. 6. Deus amicè admonendo alloquitur. Alterum, qui ibid. v. 11. à Deo esse *maledictus* narratur. Unum Noe, qui Gen. 6. v. 9. fuisse *vir justus atq; perfectus in generationibus suis*, legitur. Alterum, de quo Gen. 9. v. 21. quòd fuerit inebriatus refertur. Unum Lot, qui Gen. 19. v. 16. & sqq. velut justus ex incendio Sodomæ per Angelos eripitur. Alterum, qui ibid. v. 33. & sqq. incæstûs notatur. Unum Saul, de quo, quòd fuerit *electus & bonus*, 1. Reg. * 9. v. 2. Script. testatur. Alterum, qui 1. Reg. 16. v. 1. ut projectus à Deo, condemnatur. Unum David, qui 1. Reg. 13. v. 14. ut vir juxta cor Dei commendatur; alterum, qui 2. Reg. 11. v. 4. & sqq. adulterij & homicidij accusatur &c. Et sic posset aliquis innumera paradoxa confingere, nihilq; certi in Script. relinquere. *Demum:* Quia (præterquam, quòd de priore illo Messia, in prælio Gog & Magog occiso, & ab altero Messia suscitando, ludicra est fabula, nullô prorsus fundamentô nixa, quod enim est fundamentum ejus?) Messias secundùm hoc Jacob effatum, debet esse *expectatio Gentium*, ille autem fictus Messias filius Joseph, planè abjectus & vilis, nihil gloriosi operans, sicq; facile in prælio illo Gog &

N.

* Beresith

* Samuel.

O.

Magog occisus, non foret *expectatio Gentium*, ut pote ad nil illis utilis. Imò nec ille alter talis esset, quia Gentes tyrannicè debellaret, sibiq; subigeret.

V. R. R. *dent* demum alij. Humiliter confitendo peccata progenitorum suorum, quæ post hanc prophetiam impletam, i. e. post ablatum Sceptrum de Juda, & Ducem de femore ejus, adventui Messiæ omnino viam præcluserunt. Nam (inquiunt) Messias fuit tantùm sub conditione promissus, si scil. filij Israël exactè Legem Dei servaverint, ut patet Ps. 131. v. 11. & sqq. ubi licet Deus Davidi juraverit, quòd de fructu ventris ejus positurus sit super sedem ipsius, tamen conditionem adjecit: *Si custodierint filij tui Testamentum meum* &c. qui quia non custodierunt, ut patet in Salomone, & alijs regibus Juda & Israël, nec venit, nec jam veniet Messias. *At contra. Nam* alibi promiserat Davidi Deus, nulla conditione adjecta, ac etiam peccatîs posterorum ejus non obstantibus de semine illius Messiam nasciturum, Ps. 88. v. 31. & sqq. *Si autem dereliquerint filij ejus Legem meam: & in judicijs meis non ambulaverint: Si justitias meas profanaverint: & mandata mea non custodierint; Visitabo in virga iniquitates eorum: & in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo: neq; nocebo in veritate mea: Neq; profanabo testamentum meum: & quæ procedunt de labijs meis* (de Messia mittendo) *non faciam irrita. Semel juravi in Sancto meo*, (h. e. Messia) *si David mentiar. Semen ejus* (idem Messias) *in æternum manebit* &c. Hinc ibid. v. 39. conqueritur tantùm Psalmista: *Tu verò repulisti & despexisti: distulisti Christum tuum*. Differre autem Christi Adventum, non est illum negare, sed potiùs (licet alio tempore) appromittere. *Deinde*: Messias erat venturus propter peccata delenda, ut patebit *Art. VIII.* Imò Deus hominibus

minibus, etiam actu ferè peccantibus, appromisit Messiam, ne Bonitas ejus Divina à malitia humana videretur vinci. Dum enim Is. 7. v. 13. domus David, ut & rex ejus Achaz, fuerat impia, quia molesti erant & Deo suo, tamen Deus etiam ob id promittit eis v. 14. Messiam: *Propter hoc* (h. e.) quia molesti estis & Deo meo) *dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet* &c. Et Is. 52. v. 5. & 6. ipse Messias, Deus verus, dicit: *Dominatores ejus iniquè agunt, dicit Dominus, & jugiter tota die nomen meum blasphematur. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum.* En propter dominatorum iniquas actiones, ac propter hoc quòd nomen ejus jugiter tota die blasphemabatur, Messias Deus se adventurum promittit; proinde falsum est quòd peccata omnino præclusserint viam Messiæ Adventui, ut ineptiunt hi desperabundi, & pharisaicè peccata progenitorum suorum confitentes judæi. *Demum*: In prophetia Jacob nulla prorsus apponitur conditio, quàm hìc isti fingunt. In illo autem Ps. 131 quamvis dicatur: *Si custodierunt filij tui testamentum* &c. *sedebunt super sedem tuam*, tamen id ad promissionem Messiæ non pertinet. Duo enim David inibi sunt promissa. Unum, Messias ex semine ejus nasciturus v. 11. idq; hoc absolutè, dum dicitur. *Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Alterum, conditionatè, scil. permanentia, ac integra magnificentia regni illius temporalis quæ erat usq; ad finem mundi futura, in posteris ejus Jerosolimis gloriosè semper regnantibus, si mandata Dei servassent, Messiamq; recepissent; idq: exprimitur in illo: *Si custodierint filij tui* &c. *sedebunt super sedem tuam.* Quod quia non est factum, mox sub Roboam 3. Reg. * 12. scissum est regnum de domo David,

R.

* *Malachim.*

David, decem tribubus ab illa deficientibus; post captivitatem verò Babilonicam in ducatum degeneravit; at post Christum à Juda non receptum, absolutè defecit. *Addo*: Quòd Prophetæ Aggæus, Zacharias, & Malachias, post reditum judæorum è captivitate Babilonica, proinde & post peccata Salomonis, aliorumq; regum, ac populi judaici,
S. prophetarunt, scil. Aggæus annô secundo Darij regis, sub Zorobabel, dum templum reædificabatur, ut patet Agg. 1. & sqq. Zacharias sub ijsdem Zach. 1. v. 1. & alibi, Malachias paulò post eos, ut potè veterum Prophetarum novissimus; & tamen per eos Deus Messiam absolutè promisit, ut Agg. 2. v. 8. *Veniet desideratus cunctis Gentibus.* Et Zach. 9. v. 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi justus, & Salvator.* Et Malach. 3. v. 1. *Statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis &c.* Ergo sunt planè deliri, qui desperârunt de Adventu Illius. *Omitto* magis adhuc inepta aliorum effugia, qui positum in hoc Oraculo ly: *Silo* i. e. *Qui mittendus est*, perversè depravare nituntur, intelligendo per hunc mittendum, Saul, Salomonem, vel Jeroboam, qui omnes (aiunt) in reges sunt uncti in Silo, sub illisq; ablatum est Sceptrum de Juda, scil. sub Saule ad tribum Benjamin, sub Jeroboam verô ad Ephraim. Vel Achiam Silonitem Prophetam, qui Jeroboamo 3. Reg. 11. v. 31. de regno decem tribuum, à Juda ad illum transferendo, prophetavit vel Nabuchodonosorem, (blaterat Julianus Apostata) qui regnum Juda evertit. Vel quempiam alium, Hæc enim sunt manifestè falsa. Nam nullus horum fuerat *Expectatio Gentium*, nullus enim ex istis Gentibus quidquam
T. contulit. Imò Salomon nec propter ipsos judœos erat rex undequaq; faustus, nam tributis eos importabilibus oppressit, ut conquerebantur filio ejus Roboam 3. Reg. * 12. v. 4.

* *Malahim.*

v. 4. *Pater tuus durissimum jugum imposuit nobis.* Nabuchodonosor verò propter gentes dirus fuit tyrannus; hinc de eo Jer. 4. v. 7. dicitur: *Ascendit leo de cubili suo, & prædo gentium se levavit.* Insuper falsum est quòd Saul & Jeroboam in Silo unctus fuit in regem, nam patet quòd Saul in Ramatha, ubi 1. Reg. * 8. v. 4. Samuel habitabat, unctus fuit in regem; Jeroboam veró 3. Reg. * 12. v. 20. in Sichem constitutus est rex Isràél, nullibi autem unctus esse legitur; sub Sauleq; non est ablatum sceptrum de Juda, quia necdum tunc in illa tribu fuerat, cum Saul primus erat rex in Isràél; nec sub Jeroboam, nam Roboam posteriq; ejus super Judam regnaverant. Salomon dum regnare cæpit, neq; tunc primò sceptrm ad Judam accessit, David enim pater ejus, ex tribu Juda oriundus, jam ante eum regnavit; neq; tunc jam ab eo recessit, imò in illa tribu actu fuit. Achias Propheta Silonites, nequit dici ille mittendus, nam Jacob per ly: *Silo* non vult significare hominem oriundum ex Silo ast *Mittendum* seu *Messiam*, ut (ex jam dictis *hic lit. I.*) & Chaldæus vertit. Nabuchodonoser deniq; *prædo gentium*, judæorumq; eversor, Judæ promitti à Jacob ut desiderandus non poterat. Hinc impius Julianus id fingens, dijs suis, qui Ps. 113. v. 5. *oculos habent & non videbunt*, similis, in meridiana luce planè cæcutijt.

* *Samuel.*
* *Malachim.*

U.

Dices cum judæis, Machabæi, non de tribu Juda ast Levi (ut pote Sacerdotes & Pontifices) oriundi, per annos centum triginta, teste Corn. * ante Herodem Ascalonitam, fuerunt duces in Juda, proinde jam tunc ablatus est & Dux de femore Juda, & tamen tunc non venit Messias: Ergo nec nunc. *Resp. cum Corn. à Lap.* * quem sequitur Tirinus, citans etiam Suarem & alios, negando quod imperantibus Machabæis ablatus sit dux de Juda. Nam *imò*:

* *in Machab. fol. 177. Col. 2 lit. B.*
* *in Gen. 49. v. 10.*

Machabæi

Machabæi licet non fuerint de tribu Juda generatione, fuerant tamen adoptione, seu in tribum Juda cooptatione, & ad unam cum ea familiam constituendam admissione. Sola enim tribus Juda ex captivitate Babilonica redijt, cum alijs paucułis ex Benjamin, Levi, alijsq; tribubus, qui omnes sunt in unam tribum Juda insiti & cooptati, ac judæi vocati, ut ex libris Machabæorum patet, ubi sæpe omnes Israelitæ appellantur judæi. Sicut ergo dum secundùm Legem Deut. * 25. v. 5. & 6. frater fratri suo, absq; liberis mortuo, suscitans semen ex uxore illius, filium primogenitum ex ea, non nomine suo, ast nomine fratris sui defuncti appellare debuit, ita ut de sangvine ejus censeretur esse genitus, quia Lex talem filium non in familiam hujus viventis, ast fratris ejus mortui cooptabat; & sicut etiam nunc dum quis ad stemma alicujus familiæ admittitur, sumit nomen illius, ex illaq; familia posthinc esse censetur; sic & Machabæi in proposito. *2do:* Machabæi erant de tribu Juda electione, quia nempe illos tribus Juda (quæ sola semper jus & potestatem regni, à Deo sibi in Davide attributam habuit) in duces seu principes, ob eorum heroicum zelum & fortitudinem, sponte libereq; elegit. Perinde (ut declarat *Corn. à Lap.* & ex eo *Tirin.* *) ac Romani, verè dicebantur orbi imperare, Romanosq; suos Imperatores habere, licet non rarò imperabant eis exteri liberè ab eis electi, qui non fuerant generatione, ast tantùm libera electione *Romani*, ut Traianus Hispanus, Diocletianus Dalmata, &c. Ut & Poloni dicuntur semper sceptrum regni, Serenissimosq; Reges suos Polonos habere, quamvis sibi exterum in regem eligant, qualis fuit Stephanus Battoreus Transilvanus, Henricus Valesius Francus, Sigismundus Svecus, & alij. Deficeret autem sceptrum à Polonis, non dicerenturq;

W. (margin)

* *Elle Haddebarim.* (margin)

X (margin)

* *in Gen. 49. v. 10.* (margin)

turq; Regem suum Polonum habere, si (quod Deus avertat) tyrannicé essent à Turca oppressi, alienigenamq; ab eo per vim intrusum, deberent in Regem accipere, talis enîm Rex, neq; generatione, neq; electione, posset dici *Polonus*. Et sic defecit sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, cum in regnum judaicum per vim esset Herodes, non Judæus ast Idumæus, à Romanis intrusus. Et hanc ego responsionèm, alijs (quæ sunt plures) puto fundamentaliorem & sufficientiorem esse; nam responsiones aliæ non videntur sufficere. *Dicere* enim cum D. Justino, Athanas. August. & Chrysost. per Judam intelligi hìc totam gentem Israël, cujuscumq; tribus, ita ut & Machabæi Levitæ possint dici judæi. *Non sufficit*: Quia Jacob unicuiq; tribus Israël, propriam illi soli, benedictionem dederat, juxta Gen. * 49. v. 28. *Hæc locutus est eis pater suus, benedixitq; singulis, benedictionibus proprijs:* sicut ergo non rectè quis faceret, si illud ibid. v. 4. dictum ad Ruben: *Effusus es sicut aqua, non crescas*, tribui Joseph (qui ibid, v. 22. *Filius accrescens* dicitur) applicari vellet, & reliqua similia, sic, qui applicat ea Machabæis Levitis, quæ soli tribui Juda inserviunt. *Noto* tamen, quòd si hìc Machabæi sumantur, ut erant post captivitatem Babilonicam tribui Juda insiti & cooptati, optimè (ut ostensum) possunt dici judæi, in hoc fortè sensu SS. Patres addct. sunt locuti. *Dicere* item cum Burgensi & Galatino, quòd præsidentibus Machabæis fuerit summum Concilium Sanhedrim ex septuaginta viris, de tribu Juda collectum, quod Judæ præerat, illumq; regebat. *Non sufficit*: Quia non ex sola tribu Juda, ast & ex alijs colligebatur hocce Concilium; non eratq; dux seu princeps; ast Concilium (quasi Senatus vel Parlamentum) ducis seu principis. *Dicere*

* *Beresith.*

Z.

quoq; cum Melchiore Cano, Machabæos non habuisse ducatum seu principatum verum, ast deposititium, ut scil. eum per modum depositij fideliter conservarent, donec eum proprio heredi, de tribu Juda oriundo, redderent. *Non sufficit*: Quia hoc est arbitrarium, sine omni scil. fundamento dictum; videturq; esse contra Script. 1. Mach. 9. v. 30, ubi ad Jonatham Machabæum omnis populus judæorum dicit: *Te hodie elegimus esse pro eo* (i. e. Juda Machabæo) *in principem*. *Dicere* deniq; cum Lyrano, Abulens. Dionys. Carthusian. & fere comuni Theologorum, Machabæos ex genere materno de tribu Juda fuisse, quia Sacerdotes, & levitæ (ut illi erant) uxores de tribu Juda ducere debuerant. *Non sufficit*: *Tumq;* Falsum est, quòd Sacerdotes & Levitæ de sola tribu Juda uxores ducere debuerant; nullibi enim est hoc eis præceptum. Imò constat aliquos eorum ex tribu etiam Levi (consequenter non Judæ) uxores duxisse; nam utiq;Luc. 1. v. 5. legitur: *Fuit in*
Aa. *diebus Herodis; regis Judææ, Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia; & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen ejus Elisabeth.* Deus quoq; Ezech. 44. v. 22. dicit Sacerdotibus: *Viduam & repudiatam non accipient uxores, sed virgines de semine domus Israël*; proinde non solius Judæ. *Tumq;* Genus maternum pro nullo apud judæos habebatur; ut etiam nunc habetur apud Polonos, apud quos filius ex matre nobili, patre verò ignobili genitus, non habetur pro nobili, ast ignobili. Hincq; fit, quòd nunquam in Script. alicujus, quantumvis sanctæ & celebris, mulieris texitur genealogia, solâ Judith exceptâ Judith. 8. v. 1. quia de ea totus ille est liber. Quamvis ergo Machabæi orti forent ex matribus, de tribu Juda procedentibus, tamen censeri non poterant esse orti de Juda. *Tumq;* S. Cyrill. Alexandrin.* docet, quòd etiam Herodes,

* *l. 8. con- tra Iulian.*

rodes, ex matre de tribu Juda fuerit; dicens: *Qui* (h. e. Herodes) *ex matre quidem fuit judæa, sed ex patre alienigena.* En patet, quòd licet Machabæi de tribu Juda ex matribus forent, id ad verificandum hoc non sufficeret quòd ijs imperantibus dux de femore Judæ fuisset, aliàs fuisset & Herodes dux talis, qui de tribu Juda ex matre procedebat, consequenter nec tempore ejus *dux de femore* Judæ ablatus fuisset, nec Messias venisset. **Bb.**

Accedit: Ludicra quidem fabella Thalmudica, apud judæos tamen pro irrefragabili veritate habita. Nam R. Joden, seu Ibba, *l. Barazot* * *c. Haia Core*, inquit: *Illa die qua natus est Messias, destructa est domus sanctuarij.* Subditq; immediatè hanc fabulam. *Judæo quodam* (ait) *arante, mugivit bos ejus coram eo. Transivit autem quidam Cotvinus* (fortè Corvinus) *& audivit vocem* (mugientis illius bovis) *qui dixit: Judææ fili judæi, solve boves tuos, quia ecce domus sanctuarij destructa est. Mugivit bos secunda vice, & ait:* (Corvinus) *Judææ fili judæi, junge boves tuos, quia ecce natus est Rex Messias. Dixit ei:* (judæus) *Quod est nomen ejus? respondit: Menachen.* (i. e. Consolator) *Dixit ei: Quod est nomen Patris ejus? respondit, Hiskia.* (i. e. virtus Domini) *Et unde est? respondit: De domo regia, de Bethleem Judæ.* En volens, nolens, hic fabulator fatetur, jam Messiam venisse. Similiter illi jam venisse Messiam, quamvis inviti fatentur, qui, teste Lyrano, * fingunt, eum vel cum angelis manere, vel pauperem, leprosum, & afflictum per mundum gradiri, vel Romæ laceratum & vulneratum à canibus delitescere. Sed de hoc quoq; innuam *Art. VII. lit. N.* **A.**

* *i. e. Benedictionum Ierosolimitanarum.*

* *Libello contra judæos, fol. 1712.*

ARTICULUS V.

Quòd Messias jam venit demonstratur ex Oraculo Danielis, Aggæi, & Malachiæ.

DEmonstr. Quò ad 1mum: Dan. 9. v. 4. & sqq. oranti Danieli Prophetæ pro liberatione populi sui è captivitate Babilonica, apparens S. Gabriel Archangelus, nedum illi liberationem populi à captivitate, templiq; ac Jerosolimæ reædificationem, ast etiam Adventum Christi veri Messiæ, & alia ad ipsum pertinentia, appromisit v. 23. & sqq. dicens: *Animadverte sermonem, & intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super*
B. *urbem sanctam tuam, ut consumetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum Ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt: & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem Pactum multis hebdomada una: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium: & erit in templo abominatio desolationis: & usq; ad consumationem & finem perseverabit desolatio.* Ex hoc Oraculo sic clarissimè patet jam venisse Messiam, ut ad hanc veritatem, luce meridiana clariorem, non videndam, jam non sufficiat oculos clausos tenere, ast & eosdem planè eruere, ad speciemq; illarum tenebrarum reduci, quarum *procella* reprobis *servata est in æternum*, ut D. Judas in

sua

sua Catholica v. 13. loquitur. *Nam*: Septuaginta illæ hebdomades, vel septem tantum diebus, vel etiam septem annis, quævis ex eis, constare debuerant; quia apud hebræos ~~& Scripturã~~, his tantùm duobus modis usurpari hebdomada poterat; pro septem diebus Lev. * 23. v. 15. *Numerabitis ergo ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, usq; ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies.* Pro septem verò annis Lev. 25. v. 8. *Numerabis quoq; tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta novem.* Utrôq; autem hôc modô sumptæ hebdomadæ illæ jam dudum sunt elapsæ, proinde Christus quoq; Sanctus sanctorum jam venit: nam si sumatur hebdomada pro septem tantùm diebus, septuaginta hebdomadæ constituent tantùm unum annum & dimidium, qui utiq; jam est pridem elapsus; si verò pro septem annis, (uti sumi debent) tunc septuaginta hebdomadæ facient quadringentos nonaginta annos, qui etiam sunt elapsi, cùm à prophetia illa, usq; ad nos, suprà duo millia annorum effluxerunt. *Ostendo* id in super. Nam omnes partes prophetiæ illius jam sunt pridem impletæ. 1*mo* enim Jerusalem à Nabuchodonosor eversa, iterum est à judæis reædificata, idq; *in* magna *angustia temporum*, ita ut (2. Esdræ * 4. v. 17.) ædificantes civitatem judæi una manu opus facerent, & altera gladium tenerent, oppugnantibus eos undequaq: hostibus. 2*dò*: Occisus est postea Christus, & judæi illum esse verum Messiam negantes, jam deinceps non sunt populus Dei, prout eis quoq; prædictum Os. 1. v. 9. 3*tio*: Impleta est *visio & prophetia*, quia à mille jam & aliquot centenis annis judæi nullum habent Prophetam, qui illis de venturo Messia aliquid prædiceret, aut quando finem accipiet captivitas &

C.

* *Vaikra.*

D.

* *Nehemiæ.*)

dispersio eorum, nuntiaret. *4to:* Civitatem & sanctuarium, i. e. Jerosolimam & templum illius, dissipavit populus cum duce venturo, scil. Romanus exercitus cum Flavio Tito Imperatore, Ierosolimæ eversore. *5to:* Confirmavit *Pactum*, puta Legem novam Evangelicam, *multis*, puta miraculis, *hebdomada una* quia & Christus per semiquatuor ultimos an-
E. nos SSmæ vitæ suæ multa, & stupenda patrando miracula, & Apostoli, post Mortem & Ascensionem illius, per alios semiquatuor (qui juncti, ultimam hebdomadam, seu septem annos constituunt) similia, & aliquando majora (juxta Ejus promissum Joan. 14. v. 12. *) faciendo, Pactum novæ legis firmârunt. *6to:* Defecit *hostia & sacrificium* Aaronicum, idq; (ut mox *lit:* L. dicam) in dimidio hebdomadis, quia judæi occisô Christô, temploq; illorum dirutô, nullibi sacrificant, nullumq; ritum sacrificandi (quamvis à nullo impediantur) Deo sic disponente, attentant, & hôc ipsô non esse se veri Dei cultores (ut revera non sunt, quod ostendo *Art. XXVIII.*) patenter ostendunt; sine Sacrificio enim nunquam potest esse vera religio, cùm præcipuus, & soli Deo proprius cultus sit Sacrificium. *7mo:* Fuit *in templo abominatio desolationis*; nam teste Josepho judæo, qui inibi præsens aderat, * dum Romani jam templum succenderant, & occupaverant, sacrificabant in eo suis idolis, vasa sacra, & quæq; pretiosa ejus diripientes, illudq; modis excogitabilibus profanantes. *8vo:* Est *finis* templi illius *vastitas, & post finem belli statuta desolatio. & usq; ad consummationem & finem perseverabit dasolatio*; templum enim il-
F. lud nunquam deinceps reædificari poterit, quod & hinc patet, nam * Julianus Imperator, Christo rebellis apostata, licet in odium Christi consenserit & voluerit ut hoc templum reædificarent judæi, idq; illi ad effectum deducere o-

* *Vide super hoc D. Aug. Corn. Tirin. & alios.*

* *l. 7. de bello judaico. c. 11.*

* *Teste S. Greg. Nazian. in Orat. 2. contra Julian.*

mnibus

mnibus conatibus attentaverint, divinitus tamen impediti- nil omnino efficere poterant; grandi, ac derepente exorto turbine, materiam omnem dissipante; igne è fundamentis exiliente, opificesq; ac instrumenta illorum comburente; insolitis ac tremendis terræ motibus totam Jerosolimam concutientibus; Cruce præfulgida in àére apparente, alijsq; mirabilibus & indelebilibus crucibus, in vestimentis judæorum cœlesti manu exaratis &c. Planè ergo, & per omnia, hæc Danielis Prophetia est impleta, Christusq; jam venit. Et hoc adhuc *Ostendo*: Nam si jam non fuisset impleta, sequeretur quòd iam nunquam foret implenda, proinde non esset Divinum Oraculum, ast falsa prædictio & deceptoria. Dicitur enim in ea quòd Christus veniens fuerat occidendus, posteaq; Jerusalem cum templo dissipanda, uti patet ex textu, ita ut ad finem mundi perseveratura sit desolatio. Jam verò ante mille & ampliùs annos civitas est illa & templum dissipatum; proinde si ante dissipationem illam Christus necdum venit, nunquam deinceps veniet, prophetiaq; nunquam implebitur. Pro majori autem horum intelligentia.

Theodoret. Hist. Eccl. l. 3. c. 17. Sozom. l. 5. c. 21. Nicephoro l. 10. c. 33. ac alijs pluribus.

G.

Adv. 1mò. Computationem hebdomadarum harum non esse sumendam *ab exitu sermonis* Angeli, seu ab illo tempore quo Angelus Gabriel Danieli erat locutus, (quia sic plures effluxissent anni quàm 490. nam plusquam 500. *) ast *ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem*, i. e. à decreto seu edicto ab Artaxerxe Longimano, Persarum Monarcha, pro judæis facto, quo ille permittebat 2. Esdræ * 2. v. 6. & sqq ut Jerusalem ante annos 70. à Nabuchodonosore dirutam reædificare possent; decretum enim seu edictum principis, imò & ipsius Dei, dicitur passim in Script. *Sermo exiens* seu *egrediens*. Hinc 3. Reg. * 1. v. 27 ait Nathan

* *Teste Tirin. in Chrō Sacro. c. 38.*

* *Nehemiæ.*

* *Malachim.*

H. than ad David: *Numquid à Domino meo rege exivit hoc verbum*, i. e. decretum & edictum, ut regnet Adonias) *& mihi non indicasti servo tuo.* Et hìc Dan. 9. v. 23. Gabriel ad Danielem inquit: *Ab exordio precum tuarum egressus est sermo* i. e. (explicat D. Hier.*) *ut rogare cæpisti, statim impetrasti misericordiam Dei, & egressa est sententia.* Non est quoq; sumenda hæc computatio à decreto de templo reædificando; hoc enim jam priùs subCyro &Dario 1. Esdræ 1. & 1. Esdræ 6. reædificatum erat, ast à decreto ac edicto Artaxerxis Longimani, utiterum ædificetur Jerusalem. Hinc (quidquid dicat Tirin.*) nequit intelligi quòd hæ hebdomades tunc incipere debeant, dum Nehemias perfectâ jam omni fabricâ, dedicationem urbis à se reædificatæ celebravit; ast ab exitu edicti, dum ea jam reædificari cæpit. Non dicit enim Gabriel, *ut sit ædificata & perfecta*, ast: *Ut iterum ædificetur Jerusalem.* Et id in hebr. est.* *Ab exitu sermonis ad reverti faciendum, vel ad reducendum, & ædificandum Jerusalem.* Et quamvis aliquando in Script. *sermo* pro re, phrasi linguæ hebrææ usitata sumatur (quod premit Tirinus) hìc tamen sumi non potest. Licet enim quandoq; sumitur *sermo* pro re facta, tamen semper ibi additur factum esse illum sermonem, ut 2.

I. Reg.* 12. v. 21. servi David dicunt ad eum: *Quis est sermo, quem fecisti?* Et cùm in 3. & 4.* Reg. *ac* 2. Paralip.* dicatur: *Reliqua autem sermonum Roboam. Reliqua autem sermonum Abiam. Reliqua autem sermonum Asa* &c. tamen semper additur: *Et omnia quæ fecit.* Nunquam autem res jam facta & perfecta (ut hìc Jerusalem plenè reædificata & dedicata) dicitur esse *sermo egrediens* seu *exiens*, sic enim solum decretum principis aut Dei, ut jam hìc ostendi, & etiam quandoq; fama volans, in Script. appellari solet, ut Joan. 21. v. 23. *Exijt ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur.* Sic & alibi.

* in hunc locum.

* in Chronic. Sacro. c.38. III & IV. Concl.

* Corn. hìc lit. A.

* Samuel

* Malachim.

* Dibre Haiamim.

Adv.

Adv. 2do. Quamvis ob tam priscæ chronologiæ obscuritatem & varietatem plurimùm sit difficile primum & ultimum harum hebdomarum annum (quæ omnes, ex communi omnium, 490. annos faciunt, ut jam innui) præcisè & perspicuè consignare; ob quod etiam plures, ex sanctissimis quantumvis & doctissimis, in diversas & adversas abiêre sententias, tamen probabile est has hebdomades, consequenter & incæptam reædificationem Jerusalem, inchoandas esse annô septimô Artaxerxis Longomani, qui concurrit (teste Corn. *) cum anno quarto Olympiadis 80. & cum anno Urbis Romæ conditæ 297: Hocq; constare videtur *Tum*, quasi à priori. Nam judæi è Babilone reduces, ut 1. Esdræ 7. v. 8. dicitur: *Venerunt in Jerusalem mense quinto, ipse est annus septimus* (Artaxerxis) *regis.* Proinde annô septimô regis hujus Jerusalem reædificare cæperunt; maximè quia 2. Esdræ * 6. & seqq. Sanaballat alijq; judæorum hostes, totis nisibus fabricam impedire tentabant, quam accelerare ob id opportuit, ut judæi, quò se ab eorum hostilitate reconderent, haberent. *Tum* à posteriori. Dicit enim hìc Gabriel, quòd *ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, ad Christum Ducem*, futuræ erant *hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ*, i. e. hebdomades 69. quæ faciunt annos 483. Legitur autem Luc. 3. v. 1. & 21. quòd *annô quintodecimô imperij Tiberij Cæsaris*, (qui annus coincidit cum anno 4. Olympiadis 201. & cum anno Urbis 781.) baptizatus sit Christus, simulq; Ductor & Doctor hominum (ut verificetur illud: *Usq; ad Christum Ducem*) à Patre cælesti proclamatus, ibid. v. 22. *Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi.* Computes ergo ascendendo ab anno quarto Olympiadis 201. & Urbis 781. adj annum quartum Olympiadis 80. & ad annum Urbis condi-

K.

* *in Dan fol.* 1362 *Col.* 1. *lit* D.

L.

tæ 297. proinde ad annum septimum Artaxerxis Longomani, erunt anni 483. qui complent hebdomades 69. ac è converso per descensum numerando, à septimo anno Artaxerxis usq; ad Christum Ducem sunt anni 483. i. e. hebdomadæ 69. Deinde in dimidio (ut ait Archangelus) septuagesimæ & ultimæ hebdomadis, i. e. annô semiquartô ejus, qui erat illarum 70. hebdomadum annus 487. Romæ 783. Tiberij Cæsaris 18. occisô Christô defecit hostia & sacrificium, dum in morte Christi, *scissô templi velô sancta sanctorum ab indignis Pontificibus recesserunt, ut figura in veritatem, prophetia in manifestationem, & Lex in Evangelium verteretur*, ut ait S. Leo Papa * Hinc nequit id subsistere (ut advertit Corn.) quod dicit Africanus, Rupertus, & Beda, septuaginta hebdomades in ipso anno Passionis Christi præcisè finiri; non dixit enim Gabriel, quòd in fine, ast *in dimidio hebdomadis* ultimæ ex septuaginta, occisô Christô, *deficiet hostia & sacrificium.* Nostra tamen (quod N. B.) hebdomadum harum computatio debet sumi ab anno septimo Artaxerxis Longomani, non præcisè ex quo regnare (etiam simul cum patre suo Xerxe) cæperat, ast dum (post mortem ejus) solus ut Monarcha imperaverat. Debet quoq; sumi ab anno quarto Olympiadis 80. non incipiente ast finiente, dicitur enim in addit, 1. Esdræ 7. v. 8. quòd anno 7. Artaxerxis regis mense quinto, consequenter anno ad finem vergente (mensis enim quintus judaicus *Abnon Abib* dictus * partim cum nostro Julio partim cum Augusto coincidit) judæi in Jerusalem venerint, reædificaturi eam. Olympias etiam quælibet debet accipi pro spatio, non quinq; ast quatuor tantùm annorum, ut Corn. *à Lap.* tum hic *in Dan. 9. v. 25. fol. 1362. Col. 1. lit.* B. innuit, tum *in 4. Reg. 15. v.* 8. pleniùs edisserit, citans Livium, Censorinum, Solinum,

* *Serm. 8. de Pass. Dni* M.

* *Tirin. in Chron. sacro. c. 4.*

Solinum, Diodorum Siculum, Dionysium Halicarnasseum, Eratosthenem, Clementem Alexandrin. & alios. Cui subscribit Tirin. *in Chron. sacro c.* 31. Hinc cavendus est error Conradi Gesneri, qui * dicit unam Olympiadem quinq; importare annos, hoc enim est contra comunem, & ex hoc sequeretur quòd inter Olympiadem 80. & 201. Olympiades intermediæ, non 400. ast 500. annos facerent, hebdomadeiq; 70. non annos 490. ast plusquam quingentos importarent. Et hanc computationem ego cæteris præfero, quia est infundata Script. & quia omnia in ea (non autem in alijs, qualis est & Tirini) ritè cohærent; quamq; Corn. *à Lap.* vir celebris & eruditus * dicit se à bonæ memoriæ Henrico Samerio (cum tota Chronologia mundi) accepisse, & diligenter à nonnullis mendis expurgasse.

N.

* *in Onomâstico pro priorũ verborum v. Olympias.*

* *in Canonibus in Pẽtateuchum fol.* 32.

Adv. 3*tio.* Illas 70. hebdomades divisit S. Gabriel in tres partes, h. e. 1mo. In hebdomades septem, nempe ann. 49. 2do. In hebdomades sexaginta duas, i. e. ann. 434. 3tio. In hebdomadem unam, i. e. ann. 7. Idq; hoc fecit & more hebraismi in quo summa alicujus numeri solet passim enuntiari per partes, ut Ezech. 45. v. 12. *Viginti sicli, & viginti quinq; sicli, & quindecim sicli, mnam faciunt*; Et propter varias res notabiles, illis hebdomadibus contingentes. Nam primis septem hebdomadibus nedum judæi *in angustia temporum* reædificarunt Jerusalem, ast etiam (ait Torniellus *) circa finem earum Esther & Mardochæus claruerunt. Sexaginta quoq; duabus hebdomadibus quatuor res illustres contingerunt; h. e. *proprimis* Alexander magnus in Jerusalem veniens, ibi vero Deo sacrificia magnifica obtulit, & Jaddo pontificem veneratus fuit. *Item.* Antiochus Rex impius atrociter persecutus est judæos, cui Mechabæi heroicè restiterunt. *Item:* Ablatum est *sceptrum*

O.

* *apud Corn. hic in Dan. 9.*

de Juda, & dux de femore ejus, Herode alienigena per vim à Romanis intruso. *Item* Natus est Christus, *in dimidio hebdomadis* ultimæ occidendus. Ultima tandem hebdomas plurimis est nobilitata insignibus, scil. Christi Baptismo, Manifestatione, Prædicatione, Miraculis, Passione, Resurrectione, Ascensione, Spiritûs S. in Apostolos, & ipsorum

P. Apostolorum in mundum universum missione, ac summè mirabili orbis in idololatria, ac varijs sceleribus inhabituati per duodecim Piscatores conversione &c. Hinc delirat R. Salomon, qui ex hac exdivisione 70. hebdomadum duos esse hìc prædictos Christos confingit, * unum, scil. Cyrum in septem primis hebdomadibus, qui captivitatem Babilonicam solvit, judæisq; fuit faventissimus ac qui ob id, *Christus* Is. 45. v. 1. ab ipso Deo vocatur: *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro.* Alterum, in hebdomadibus, sexaginta duabus i. e. vel Joannem Hircanum, vel Herodem Agrippam juniorem, quorum uterq; (mentitur) à Romanis est occisus. Delirat inquam: *Nam*: nec Cyrus ethnicus & idololatra, verum Deum (Is. 45. v. 4. & 5.) non noscens, nec Hircanus, aut Agrippa fuit *Sanctus sanctorum*, idq; talis, sub quo *consummetur puævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & pro-*

Q. *phetia*; alias judæi quid Messiæ, (qui futurus Gen. 49. v. 10. *Expectatio Gentium*, & ibid. v. 18. *Salutare* Domini, & ibid. v. 26. *Desiderium collium æternorum*, & Aggæi 2. v. 8. *Desideratus cunctis Gentibus &c.*) relinquerent, si illa tam magnifica epitheta Cyro suo, idololatræ, Hircano, vel Agrippæ juniori, tribuerent? *Item*: Hebdomades istæ, multis annis post Cyrum, quia usq; 7. anno Artaxerxis Longomani, incæperunt; Agrippa quoq; junior post completas jam 70. hebdomades, quia usq; sub Tito, prope quadregesimo post mortem

* Teste Corn. hic.

mortem Christi anno, Romanis, etiam tempore excidij Jerosolimitani * confœderatus, floruerat. Hinc stultizat hic rabbi, spaciô Hebbomadarum Danielis hos comprehendens. *Demum*: Si liceret fingere Cyrum in hac prædictum esse prophetia quia If. 45. v. 1. appellatur *Christus* posset quoq; quis fingere innumeros Christos, imò & innumeros deos; nam utiq; Saul à David 1. Reg. * 24. v. 11. appellatur *Christus*: *Non extendam manum meam in Dominum meum, quia Christus Domini est*: & David ab Abisai 2. Reg. 19. v. 21. *Maledixit Christo Domini*, i. e. Davidi. Et 1. Paral.* 16. v. 22. omnes uncti scil. Sacerdotes, reges, & prophetæ appellantur Christi: *Nolite tangere christos meos*. Moyses quoq; Exod. * 7. v. 1. Deus Pharaonis appellatur; & Exod. 22. v. 28. dicitur: *Dijs non detrahes, & principi populi tui non maledices*; & Ps. 81. v. 6. *Ego dixi Dij estis*. Hircanus est non à Romanis, ast ab Herode occisus. * At Agryppa junior, (ut non longè supra innui) tempore excidij Jerosolomitici confœderatus Romanis, ab eis non est occisus, ast exaltatus & ditatus, ac post everfam Jerusalem sub protectione illorum usq; ad mortem suam diu vixit. * *Addo*: Quòd delirus hic rabbi non duos ast tres Christos debuerat hìc confingere, cùm non in duas ast in tres partes hebdomades illas Angelus exdiviserat. *Addo*: Quòd dum hìc in textu dicitur: *Post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus*, more hebraismi * sic legendum: Post hebdomades sexaginta duas junctas septem primis, & dimidiæ ultimæ, occidetur Christus. Solent enim hebræi summam alicujus numeri per partes enuntiare & majoribus numeris minores præponere, ut jam hìc ex Ezechiele visum.

* *teste Josepho, & Egesippo, in pluribus locis.*

* *Samuel.*

* *Dibre Hajamim.*

* *R. Velle. Sen. oth.*

* *Teste Tirino in Chron. Sacro. c. 42. & alijs.*

* *Josephus l. 3. de bello judaic. c. 3. & sqq.*

* *Juxta Corn. hìc fol. 1363. col. 2. lit. D.*

Adv. 4to. Pariter insulsum est commentum ejusdem rabbini fingentis hìc non esse sermonem de Christo, ast de

templo Salomonico à Messia reædificando & ungendo; ita ut illæ 70. hebdomades incipiant à prima destructione templi facta per Nabuchodonosor, & in secunda facta per Titum desinant; sitq; sensus: Assignatum est tempus judæis à prima eversione templi usq; ad secundam, *ut* per illud in eis *consummetur prævaricatio*, *& finem accipiat peccatum*, *& adducatur justitia sempiterna*, i. e. ut per tribulationem captivitatis purgentur & justificentur à peccatis suis; *& ungatur sanctus sanctorum*, in hebr. est: *Ungatur Kodes Kadascim*, i. e. *sanctitas sanctitatum*, scil. templum sanctissimum à Messia reædificandum & consecrandum. Et *ratio* est (inquit) quia *Kodes* significat templum, quod hinc patet, nam hìc v. 26. dicitur: *Et civitatem & sanctuarium* (hebr. *Kodes*) *dissipabit populus* Insulsum inquam. *Tumq;*

T. Antiqui Rabbini per *Kodes Kadascim*: non intelligunt templum, ast Messiam, qui est *Sanctitas sanctitatum*, seu Sanctissimus, ut R. Moyses Gerundensis qui * ait: *Messias vocatur* (puta hic) *Sanctuarium sanctuariorum*, *quia futurum erat*, *ut in eo secundùm Humanitatem*, *omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei requiescerent*; *eratq; ipse super omnem creaturam oleô gratiæ ac beneplaciti Dei ungendus.* Hinc & Syrus vertit: *Septuaginta hebdomades requiescent super populum tuum*, *& ad perficiendum visionem*, *& Prophetas*, *& ad Christum Sanctum Sanctorum.* Et Arabicus: *Ad Christum*, *qui est puritas puritatum*, *vel sanctitas sanctitatum.* Ineptit ergo rabbi Salomon per *Kodes Kadascim* templum intelligens. *Tumq;* Hìc expressè dicitur quòd hic *Kodes Kadascim*, i. e. *Sanctitas Sanctitatum*, sit Dux futurus, ungendus, post hebdomades sexaginta duas occidendus; nilq; de prima destructione templi (uti patet ex textu) innuitur,

U. maximè quia illa jam olîm peracta erat à Nabuchodonosor in Monarchia adhuc Assyriorum, hanc verò revelationem

* *apud Galatin. l. 4. c. 18.*

Daniel

Daniel habuerat usq; in Monarchia Persarum & Medorum, nempe *in anno primo Darij filij Assveri de semine Medorum, qui imperavit super regnum Chaldæorum*, ut ipse ait Dan. 9. v. 1. Diciturq; insuper quòd templum secundò destructum nunquam deinceps reædificabitur, at erit *finis ejus vastitas, & usq; ad consumationem & finem perseverabit desolatio*: Ergo hìc sermo de Christo, non de templo, iterum reædificando & ungendo; templum enim Dux esse, & occidi non potest, ac reædificari denuo nunquam poterit. *Tumq;* à prima destructione templi usq; ad secundam plures effluxerunt hebdomades quàm 70. i. e. plures anni quàm 490. effluxerunt enim plures quàm 600. cùm in Monarchia Assyriorũ à Nabuchodonosor facta est prima destructio, post quam Monarchia Persarum per annos 230. duravit, & post Monarchia Græcorum per ann. 302. ubi dein secunda templi eversio facta est in Monarchia Romanorum, quæ ab Octaviano Augusto, usq; ad Titum, templi & Jerosolimæ eversorem, jam duravit ann. 83. uti dicit Baronius, & alij. Hinc inane rabbini hujus commentum. *Addo.* Quód in hac captivitate judæi veniam peccatorum suorum mereri justificariq; non possunt, *quia* nunc (ut prædictum Ezech. 7. v. 12.) *ira super omnem populum ejus*, ut à posteriori patet: carent enim nunc judæi (ut ampliùs ostendo *Art. XXVIII. lit.* F, *& sqq.*) sacrificijs, sacerdotibus, prophetis, oraculis, miraculis &c. quibus patrum illorum nutriebatur pietas, prævaricationisq; Legis amovebantur, peccata delebantur, gratiaq; Dei augebatur. Per quid ergo nunc justificari poterunt? *Ad rationem* Salomon *dico:* Quôd quamvis hìc v. 26. hebr. *Kodes* significet *templum*, nam jungitur civitati, diciturq; æquè ac illa destruendum; tamen dum v. 24. dicitur: *Et ungatur Kodes Kadascim,*

Kadascim, i. e. *Sanctitas sanctitatum*, seu, *Sanctus Sanctorum*,
X. id Christum denotare debet; de hoc enim Sancto Sanctorum, seu Sanctitate sanctitatum ut jam innui) dicitur, quòd sit Dux futurus, occidendus, prævaricationem consummaturus, finem peccatis impositurus, iniquitatem deleturus, & justitiam sempiternam adducturus, quod utiq; convenit Christo, non templo. Hinc loco *Kodes Kadascim*, i. e. *Sanctitas sanctitatum*, rectius cum Nostro alijs punctis legitur: *Kedos Kedoscim*, i. e. *Sanctus Sanctorum*, ut advertit Corn. *

* in Dani. c. fol. 1358 col. 1. lit. B.

Adv. 5to. Ejusdem (si non deterioris) furfuris est aliorum rabbinorum figmentum, dicentium, prophetiam hanc necdum esse impletam; nam quævis illa hebdomas vel constat (aiunt) septem Olympiadibus, vel septem Jubilæis. Et quia quælibet Olympias (dicunt*) constat annis quinq; & Jubilæum annis quinquaginta, sequitur quòd 70. hebdomades Olympiadum faciant ann. 2450. & jubilæorum, ann. plusquam 24000. qui utiq; necdum sunt elapsi. Ejusdem inquam: Nam soli Græci, non autem Prophetæ aut Judæi solebant tempus per Olympiades supputare. Nullibi quoq; Script. hebdomadem pro annis se-
Y. ptem jubileorum accipit, ast tantùm pro septem diebus vel annis, ut hìc dixi *lit*: C. Hinc 70. hebdomades conficere tantum 490. ann. docetur quoq; in Thalmud *l. Sanhedrin c. chelec.* fatenturq; * peritiores rabbini: Ergo inane est hoc commentum, ex sola protervia & obduratione ortum. *Item.* Angelus voluit hìc Danielem summè Christi desiderantem Adventum (ob quod etiam v. 23. *Vir desideriorum* vocatur) consolari eiq; brevi adventurum illum nuntiare. Et ob id dicit v. 24. hebdomades 70. abbreviatas esse, *ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum,*

* error est ut dixi hìc lit. N. contr Gesner.

* teste Corn. hìc v. 24.

peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum: Ergo has hebdomades non sumit pro hebdomadibus Olympiadum vel Jubileorum; hoc enim tempus non foret abbreviatum, ast longè extensum. *Item:* Si liceret cuivis pro libitu computare illas hebdomades tunc prorsus periret omnis certitudo prophetiæ illius, & nunquam posset ostendi illam esse aliquando impletam. Nam etiamsi illi anni Olympiadum vel Jubileorum jam fuissent elapsi, tamen protervus diceret, hanc prophetiam necdum esse impletam, cum una, ex illis 70. hebdomas, non denotet septem Olympiades, vel septem jubileorum annos, ast septem millia annorum; idq; diceret cum fundamento quasi in Script. quæ mille annos pro una die ante Deum reputat Pl. 89. v. 4. *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quæ preterijt.* Aut diceret, quòd una hebdomas importet plures annos quàm septem millia, juxta Pl. 83. v. 11. *Melior est dies una in atrijs tuis super millia.* Et sic judæi nunquam possent illi probare Messiam suum jam venisse. *Addo:* Quia hinc sequeretur, quòd post duo usq; millia annorum, vel post viginti millia Jerusalem & templum judaicum demoliri ac dissipari deberet; quod est contra sensum, cùm omnes evidenter videant illud jam olîm à Tito dissipatum esse. Imo si 70. hebdomades vel numeratæ per Olympiades 2450. ann. vel per Jubileos 24000. importarent nunquam ad finem venirent, nec prophetia impleretur, cùm tot annis mundus non stabit, ut & ipsi Thalmudistæ fatentur, docentes, quòd sex millibus tantùm annorum debeat mundus iste durare. Vide hìc *lit.* Oo.

Z.

Aa.

Adv. 6to: Hebdomades illas dici abbreviatas, non quod sint breviores factæ, quàm fuerant à Deo decretæ vel quòd

constabant annis lunaribus, qui annis solaribus sunt undecim diebus breviores, ut volebant aliqui, * ast quod usq; ad Adventum Christi à Deo paucæ definitæ erant, cùm plures definiri poterant. Hinc ly: *Abbreviatæ* non dicit ordinem ad decretum Divinum semel antea factum de differendo diutiùs Messiæ Adventu, quasi hoc ad Danielis preces revocasset Deus, ast ad decretum quod facere potuisset, & quo fortè Adventum ejus retardasset, ni Daniel hìc, & ante Isaias, alijq; Prophetæ & Patriarchæ, suis precibus & suspirijs accelerationem ejus impetrassent. Sic Mat. 24. v. 22. dies persecutionis Anti-christi dicuntur *breviati*, non quasi sint futuri his diebus nostris breviores, ast quia sunt à Deo pauci decreti. Dicitur quoq; per Christum consummatam esse prævaricationem, & finem accepisse peccatum, non quasi nunc jam nulla committantur peccata, ast quia Christus idololatriam sustulit & dæmonem superavit. Idololatria enim in Script. antonomasticè appellatur *peccatum*, cùm sit & ipsa ingens peccatum, & ansa aliorum plurium peccatorum; dæmon quoq; est author omnis peccati. Insuper, Christus pro omnibus nostris peccatis satisfecit, sicq; illis finem imposuit, ac ea ex parte sua planè abolevit, tamq; efficacem gratiam, & Sacramenta nobis contulit, ut si velimus, facillimè omne peccatum superare possimus. Hinc (ut ait D. Cyprian *) Christianismus est *mors criminum, vita virtutum.*

* Theodoret. Beda & Pererius.

Bb.

* l. 2. Epist. 2. ad Donatum.

Demonstr. Quò ad 2dum & 3tium. *Nam* Aggæi 2. v. 7. & sqq. dicit Deus ad Zorobabel; *Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cœlum, & terram, & mare, & aridam. Et movebo omnes Gentes.: Et veniet Desideratus cunctis Gentibus: & implebo domum istam gloriâ - - - Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quàm primæ, dicit Dominus exercituum: & in*

Cc.

loco isto dabo pacem. Hæc prophetia jam est pridem impleta, proinde & *Desideratus cunctis Gentibus*, scil. Messias, jam venit. Nam 1*mo*: Post *unum modicum* ille erat venturus, consequenter jam venit; cùm ab illa prophetia ad hoc nostrum tempus plusquam duo millia ann. (quod non est tempus modicum) sunt elapsa. Ineptiunt autem judæi, dicentes, per ly: *Modicum*, designari posse tempus longissimum, juxta Ps. 89. v. 4. *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna* &c. Nam licet ly: *modicum*, absolute sumptum possit tempus longissimum denotare, non tamen ut in illis circumstantijs sumitur. Aggæus enim hìc, consternatos judæos, quòd illud à Zorobabel reædificatum templum, longè priori templo Salomonico in magnificentia & divitiis fuerit inferius, consolari volens, dicit post *unum modicum* templum illud Adventu Messiæ, præsentiaq; ejus in illo, (ut mox dicam) majori gloria esse replendum quàm Salomonicum; nulla autem foret consolatio, si id deberet contingere post tempus longissimum, maximè quod nunc hoc quoq; templum Zorobabelicum sit à fundamentis dirutum. 2*do*: Commotum est *cælum* Gabriele Archangelo Zachariæ Præcursorem Christi Luc. 1. v. 11. SSmæ Deiparæ Filij Dei Conceptionem, ibid. v. 26. Pastoribus ejus Nativitatem, Luc. 2. v. 9. Josepho fugam in Ægypum, Matt. 1. v. 20. nuntiante; Nova stella Magos in Bethlehem, Matt. 2. v. 2. deducente; trino sole, post in unum coeunte, alijsq; phenomænis, à Corn. * specificatis, apparentibus. Commota quoq; *terra*, tum metu & admiratione eorum quæ audierunt homines & viderunt de Christo; tum oraculi Delphici, aliorumq; silentiò; tum idolorum de cœlo fulminatione, dejectione, ac liquefactione; * tum Gentium ad relinquenda sua idola, ac ad Christi fidem suscipien-

Dd.

* *in Prop. Minores hic.*

Ee.

* *refert Dio l. 37.*

dam, concursu. Commotum est *mare*, dum per Christi imperium sedatæ sunt ejus procellæ; aquæ pedibus tum Christi tum Petri calcatæ, in retiaq; pisces coacti. Cõmota est & *arida*, h. e. insulæ maris * quia Deus etiam insulanas Gentes ad capessendam Christi Fidem commovit, ut impleatur illud Is. 42. v. 4. *Legem ejus insulæ expectabunt.* Motæ sunt omnes Gentes, tum in descriptione universi orbis, Luc. 2. v. 1. tum ad Fidem Christi, & pænitentiam. *3tio:* Impletum est templum illud gloriâ, quæ major erat templi hujus novissimi Zorobabelici, plus quâm primi Salomonici; non quidem in sanctuariis, oraculis, & miraculis, cùm hæc talia & tanta non fuerant in templo hoc novissimo, qualia & quanta erant in primo, ut etiam ipsi Judæi fatentur. Hinc *l. Sanedrim Hierosol. c. Ekluchen haggolim* * R. Samuel ait: *Quinq; res desuerunt in secundo templo quæ fuerunt in primo, scilicet ignis* (miraculosè è cœlo delapsus) *Arca* (fœderis) *Urim vetummim* (i. e. Rationale Judicij cum ephod, dans oracula) *oleum unctionis* (quo inungebantur Sacerdotes, Reges, Prophetæ, sacraq; supellex) *& Spiritus Sanctus.* Idem est in *Midras Sir Hassirim.* * Nec erat major gloria templi Zorobabelici quâm Salomonici in structura & divitiis; nam templum Salomonicum, templô Zorobabelicô longè fuit in structura & divitiis magnificentius. Hinc Aggæus videns templum à Zorobabel reædificatum hìc v. 4. dicit: *Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? & quid vos videtis hanc nunc? numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris?* Et populus videns templum illud flevisse legitur, eò quòd priori longè esset vilius 1. Esdræ 3. v. 12. Quamvis autem (teste Josepho*) Herodes infanticida templum illud posthinc ampliaverit & exornaverit, tamen id cum magnificentia templi

Ff.

* *Sic hic Lyranus.*

* *i. e. Isti sunt captivi*

* *i. e. in Expositione Cantici Cãticorum.*

* *l. 15. Antiquit. c. 11.*

templi Salomonici comparari, multò magis eam superare non poterat, cùm Herodes non erat Salomone ditior vel devotior. Hinc (ut in aliis pluribus, quæ sæpe in libris *Antiquit.* occurrunt) falsum hìc dicit Josephus dum magnificentiam templi ampliati exornatiq; ab Herode nimis exaggeret, illudq; templo Salomonico in divitiis & structuris prætert. Nam inibi sibi contradicit, quia *l.* 15. *c.* 14. ait templum Zorobabelicum funditus ab Herode esse destructum, ac totaliter aliud novum reædificatum, at *l.* 20. *c.* 8. dicit porticum Salomonis intactam remansisse, quod omnino est verum, cum hæc porticus usq; ad Christi & Apostolorum tempora (Joan. 10. v. 23. Act. 3. v. 11. & Act. 5. v. 12.) perseveraverat. In hoc ergo tantùm *major* erat *gloria* templi Zarobabelici quàm Salomonici, quòd in eo *Desideratus cunctis Gentibus* Christus toties præsens fuerit, prædicaverit, disputaverit, docuerit, Evangelium promulgaverit, miracula patraverit &c. Si enim templum Salomonicum factum est per hoc gloriosum, quòd 3. Reg.* 8. v. 11. per nebulam gloria Domini illud impleverat, & 2. Paral.* 7. v. 1. in illo ignis de cœlo descenderat, multò gloriosius fuit Zorobabelicum dum in eo *Dominus* ascendens *super nubem levem* (Is. 19. v. 1.) i. e. Deus nube Humanitatis velatus, qui est (Deut.* 4. v. 24.) *ignis consumens* toties fuerat commoratus. Si in illo maxima gloria erat Arca fœderis, (hæc enim 1. Reg.* 4. v. 22. appellatur: *Gloria Israël*) multò magis *ipse* (Ps. 23. v. 10.) *Rex gloriæ*. Si in eo, duo Cherubim super Arcam testimonij (Exod.* 25. v. 18.) positi resplendebant, an non magis ille *qui* (Ps. 98. v. 1.) *sedet super Cherubim*, in templo Zorobabel, radiabat. Si in tabernaculo ac propitiatorio, quod erat in templo Salomonis, Deus per Sacerdotes

Gg.

Hh.

* *Malachim.*

* *Dibre Haiamim.*

* *Elle Haddebarim.*

* *Samuel.*

* *Veelle Semoth.*

&

* Vaiedabber. & Prophetas, (Num. * 7. v. 89.) dabat oracula, in templo Zorobabelico (Hebr. 1. v. 2.) *locutus est nobis in Filio.* 4*to:* Data est pax à Deo in loco illo imò & in toto mundo, nam sub Octaviano Augusto, totô mundô in pace compositô Christus est natus, tuncq; Luc. 2. v. 14. Angeli nuntiarunt pacem *in terra hominibus bonæ voluntatis*, ac Simeon *homo justus & timoratus* visô illô, oravit Luc. 2. v. 29. ut ex hac vita dimittatur *in pace.* Christus quoq; post, ut verus, If. 9. v. 6. *Princeps pacis*, pacem suis pro hereditate reliquit, Joan. 14. v. 27. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* *Noto* hìc tamen, Christum dici *Desideratum cunctis Gentibus*; omnes enim Gentes desideraverunt ejus Adventum, nedum appetitu naturali, ut terra arida pluviam, & quævis res illud, quo indiget, desiderare dicitur, (sicut docent Scholastici) ast etiam rationali & elicito. Sciebant enim jam ab initio mundi ex traditione majorum, frequentiq; relatu judæorum, Redemptorem mundi aliquando esse venturum, imo hoc quidam ex eis revelatum habebant, ut Adam, Abraham, alijq; primi Patriarchæ, Melchisedech, (Job cum amicis suis, Sybillæ &c hinc Adventum illius nedum appetitu innato & naturali, ast etiam elicito ac rationali exoptabant. *Noto* quoq; templum Zorobabelicum dicitur hìc *Domus novissima*, quia jam templum illud nunquam deinceps reædificabitur. Sicut enim Deus If. 41. v. 4. Et 44. v. 6. dicitur esse *Primus & Novissimus* quia nec ante illum aliquis alius deus fuit nec post illum est futurus, ut ipse If. 43. v. 10. dicit: *Ante me non est formatus deus, & post me non erit*; sic & templum illud, post quod aliud jam nunquam est futurum. Hinc hallucinantur judæi dicentes, templum illud adhuc tertiò à pseudomessia illorum (quem stultè expectant) reædificandum; contra quos Jer. 7. v. 4.

Ii.

Kk.

dicitur:

dicitur: *Nolite confidere in verbis mendacij. dicentes: templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* Ubi ter repetitur ly: *Templum Domini*, ut prophetice innuatur templum illud tertiò non reædificandum, fidereq; verbis mendacij eos, qui id sibi promittunt. Et meritò: nam & Dan. 9. v. 26. expresè dicitur: *Et finis ejus* (i. e. templi Zorobabelici) *vastitas, & post finem belli statuta desolatio.* Et ibid. v. 27. *Et usq; ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Vide *hic lit.* F. Ll.

Simile est *Oraculum*, hocq; Aggæi confirmat, illud Malach. 3. v. 1. *Statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis* &c. Hæc de Messia dicuntur; qui cùm non purus homo, ast & Deus erat futurus, habere templum suum (quod soli Deo convenit) hìc dicitur; Messiamq; desiderabant & quærebant judæi. Per hæcq; innuitur, illum jam pridem venisse, in illoq; templo commoratum, illud per suam in eo præsentiam majori gloriâ quàm Salomonicum implevisse, si enim necdum venisset, non venisset *statim*; imò jam nunquam venisset, cùm illud templum Zorobabelicum (de quo hìc, cùm hoc tantùm tempore Malachiæ fuit) radicitus sit à Tito excisum.

Dices cum judæis: Illud Aggæi: *Veniet Desideratus cunctis Gentibus*, à LXX. legi: *Venient electa omnium Gentium.* Mm. Et per hoc indicatur non adventus Messiæ, ast adventus gentium ad templum illud visendum & sacrificandum in illo. Quod evenit in Alexandro magno, qui in eo * immolavit hostias, & in alijs plurimis, ut enim 2. Mach. 3. v. 2. dicitur: *Fiebat ut & ipsi reges & principes locum summo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illustrarent.* *Resp.* Hinc nil sequi. *Nam* (præterquam quod in hebr. textu, quem judæi alijs præferunt, sit: *Veniet Desideratus*

* *Teste Josepho & aliis*

deratus

deratus &c. non autem: *Venient electa* &c.) etiam ad templum prius, h. e. Salomonicum fiebat Gentium non contemnendus concursus; quia Regina Saba 3. Reg. * 10. v. 1. & sqq. *multo cum comitatu, & divitijs* Jerosolymam veniens, *& domum quam ædificaverat* Salomon, i. e. templum, *videns*, ac Deum benedicens, plurimum auri, gemmarum, & aromatum illi obtulit. Et Salomon ipse gentiles alienigenas templum illud suum visitaturos in eoq; oraturos prædicens 3. Reg. 8. v. 41. & sqq. dicit: *Insuper & alienigena, qui non est de populo tuo Isräel, cùm venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, & manus tua fortis, & brachium tuum extentum, ubiq;) cùm venerit ergo, & oraverit in hoc loco, tu exaudies in cœlo.* Hiram quoq; Rex Tyri 3. Reg. 5. veneratus est hoc templum, ligna cedrina & abiegna pro constructione illius Salomoni suppeditans. Non erat ergo major gloria templi Zorobabelici præ Salomonico, ex majori Gentium accursu ad illud. *Deinde*: Non omnes gentes ad templum Zorobabelicum venerandum venerant; nam 2. Mach. 3. Heliodorus illud spoliare voluit, & Antiochus 1. Mach. 1. v. 23. reipsa illud spoliavit, Titus verò à fundamentis evertit. Et Alexander sacrificia quidem in eo obtulit, ast (ait D. Aug. *) *non vera pietate, sed impia vanitate,* quia nec ante nec post verum Deum coluit. Hæc itaq; prophetia non concursum Gentium ad templum hoc venerandum (qui non fuit) ast Messiæ in illud Adventum prædicit, qui sicut (ex dictis hìc *lit.* T. & X.) potest dici: *sanctitas sanctitatum*, sic &: *Electa omnium Gentium*, est enim ille ex omnibus, & præ omnibus Gentibus electus & dilectus, cùm per illum omnes sancti sunt à Deo electi & dilecti. Hinc Can. * 5. v. 10. dicitur: *Electus ex millibus.*

Nn.

Oo.

* *Malachim.*

* *l. 18. de Civ. DEI c. 45.*

* *Sir Hasſirim.*

Accedit:

Accedit: Quòd ipſimet Thalmudiſtæ, *l. Sanhedrin c. Helec* referunt, dari quandam prophetiam, à Collegio, ſeu Sociis Eliæ Prophetæ editam, quòd tantum ſex millibus annorum duraturus ſit mundus, & ad initium anni ſeptimi mille perpetuam fore quietem in futura æterna beatitudine. Et hoc juxta numerum ſex dierum, in quibus Deus mundum creavit, & ſeptima die requievit, ita ut cuiq; diei mille anni correſpondeant, juxta Pſ. 89. v. 4. *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies* &c. Sic enim habet prophetia illa, ſecundùm illos, vera, ſecundùm nos autem, incerta: *Sex millia annorum permanebit mundus; duo millia inanitatis, duo millia Legis, duo millia Regis Meſſiæ.* Ubi duo millia inanitatis ſunt anni in ſtatu puræ naturæ ſine lege ſcripta, hiq; erant ab Adam uſq; ad Moyſen; duo millia Legis, ſcil. ad Meſſiam à Moyſe; reliqua duo millia, ſunt anni Regis Meſſiæ. Quia verò (ut & judæi ſupputant) jam quinq; millia annorum à condito mundo ſunt elapſa, imò & ſextum mille jam ad finem vergat, urgentiſſimè ac inviĉtè (ut & expertus ſum colloquendo cum eis) ſequitur, quòd plus quàm ante mille annos *jam venit Meſſias.* A.

ARTICULUS VI.

Quòd judæi perverſiſſimè & imperitiſſimè explicent quaſdam Scripturas, ad Adventum Meſſiæ pertinentes.

DEmonſtr. 1*mo:* Pſ. 44. (qui conſentienbus etiam ipſis judæis, totus eſt de Adventu Meſſiæ) v. 4. dum ad Meſſiam dicitur: *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, potentiſſime.* Et v. 6. *Sagittæ tuæ accutæ populi ſub te cadent*, &c. Et hoc debet intelligi de virtute & fortitudine qua Meſſias mundum, peccatum, dæmonemq; devicit; judæi id craſ-

B. sè & carnaliter, an (juxta sangvinarium suum genium, quo semper innocentem sangvinem sitierunt) crudeliter intelligentes, expectant Messiam regem temporalem, qui magnâ potentiâ, viq; armorum, & non minori sævitiâ, ac effusione sangvinis innocentium, mundum universum expugnet, illosq; temporaliter felices & beatos efficiat. At perversissimè & imperitissimè. *Tumq;* Script. (etiam in hoc ipso Psalmo ac alibi) dicit, Messiam mansvetissimum, mitissimum, pacatissimumq; futurum, pacem universalem orbi allaturum, ac non armis materialibus pugnaturum. Nam hìc v. 5. dicitur: *Propter veritatem & mansvetudinem, & justiam: & deducet te mirabiliter dextera tua.* Et Is. 42. v. 2. de eodem dicitur: *Non clamabit, neq; accipiet personam, nec audietur vox ejus foris. Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extingvet.* Et Is. 51. v. 14. *Citò veniet gradiens ad aperiendum, & non interficiet usq; ad internecionem.* Et Is. 53. v. 7. *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus*
C. *coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Et alibi. Item: De eodem Ps. 71. v. 3. *Suscipiant montes pacem populo, & colles justitiam.* Et clariùs ibid. v. 7. *Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis.* Hinc Is. 9. v. 6. appellatur Messias *Princeps pacis*, subditur de eo statim v. 7. *Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis.* Item Is. 2. v. 4. *Conflabunt* (Gentes adveniente Messia) *gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.* Et Osee 1. v. 7. Messias ait: *Salvabo eos in Domino Deo suo: & non salvabo eos in arcu, & gladiò, & in bello, & in equis, & in equitibus.* Et Zach. 9. v. 10. *Disperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Jerusalem, & dissipabitur arcus belli: & loquetur* (Messias de quo ibi expresse) *pacem* (non bellum & excidium) *Gentibus.* Et

meritò:

meritò: Messias enim, velut mundi hominumq; Redemptor, non interremptor, non armis materialibus ast doctrinâ, & prædicatione, quæ est (Hebr. 4. v. 12.) *penetrabilior omni gladio ancipiti*, idololatriam subvertere debuit, gentesq; sibi subjugare; humilitate verò, mansvetudine, patientiâ, charitate, cæterisq; virtutibus (quæ sunt *arma militiæ nostræ non carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum* 2. Cor. 10. v. 4.) superbiam mundi debuit retundere, malitiamq; ac tyrannidem diaboli profligare, & in impiis impietatem occidere. Hinc de illo Is. 30. v. 28. dicitur: *Spiritus ejus velut torrens inundans usq; ad medium colli, ad perdendas Gentes in nihilum, & frænum erroris, quod erat in maxillis populorum.* Ubi per *frænum erroris in maxillis populorum* S. Greg. Magnus * idololatriam, & consequenter alia crimina, quibus erant Gentes obstrictæ, intelligit, quæ Messias perdidit in nihilum, occidendo non homines, ast *frænum erroris*, h. e. impietatem in impiis, per hocq; mutando eos in pios. Apage ergo ille pseudomessias judaicus, innocentis sangvinis per dira bella effusor, hominumq; mactator, non rex mansvetissimus & mitissimus, ast tyrannus sævissimus, prædoq; truculentissimus. *Tumq;* Messias debuit esse Gen. * 49. v. 10. *Expectatio Gentium*, talisq; ut solium ejus præparetur in misericordia Is. 16. v. 5. *Et præparabitur in misericordia solium, & sedebit super illud in veritate in tabernaculo David.* Debuit esse Dan. 9. v. 24. *Sanctus Sanctorum.* Et Agg. 2. v 8. *Desideratus cunctis Ge tibus* &c. Ergo non talis, qualis à judæis fingitur pseudomessias ille sangvinarius; nam ille non esset *expectatio*, ast detestatio *Gentium*; non cujus *solium* præpararetur *in misericordia*, ast in sæv tia; non esset *Sanctus Sanctorum*, ast tyrannus tyrannorum; non *desideratus*, ast abominatus *cunctis Gentibus*.

D.

E.

* *Hom. 18. in Ezechiel.*

* *Beresith.*

Tumq; Gladius (adèóq; & reliqua arma) non semper in Script. sumitur pro gladio materiali & humano, quali humana bella geruntur, ast quandoq; pro spirituali & divino, scil. *vel* pro Divina Omnipotentia, ut If. 31. v. 8. *Cadet Assur in gladio non viri, & gladius non hominis vorabit eum.* Vel pro Divina Justitia, ut If. 34. v. 5. *Inebriatus est in cœlo gladius meus: ecce super Idumeam descendet, & super populum interfectionis meæ, ad judicium.* Vel pro Verbo Divino, ut If. 49. v. 2. *Posuit os meum quasi gladium accutum.* Ergo & in addct. Psalmi pro gladio spirituali i. e. pro Verbo Divino, sumi debet, quia id & supra allatæ rationes evincunt, & quia in addct. Psalmo alia quoq; in sensu spirituali & mystico intelligi exigunt, quale est illud v. 10. de *regina* adstante à dextris Messiæ *in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Hoc enim simpliciter & quò ad litteram intelligi nequit, ast mysticè & spiritualiter, scil. de Ecclesia Christi vel Anima justi, ornamentis virtutum decorata', ut inibi v. 14. explicatur dum dicitur: *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus*, i. e. intrinsecus in corde & spiritu. Sensus ergo textus illius est, ait D. Hier. * *Accingere gladiô, verbô prædicationis, qui divisit filium a patre: filiam à matre, nurum à socru. Circa femur tuum, super carnem assumptam* &c. *Sagittæ tuæ acutæ, prædicationes corda hominum transfigentes, Acutæ: quia usq: ad interiora cordis penetrant. Populi sub te cadent in corda inimicorum regis, à compunctione prædicationis, in corde corruunt, ut non superbiant, sed humiliter credant. Qui fuerant non credendo inimici Regis* (Christi) *fiant credendo amici.* Hæc ille. *Addo:* Quòd dum judæi Messiam Gentium occisorem & debellatorem expectant, horrendè Messiam verum blasphemant, illumq; similem falso prophetæ Machometo faciunt; hic enim viri sangvinum,

in

F.

G.

* *in hunc Psalmum.*

in *Alcorano c. Ensis*, blaterat, se missum esse à Deo, ut suam legem per totum mundum promulget, non miraculis vel rationibus, ast armis & gladiô. Pari modo hi nebulones loco Messiæ *desiderati cunctis Gentibus*, prædonem dirum, hominum lanionem cruentum, tyrannumq; truculentissimum præstolantur perversissimè. H. *Dices* cum judæis: Ezech. 39. v. 2. & sqq. dicit Deus ad Gog & Magog: *Adducam te super montes Israël. Et percutiam arcum tuum in manu sinistra tua, & sagittas tuas de manu dextera tua deijciam super montes Israël cades tu, & omnia agmina tua, & populi tui, qui sunt tecum.* Et subdit v. 9. & sqq. *Et egredientur habitatores de civitatibus Israël, & succendent, & comburent arma, clypeum, & hastas, arcum, & sagittas, & baculos manuum, & contos: & succendent ea igni septem annis. Et non portabunt ligna de regionibus, neq; succident de saltibus: quoniam arma succendent igni.* Ex quo Thalmudistæ inferunt, Messiam cum hostibus judæorum in monte Oliveti pugnaturum, eosq; tanta strage profligaturum, ut judæi hastilibus, sagittis, baculis, clypeisq; eorum per totos septem annos, fornaces accendant, cibosq; conquant & assent. Simile est illud Zach. 14. v. 3. *Egredietur Dominus, & præliabitur contra gentes illas, sicut præliatus est in die certaminis. Et stabunt pedes ejus in die illa super montem Olivarum* &c. Ergo Messias pugnabit quoq; armis materialibus. I. *Resp.* Prophetias has esse non de primo in humilitate ad redemptionem, ast de secundo in Majestate ad judicium Messiæ Adventu, ubi ille in monte Oliveti *Gog*, i. e. anti-christum, & *Magog*, i. e. exercitum ejus virtute Divinitatis suæ magna clade protéret, ita ut per septem annos, (qui indefinitè, i. e. plures vel pauciores post anti-christi interitum sunt futuri, ut rectè deducit Corn.*) veri Israëlitæ,

* in Ezech. 39. v. 9.

litæ, jam omnes tunc Christum colentes, conburent arma cæsorum. Quòd autem etiam tunc non pugnabit Messias armis materialibus prædicitur Is. 11. v. 4. *Percutiet terram virgâ oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet* (anti-christum, quem pro Messia judæi acceptabunt) impium.

2do: Dum Ps. 146. v. 2. dicitur: *Ædificans Jerusalem Dominus: dispersiones Israëlis congregabit.* Et Jer. 33. v. 16. *In diebus illis salvabitur Juda, & Jerusalem habitabit confidenter.* Hoc judæi, pro more suo, carnaliter intelligunt, putantq; quòd adveniente Messia Jerusalem illorum reædificabitur; judæi dispersi congregabuntur, ab hac, in qua degunt, captivitate salvabuntur, Jerosolymisq; securè & confidenter habitabunt. *At* nomine Israëlis & Juda (ut etiam ostenditur *Art. XIX.*) non debent hic intelligi judæi carnales ast spirituales, i. e. fideles in Christum credentes; qui enim in illum non credunt, etiamsi, secundùm carnem sint ex Abraham & Juda, sunt Dan. 9. v. 26. & Os. 1. v. 9. non populus Dei; quos consequenter Messias pro officio suo non ædificare, congregare, salvare, ast destruere reprobareq; debet, nam utiq; Is. 7. v. 15. Messias debet scire *reprobare malum, & eligere bonum. Deinde* quamvis hic intelligerentur etiam judæi carnales, tamen hæc sunt eis tantùm sub conditione promissa, si scil. recipient promissum missumq; sibi Messiam, tunc enim illi, (ut jam dictum *Art. IV. lit.* R.) Jerusalem inhabitarent, terram promissionis possiderent, in eaq; gloriosè regnarent. At quia hæc conditio purificata non fuit, nec promissa illa Divina suum sortita sunt effectum. Dum enim homo conditionem non implet, Deus quoq; promissa sua rescindit Sic Gen. * 17. v. 8. promiserat Deus Abrahæ: *Daboq; tibi & semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem*

K.

L.

* *Beresith.*

nem æternam: & tamen terram illam posteri Abrahæ nec totam ob peccata sua Judic. * 1. v. 21. & sqq. possederunt, nec semper eam retinuerunt, ac deinde finaliter amiserunt. Et Exod. * 3. v. 8. & alibi sæpe promiserat Deus quòd filios Israël *in terram quæ fluit lacte & melle* inducet, quod tamen non factum, quia Num. * 14. v. 22. & sqq. præter Caleb & Josue, nullus ex eis terram illam intravit, quos Deus ex Ægypto eduxit, ast omnes in deserto sunt mortui. Introducturus erat Moyses & Aaron in terram promissionis filios Israël, ipseq; eam ingressurus; at quia uterq; eorum Num. 20. ad aquas contradictionis peccavit, neuter terram illam ibid. v. 19. intravit. Heli 1. Reg. * 2. v. 30. erat futurus sacerdos cum domo sua *usq; in sempiternum* tamen ob peccatum suum perijt & ille, & tota domus illius 1. Reg. 4. v. 17. & sqq. Similia sunt ferè innumera. Nunquam ergo jam Jerusalem plenè reædificabitur, ac nunquam eam judæi inhabitabunt confidenter, quia hoc tantùm erat futurum sub conditione recipiendi Messiæ, quem quia non receperunt, imò & occiderunt, est Dan. 9. v. 26. *finis ejus vastitas*, ac *statuta desolatio*.

* *Sophetim.*
* Veelle. Semoth.
* *Vaiedabber.*
* *Samuel.*

M.

3*tio*: Dum Is. 2. v. 2. dicitur: *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes Gentes.* Judæi hinc ineptè inferunt, Messiam necdum venisse, quia nec sunt adhuc dies novissimi seu finis sæculi, nec mons domus Domini, i. e. Sion est in vertice montium, elevatus super omnes colles, nec omnes Gentes in Messiam crediderunt & credunt. Hinc fabulantur, quòd usq; in fine mundi Messias est venturus, tuncq; mons Sion erit in vertice montium, & elevabitur super colles, monti enim Carmelo & Thabor (dicunt*) superponetur, ac tribus milliaribus sursum

N.

* *Teste Galatin. l. 5. c. 3. & Ly*

ran. l. contra perfidi. jud. fol. 350. sum attolletur. *At* hoc crassè fingunt & carnaliter. Nam imprimis per novissimos dies non semper in Script. intelligitur finis sæculi, ast persæpe tempus sequens seu futurum, quia hebr. *akbarit* quod noster hìc vertit *novissimum* denotat tempus futurum. Sicut ergo dum Gen. * 49. v. 1. Jacob benedicturus filijs dicit: *Congregamini ut annuntiem quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis*, per dies novissimos non intelligit finem sæculi, ast tempus futurum, quia utiq ablatio sceptri de Juda, quam inibi prædicit (uti & alia) non contigit in fine sæculi, ast in tempore futuro, sub Herode scil. Ascalonita; sic & hìc Is. 2. utrobiq; enim ponitur ly: *acharit*. *Deinde* tempus Adventûs Messiæ quamvis non sit in fine sæculi tamen est verè novissimum comparativè ad tempus Legis naturæ ac tempus Legis Moysaicæ, Legi enim Gratiæ jam nulla alia lex succedet. De monte autem Sion monti Carmelo & Thabor imponendo ludicra est fabula nulli prorsus fundamento nixa; tunc enim mons Carmelus & Thabor in Jerusalem (uti volunt judæi *) transferri deberet, illisq; mons Sion imponi, quod est mera fictio, cùm non dicat Propheta alios montes in Jerusalem tunc esse transferendos, ast solum montem Sion elevandum, i. e. nobilitandum celebrioremq; quàm ante reddendum per opera mirifica advenientis Messiæ, ut hoc etiam fatetur R. Salomon * dicens: *Hoc est dictum* (de elevatione montis Sion) *quia tanta signa & majora debent fieri in Adventu Christi in monte Sion, quàm in prædictis aliis montibus*. Et meritò. Sicut enim dum de Messia Is. 52. v. 13. dicitur: *Exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valde*, non est sensus, quòd staturâ ast quòd miraculosis divinisq; suis operibus sit futurus cæteris præcellentior, sic & mons Sion. Quod factum dum Christus in monte illo toties prædica-

* Beresith.

O.

* teste Lyrano citt.

* apud eundem.

vit,

vit, suam doctrinam cælicam promulgavit, penes probaticam piscinam Joan. 5. langvidum triginta octo annos habentem in infirmitate sua, & cæcum natum Joan. 9. sanavit, multaq; alia miracula fecit. Inibiq; mirabilem Cœnam suam novissimam celebravit, redivivus pluries Discipulis apparuit, postq; Spiritum Sanctum in eosdem misit &c. Demum Gentes omnes crediderunt in Christum, h. e. plures ex omnibus Gentibus, ly enim *omnes* sumitur plerumq; in Script. pro pluribus, ut dum 2. Reg. * 17. v. 14. dicitur: *Dixitq; Absalom, & omnes viri Israël: Melius est consilium Chusai,* ly: *omnes* sumitur pro pluribus, nam tunc penes Absalom non erant omnes viri Israël, ast tantùm plures ex eis. P.

4*to:* Dum Is. 2. v. 4. de Gentibus tempore Messiæ dicitur: *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non levabit Gens contra Gentem gladium, nec exercebuntur ultrà ad prælium.* Judæi hoc (ut assolent) carnaliter intelligentes, sibiq; contradicentes, (jam enim hîc *lit.* A, dixerant pseudomessiam illorum Gentes debellaturum, & per dira bella excisurum) aiunt, quòd adveniente Messia nulla jam prorsus bella gerentur, nullaq; Gens contra aliam præliabitur; adèóq, inferunt, necdum Messiam venisse, cùm adhuc gentes inter se prælientur. *At* ineptè. *Nam* hìc proprimis de pace tantùm spirituali est sermo, quam nobis veniens verus Messias (ut ait D. Chrysost. *) quadruplicem contulit, *tum* carnem spiritui subijcere nos docendo, quô factô cessant bella in homine; *tum* Deo hominem reconciliando, & sic pax inter Deum & hominem; *tum* Gentes tam inter se quàm cum judæis in unitatem fidei congregando, unde pax inter ipsos homines; *tum* gratiam his quos pacificavit ad perseverandum in hac pace Q.

* *in Is. 9. v. 7.*

finaliter tribuendo, unde pax æterna: *Deinde*, pacem quoq; temporalem, etiam semper duraturam, Messias veris suis fidelibus contulit; nam per suam doctrinam sustulit prorsus bella injusta, ambitiosa, & tyrannica, quibus olîm ex mera dominandi libidine invadebantur innocentes; & qualia plures tyranni ante Christum gesserunt, ut Assyrij, Chaldæi, Persæ, Medi, Græci, Romani, & alij. *Imò*, omnia bella, etiam justa, quantùm est ex se per doctrinam suam sustulit, qua quæcipit ne unus alteri injuriam quamq; faciat, ut (præter alia plura) Matt. 7. v. 12, dicens: *Omnia ergo quæcumq; vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim Lex & Prophetæ.* Si enim omnes homines hanc divinam doctrinam ejus servarent, nullusq; alteri injuriam faceret, quam ille justô bello vindicare deberet, nulla etiam justa bella forent, juxta illud,

R.

*Si duo de medio tollas pronomina rerum, **
Prælia cessarent, pax sine fine foret.

* *h. e. Meum, & Tuum.*

Hinc de Messia Zach. 9. v. 10. dicitur: *Dissipabitur arcus belli, & loquetur* (i. e. præcipiet Messias) *pacem Gentibus.* Et natô illô Angeli Luc. 2. v. 14. cecinerunt: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Instantia est in medico, qui rectè diceretur omnes ægritudines sustulisse, ac omnibus hominibus universalem sanitatem contulisse, si efficacissimam medicinam contra omnes morbos conficeret, qua tamen nolent uti infirmi, sibi imputaturi, si ægrotarent, non illi. *Taceo* responsionem aliorum * dicentium, sub Nativitate Christi, imperante Octaviano Augusto totum mundum fuisse in pace compositum, quæ pax diu durabat, semperq; in posterum durasset, si omnes homines doctrinam Christi recepissent, ac adamussim eam observassent.

S.

* *Eusebij l. 1. de Præparat. c. 1. Lyrani libell. contra perfid. jud. fol. 351. & passim Scholasticorum.*

Sto:

sto: Dum Is. 7. v. 15. de Messia dicitur: *Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Hoc judæi ad litteram, crasseq; intelligunt, dicentes quod Messias comedendo butyrum & mel, quod est dulce ac bonum, sapiens erit, boniq; ac mali discretionem habebit. *At* quis hìc risum contineat? vel enim Messias illorum erit sapiens quòd butyrum & mel comedet? vel quia comedet? ita ut hæc comestio sit causa sapientiæ ejus? Sed dici nequit sapiens *quòd* hæc comedet, quamvis enim ea sint dulcia, non sunt tamen undequaq; bona & salubria; qui autem id, quod non est undequaq; bonum & salubre, comedit, est stultus & non sapiens. Nec sapiens erit *quia* comedet, ubi enim in naturis rerum innuitur, quòd comestio butyri & mellis sapientiam conferat? videmus enim quòd butyrum & mel etiam stultissimi comedant, nec tamen per hoc sapientes evadant. Unde id non literaliter ast allegoricè intelligi debet. Verba enim & doctrina Dei sunt super mel & butyrum dulcia, ut de divinis eloquiis Ps. 18. v. 11. dicitur: *Dulciora super mel & favum.* Et de doctrina Prov. * 24. v. 13. & 14. *Comede, fili mi, mel, quia bonum est, & favum dulcissimum gutturi tuo. Sic & doctrinâ sapientiæ animæ tuæ.* Et Cant. * 4. v. 11. Divinus Sponsus laudans Sponsæ suæ verba sensata & prudentia, ait: *Favus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingva tua.* Dum ergo hìc de Messia dicitur, quòd *butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum & eligere bonum*, sensus est: quòd sapientiâ divinâ, ac cœlesti discretione replebitur, ut discernat inter bonum & malum, prout idem Propheta, quasi semetipsum explicans, clariùs de hoc loquitur Is. 11. v. 2. & sqq. *Dices:* Jonathas cùm 1. Reg. * 14. v. 27. gustasset paululum mellis, *illuminati sunt oculi ejus:* Ergo simile de Messia

T.

* *Miste.*

* *Sir Hasirim.*

* *Samuel.*

U. ſia dici poterit. *Reſp.* Quòd (præterquam quòd ibi non dicatur de oculis Jonathæ ſpiritualibus aſt materialibus) Jonathæ per mel guſtatum oculi ſunt illuminati, non quaſi ipſe majorem perſpicacitatem oculorum per hoc nactus eſſet, aſt quia * oculi ejus cùm priùs ex defatigatione ac inedia deficientibus ſpiritibus caligabant, ſumpto melle refocillati fuerant; caligat enim (ut experientiâ conſtat) viſus jejunorum, reſtauratur autem ſumptô cibô. Sed quid hæc ad propoſitum?

* *Vatablus in hunc locũ*

ARTICULUS VII.

Quòd judæi & alias Scripturas, ad Adventum Meſſiæ pertinentes, temerè explicent, frivoléq; intelligant.

DEmonſtr. 1mo: Iſ. 11. v. 6. & ſqq. dicitur: *Habitabit lupus cum agno: & pardus cum hædo accubabit: vitulus & leo & ovis ſimul morabuntur, & puer parvulus minabit eos.*

A. *Vitulus & urſus paſcentur: ſimul requieſcent catuli eorum: & leo quaſi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab ubere ſuper foramine aſpidis: & in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet. Non nocebunt, & non occident in univerſo monte ſancto meo: quia repleta eſt terra ſcientiâ Domini.* Judæi id ad litteram & ſimpliciter intelligendum putant, dicentes, adveniente Meſſia tantam pacem & tranquillitatem futuram, ut nec lupus devoret agnum, nec pardus hædum, nec leo vitulum & ovem, nec reptilia venenata hominibus noceant. *Aſt* ineptè & imperitè. *Tumq;* Ex dictis *Art.* 6. *lit.* A. & ſeqq. judæi talem Meſſiam expectant, qui potentiâ & armis homines ſit debellaturus, plurimumq; ſangvinem humanum fuſurus, ac per hoc omnem pacem de terra ablaturus; quomodo ergo talem pacem & tran-

quillitatem

quillitatem inter bestias ipsas inducet, ut illæ contra suam naturam, non insidientur alijs per antipathiam sibi oppositis? nisi fortè talis Messias magis faveret paci bestiarum quàm hominum, proindeq; Messias non humanus, ast pecorinus ac belluinus foret? *Tumq;* Messias non hoc fine erat venturus ut brutorum animalium naturalem antipathiam tolleret, ac ea inter se pacaret, (hic enim finis Adventus illius esset vilissimus & ineptissimus) ast ut homines à captivitate peccati & dæmonis redimeret, peccata eorum deleret, animabusq; eorum justitiam sanctitatemq; insereret, ut *Art. seqv.* demonstrabitur: Ergo frivola brutalium judæorum fictio. *Tumq;* Si id litteraliter & simpliciter deberet intelligi, tunc solus lupus haberet tunc pacem cum agno, & pardus cum hædo, & leo cum ove ac vitulo; adhuc tamen lupus inquietaret hædum, ovem, & vitulum; pardus, ovem, vitulum & agnum; leo, agnum, hædum, lupum, pardum, ac ursum; ursus omnia illa præter vitulum. Ergo hôc ipsô inter illa animantia non esset universalis pax & tranquillitas, quam tamen fingunt judæi. *Tumq;* Dum Ps. 95. v. 12. & 13. dicitur: *Tunc exultabunt omnia ligna silvarum à facie Domini quia venit.* Et Ps. 97. v. 8. & 9. *Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt à conspectu Domini: quoniam venit.* Et Is. 43. v. 20. *Glorificabit me bestia agri, dracones & struthiones.* Nolint velint judæi figuratè & metaphoricè debent hæc intelligere; ne si dicerent ligna silvarum & montes posse propriè exultare, flumina manu plaudere, bestias agri, dracones & struthiones Deum glorificare, omnibus se deridendos, ut deliros & planè stultos, exponerent. Item: Dum Gen. * 49. filij Jacob nominibus variarum ferarum vocitantur, ut v. 9. *Catulus leonis Juda*; v. 14. *Issachar asinus fortis*; v. 17. *Dan coluber*

B.

C.

* *Beresith.*

coluber in via, cerastes in semita; v. 21. *Nepthali, cervus emissus*; v. 27. *Benjamin lupus rapax.* Et dum Jer. 4. v. 7. de Nabuchodonosore dicitur: *Ascendit leo de cubili suo*; & de Synagoga Ezech. 19. v. 2. *Mater tua leæna*; ac Amos 4.
D. v. 1. de principibus Samariæ: *Audite verbum hoc vaccæ pingues.* &c. Utiq; non concedent judæi id in sensu reali ac physico dici, præfatosq; physicè catulos leonis, asinos, colubros, cerastas, cervos, lupos, leones, leænas, aut vaccas pingves fuisse, ast tantùm metaphoricè. Cur ergo non, & in proposito? *Tumq*; Causam ob quam tempore Messiæ lupus cum agno pardus cum hædo leo cum vitulo & ove, vitulus cum urso sit habitaturus, accubaturus, pascendus & requieturus. Isaias assignat, inibi dicens: *Quia repleta est terra scientiâ Domini:* Ergo loquitur ibi figuratè, non autem physicè, i. e. de hominibus, non autem de brutis animalibus, hæc enim scientiam Domini, seu cognitionem Dei habere non possunt. *Tum demum*: Quia *ibid.* omnia ferè dicuntur metaphoricè; ut dum v. 1. dicitur: *Egredietur Virga de radice Jesse, & Flos de radice ejus ascendet.* Et v. 4. *Percutiet terram virgâ oris sui.* Et v. 6. *Erit justitia cingulum lumborum ejus: & fides cinctorium renum ejus.* Et v. 10. *Radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur,*
E. *& erit sepulchrum ejus gloriosum.* &c. Nil enim horum potest sumi physicè; nam nec Messias (de quo hæc dici, ipsi quoq; judæi fatentur *) erit virga vel flos physicus; nec physicam virgam in ore suo habebit; nec justitia cingulus physicus lūborum ejus, aut fides cinctorium renum ejus esse poterit; nec ipse est physica radix Jesse quam Gentes deprecarentur, & quæ sepulchrum gloriosum haberet &c. Ergo & illa figuratè & metaphoricè sunt dicta, ac sunt, in Adventu veri Messiæ

* teste D. Hier. in Is. 11. v. 1.

D. JESU adamussim impleta. Nam tunc habitavit *lupus cum agno*, i. e. Saulus priùs in Christianos sæviens, qui ob id, & quia de tribu Benjamin (Rom. 11. v. 1.) oriundus esset, *lupus rapax* fuerat, cum Anania mansveto Christi discipulo Act. 9. v. 17. & sqq. *Pardus cum hædo*, leo cum ove, ursus cum vitulo accubavit, & moratus est simul, i. e. homines antea feroces, superbi, ac truculenti, ut pardi leones & ursi cum mansvetis, humilibus, & simplicibus, in eadem Ecclesia Christi pacatè & concorditer sunt versati, juxta Act. 4. v. 32. *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una. Puer parvulus* minavit eos, i. e. erant subjecti Summo Ecclesiæ Præsuli, quantumvis pauperi & ignobili, qualis fuit Petrus Piscator, & nonnulli alij. *Leo quasi bos* comedit *paleas*, i. e. superbi quondam & arrogantes homines. humanos & humiles induerunt mores, vulgariq; escâ humilium Christianorum, tam corporali quàm spirituali sunt usi. *Infans ab ubere* delectatus est *super foramine aspidis, & in caverna reguli manum suam* misit, i. e. etiam pueri, adolescentuli, ac tenerrimæ virgines Christum confitentes, eum gaudenter ac intrepidè coram truculentis tyrannis sunt confessi, ita, ut eti m ultrò ad Martyrium sese ingererent, nullaq; tormenta formidarent. *Imò* etiam feræ physicæ, virtute Christi sunt plerumq; sanctis Martyribus, eis ad devorandum expositis, mansvefactæ, venenosaq; reptilia (juxta Christi promissum, Marc. 16. v. 18.) non nocuerunt illis, ut legitur in monologijs, Vitisq; Sanctorum. F.

Quòd autem figuratè possit, & persæpe debeat explicari Script. patet, *tum* ex dictis, *tum* Dan. 8. ubi dum Propheta vidit in visione arietem, & postea hircum inter se pugnantes, Angelus jubet id eum non simpliciter & physicè, ast symbolicè & metaphoricè intelligere, v. 20. & 21. G.

dicens:

dicens: *Aries, quem vidisti habere cornua. rex Medorum est atq; Persarum. Porro hircus caprarum, rex Grecorum est.* *Dices*: Os. 2. v. 18. dicit Deus expressè se tunc etiam feras, volucres, & reptilia pacaturum: *Percutiam cum eis fœdus in die illa, cum bestia agri, & cum volucre cœli, & cum reptili terræ: & arcum, & gladium, & bellum conteram de terra: & dormire eos faciam fiducialiter.* *Resp.* Hinc pro judæis nil sequi; illi enim fingunt, tempore Messiæ illorum, inter ipsas bestias concordiam, idq́ universalem futuram, at hìc Deus dicit, quòd bestias, volucres, ac reptilia pacificabit, non ad invicem ast *cum eis*, i. e. hominibus. Hinc id debet intelligi, *vel* de aliquibus sanctis, quibus, ex speciali Divino privilegio feræ mansvefactæ fuerunt, non nocueruntq́; aves rapaces, ac venenata reptilia, ut jam innui; *vel* debet intelligi metaphoricè & symbolicè, ita, ut per bestias, homines truces & crudeles; per volucres, timidi & elati; per reptilia, iracundi, versuti, ac ventri deditis; denotentur. Unde dum Act. 10. v. 11. & 12. vidit Petrus linteum plenum quadrupedibus, reptilibus, ac volucribus, id significare gentiles convertendos ad fidem, ex Divina revelatione (hanc quoq́; prophetiam fortè respiciens) ibid. v. 28. 34. & 35. intellexit.

H. *2do:* Dum Is. 16. v. 1. pro Adventu Messiæ deprecatur Propheta, dicitq́; *Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ, de Petra desertì ad montem filiæ Sion.* Per idq́; exprimit se desiderare ut Christus, tanquam (Jer. 11. v. 19.) *Agnus mansvetus, qui portatur ad victimam*, Dominator tamen universæ terræ, mitteretur *de Petra deserti*, h. e. de Moab, cujus Metropolis erat civitas, dicta *Petra deserti.* * Idq́; ut mitteretur, oriundus ex sangvine abaviæ suæ, nempe Ruth Moabitidis in Petra deserti prognatæ, de qua po-

* *Teste D. Hier. Lyrā. & Corn. hic.*

stea

ſtea (Matt. 1. v. 5.) Chriſtus pro defacto eſt natus; R. Salomon, aliję; cum eo, volendo, ex odio Chriſti, obſcurare omnes Script. Adventum ejus prædicentes, ly: *Emitte Agnum Domine, Dominatorem terræ*, falsò vertunt: *Mittite agnum dominatori terræ*; ſicę; id explicant; quòd quia Moabitæ debuerant regi Iſràël, quotannis centum millia agnorum locô tributi ſolvere, ut legitur 4. Reg. * 3. v. 4. mortuôę; Achaz id noluerint facere, judæi, cum Ezechias, filius Achaz, rex pius & potens, regnare jam cæperat, inſultabant Moabitis dicentes: *Mittite de Moab* (ut debetis) *agnos dominatori terræ*, i. e. Ezechiæ, qui eſt rex felix & potens, proinde metuendus & vobis. *At* LXX. vertunt: *Emitte Agnum Domine, Dominatorem terræ*: non autem: *Mittite agnum* Moabitæ, *dominatori terræ* Ezechiæ, ut impius hic rabbi, præ cæteris corruptor divinæ Script. audaciſſimus, inſulsè blaterat. *Deinde*: Falſum eſt quòd mortuô Achaz tributum illud Moabitæ detrectaverint, potiùs enim mortuô Achab, non Achaz, id fecerunt, ut expreſſe legitur 4. Reg. 3. v. 5. Et hinc rabbi ille, ejusę; ſequaces, patenter hìc adulterarunt Script. ly: *Domine* omittendo, pro illoę; Moabitas ponendo, ac pro Achab rege Iſràël, Achaz regem Juda ſubſtituendo, qui nunquam, uti & ejus filius Ezechias, rex Iſràël fuit, ac nunquam à Moabitis illud tributum, quod tantùm regi Iſràël debebatur, exigere potuit. *Demum*: Ezechias, in principio regni ſui non fuerat undequaę; potens, ac talis quem Moabitæ metuerent, ut hic fallator ſomniat. Nam *annô quartodecimô regis Ezechiæ, aſcendit Sennacherib rex Aſſyriorum ad univerſas civitates Juda munitas: & cæpit eas*, ut 4. Reg. 18. v. 13 dicitur; ita ut Ezechias reſiſtere ei non potens, illum deprecari ac à vexatione illius, trecentis talentis argenti, ac triginta

I.

* Malachim.

K.

talentis, auri (pro quo etiam valvas templi Domini & laminas auri, quas ipse affixerat confringere fuit coactus) se redimere debuit, ibid. v. 14. & sqq. Jerusalemq; non illius
L. potentiâ, ast Divinâ Omnipotentiâ, dum 4. Reg. 19. v. 35. una nocte *Angelus Domini percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinq; millia*, est defensa.

3tio: Dum If. 30. v. 26. dicitur; *Et erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit semptempliciter sicut lux septem dierum.* Carnaliter quoq; & crassè id Judæi intelligunt, dicentes, quòd dum veniet Messias eorum tunc sol septies erit quàm nunc major & lucidior, luna quoq; magnitudine ac luce solem nunc existentem æquabit, & ita, ut nunc sol, lucebit. *At* si sol esset tantùm dupliciter major, totam terram (quæ nunc est adhuc corruptibilis) combureret, multò magis si esset major septempliciter. *Item:* Si lumen solis esset majus quàm nunc est septempliciter, utiq; oculos omnium nimio splendore perstringere, & omnino excæcare deberet; luna quoq; si ut sol lucida & calida foret, semper diem faceret, ac nunquam homines & bruta quiescere permitteret, omnia exsiccaret & arefaceret, hominesq; bruta, ac
M. volucres brevi extingveret, proinde hoc non esset Messiæ beneficium, ast ingens totius mundi clades, & excidium. Dum ergo hìc dicitur, quòd veniente Messia, sol & luna in lumine suo augebitur, id debet intelligi. *Vel* allegoricè, de augmento scil. luminis Fidei, quòd hoc veniente Messia, futurum erat longè clarius & excellentius, quam erat ante ejus Adventum, de hoc enim ait idem Propheta If. 60. v. 1. *Surge illuminare Jerusalem: quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est.* Et merito: Nam *multifariam multisq: modis* (i. e. per varias multiplicesq; figuras, visiones & oracula *) *olìm Deus loquens Patribus in Prophetis,* *novissimè,*

*ait Corn. in hunc locū

novissimè, diebus istis (clarè & expresſè) *locutus est nobis in Filio* Hebr. 1. v. 1. & 2. *Vel*, si id debet intelligi physicè & literaliter, (ut D. Hier. alijq; intelligunt) hoc ad diem judicij referendum, post quem (jam terrâ factâ incorruptibili) erit physicè lux solis septuplò major quàm nunc est, & lux lunæ, uti nunc est lux solis. Quòd autem de die judicij id dicatur patet, ex verbis statim sequentibus: *In die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui*, (removendo mortalitatem à corporibus nostris, qua in Paradiso vulneravit nos sathanas, immortalitatemq; conferendo, ac illa gloriosa reddendo) *& percussuram plagæ ejus sanaverit.* Hinc v. 27. subditur: *Ecce nomen Domini venit de longinquo*, (in die judicij) *ardens furor ejus* &c. N.

4to: Dum de patiente Christo Is. 53. v. 4. dicitur: *Et nos putavimus eum, quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum*; judæi plures quasi ex doctioribus, non audentes negare illum jam venisse (teste Lyran. *) fingunt, quòd gradiatur per mundum tanquam pauper, leprosus, & afflictus pro peccatis judæorum. Alij autem, acutè, pro alta sua, i. e. judaica, intelligentia, perpendentes illud ibid. v. 5. *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras.* Et illud Ps. 21. v. 17. *Circumdederunt me canes multi*; docent, Messiam tempore Vespasiani & Titi imperatorum natum esse, Romamq; ignotô quodam modô translatum fuisse, ubi à canibus laniatus & vulneratus hos dolores adusq; sustinendo, in quadam subterranea specu delitescit, donec tempus revelationis ejus advenerit. Alij deniq; fingunt, eum in monte Sinai cum angelis, ut olim Moyses, manere, vel ultra montes Caspios commorari, expectareq; præceptum Domini de liberatione populi. *At* quæ est quæso stultitia stultitiarum, si hæc non est? Nam O.

* *contra perfid. jud. fol.* 350. *& alibi.*

Quò ad 1mas: Isaias non dicit Messiam verè futurum leprosum, (ille enim erat futurus Ps. 44. v. 3. *Speciosus formâ præ filijs hominum*, ita ut ad eum Sponsa Cant. * 1. v. 15. diceret: *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus*; talis autem non esset, si leprosus esset) ast judæos putaturos illum esse quasi leprosum; cùm tempore passionis suæ sic sputis, colaphis, vibicibus, vulneribus, sangvine deformatus erat, quòd similis leproso videretur. Idem clariùs id mox explicat, dicens Messiam pro peccatis hominum, ut innocentem ovem, occidendum, v. 7. *Sicut ovis ad occidendum ducetur*; de medio viventium auferendum, v. 8. *Abscissus est de terra viventium*; moriturum & sepeliendum v. 9. *Dabit impios pro sepultura, & divitem pro morte sua*; pro peccatis nostris animam suam positurum, v. 10. *Si posuerit pro peccato animam suam &c.* Cui consonat Daniel c. 9. v. 26. *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus*. Quanta ergo fatuitas est; Messiam non esse occisum, mortuum, sepultum, animamq; suam pro peccato non posuisse, contra expressas Script. dicere, ast vivere, pauperemq; & leprosum per mundum vagari? Et per hoc reijcitur etiam commentum illorum, qui dicunt Messiam in monte Sinai cum angelis, vel ultra montes Caspios commorari. Nam (præterquam quòd hæc fabella sit nulla ratione subnixa, eaq; facilitate contemnitur, qua dicitur) Script. addct. dicit Messiam esse occidendum ac moriturum, non autem in monte Sinai, vel ultra montes Caspios tam diu victurum. Imò Malach. 3 v. 1. de eodem dicitur: *Statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis*; Non ergo in montem Sinai, vel ultra montes Caspios. *Quò ad 2dos verò*. Nam in Psalmo addct. dum dicitur: *Circumdederunt me canes multi*, subjungitur: *Concilium malignantium obsedit me.* || *Foderunt manus meas & pedes*

Margin notes: * Sir Hasirim; P.; Q.

pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi verò considera-verunt & inspexerunt me: diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Ubi Deus prævidens hoc judæorum delirium, tales canes Messiam circumdaturos prædixit, qui simul concilium malignantium essent; qui manus & pedes ejus foderent, omniaq; ossa dinumerarent; qui eum considerarent & inspicerent; vestimenta illius dividerent; & super vestem ejus sortem mitterent. Tales autem canes non poterant esse veri & physici, intellectu & ratione carentes, ast morales & metaphorici, canina scil. judæorum rabies & malitia, uti contra omnes Prophetas, sic contra Regem Prophetarum Messiam, consummata. *Deinde*: Quamvis in eodem Psalmo v. 13. dicitur: *Circumdederunt me vituli multi: tauri pingves obsederunt me*; tamen judæi hinc non colligunt suum Messiam à vitulis & tauris physicis vulnerandum. Cur ergo sic ineptiunt in proposito? *Demum*: Script. dicit Messiam occidendum, non autem à canibus tantùm vulnerandum, ut dixi. Hinc judæi nolentes accipere Messiam, formâ præ filiis hominum speciosum, accipiunt leprosum; nolentes in mortuum pro hominibus credere, malunt à canibus vulneratum confingere; non cernentes gloriosum, per totum orbem coruscantem, cæcutiunt dicentes pseudomessiam suum in tenebrosa specu latitantem; ut impleant illud, quod ad eos Christus Joan. 5. v. 43. dixit: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.*

5to tandem: Dum in Prophetis plura sub allegoria promittuntur hominibus veniente Messia, judæi, etiam contra rationem, carnaliter ea intelligunt. Nam dum Is. 35. v. 1. & 2. dicitur: *Lætabitur deserta & invia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. Germinans germinabit, & exulta-*

bit lætabunda & laudans: gloria Libani data eſt ei: decor Carmeli, & Saron, ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri. Et Iſ. 55. v. 13. *Pro ſaliuncula aſcendet abies, & pro urtica creſcet myrtus.* Et Iſ. 60. v. 17. *Pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum; & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum.* Et Joel. 3. v. 18. *In die illa: ſtillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte* &c. Hæc omnia judæi ad litteram, & ut ſonant, intelligenda putant. *At* imperitè, imò planè ſtolidè: Quis enim ſanæ mentis admittet, quòd poſſint deſerta phyſicè propriè[q]; lætari; ſolitudo exultare, ac lætabunda eſſe & laudans; Carmelus & Saron montes, gloriam Domini, & decorem Dei videre? Quódq; Meſſias, qui ad ſalvandos in æternum homines venire debuerat, idq; deſpectus ipſe & pauper, (ut oſtendam *Art. VIII. & IX.*) allaturus erat pro ſaliuncula abietem, pro urtica myrtum, pro ære aurum, pro ferro argentum &c. Ac quòd ſtillare montes dulcedinem, colleſq; lacte fluere realiter debuerant? Hinc hæc omnia debent tantùm intelligi al-

T. legoricè. Et ſic veniente vero noſtro Meſſia lætata eſt deſerta & invia, i. e. Eccleſia Gentium, antehac deſerta & arida, refloruit fide in Chriſtum, & charitate in Deum. Gloria Libani data eſt ei: decor Carmeli & Saron, i. e. omnia bona ſpiritualia, quæ erant in Synagoga, ut ſunt Sacra Scriptura, Prophetiæ, Gratia Dei &c. in Eccleſiam ſunt translata. Ipſi, ſcil. habitatores horum montium, plures converſi ad Chriſtum, viderunt gloriam & decorem doctrinæ, miraculorum, ac Divinitatis illius. Pro ſaliuncula aſcendit abies &c. & datum eſt aurum pro ære &c. i. e. meliora & præſtantiora dedit Deus per Chriſtum Eccleſiæ, quàm olìm Synagogæ dederat. Et hoc eſt evidens. Ibi enim eduxit judæos è ſervitute Ægypti; hìc ſalvavit nos è

captivitate diaboli. Ibi transierunt illi per mare rubrum, in quo, una cum exercitu suo, submersus est Pharao; nos transivimus per aquam baptismi in qua peccata nostra, omnesq; infernales hostes sunt extincti. Ibi erat Virga Moysi aliqua miracula faciens; hìc Virga Crucis Christi, longè majora perpetrans, omnesq; hostes nostros invisibiles & visibiles à nobis propulsans. Ibi eos Deus mannâ, idq; ad tempus tantùm, cibavit; hìc nos Corpore & Sangvine suo indesinenter satiat. Ibi illos Josue in terram promissionis induxit; hìc nos JESUS in cœlum. Ibi erant tantùm figuræ & symbola gratiæ, aliquando per Christum conferendæ; hìc ipsamet gratia, in omnes abundanter effusa. &c. Deniq stilláverunt montes dulcedinem, & colles fluxerunt lacte, i. e. Charismata Spiritus Sancti, in Apostolos, aliosq; fideles sunt ab Alto diffusa, quibus illi sic sunt impleti, ut Act. 2. v. 3. putarentur à perfidis mustô pleni esse. Posteaq; tanquam aliqui colles in declivia corda infidelium suavem Christi doctrinam, prout lac dulcissimum effuderunt, ut unus de eis 1. Cor. 3. v. 2. ait: *Lac vobis potum dedi.* Hinc ridenda est insana fabula illa judaica, qui, ex hoc loco Joelis stolidè colligunt (teste Corn. *) quod veniente Messia germinatura sit propter illos terra buccellas panis quasi jam coctas, & ad manducandum paratas, ac vestes sericas, juxta staturam cujuscumq; judæi; quod enim est fundamentum hujus ridendi commenti? Plura illi blaterant, manifestè tum Script. tum rationi contraria, ut meritò debeat dici de ejs illud Jer. 8. v. 5. & 6. *Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reverti. Attendi, & auscultavi: nemo quod bonum est loquitur.*

U.

* W. *in 1. ad Tim.* 1. v. 4.

ARTICU-

ARTICULUS VIII.

Quòd Messias non venturus erat propter solos judæos è captivitate temporali liberandos, ast propter omnes Gentes è captivitate peccati & dæmonis.

Beresith. A. DEmonstr. *I.* Ex Lege: Gen. ☼ 49. v. 10. de Messia dicitur: *Ipse erit Expectatio Gentium.* Ubi pro: *Expectatio*, hebraice est *lickehath*, quod aliqui deducunt à radice *Naka*, quod in Conjugatione *Piel* habet *Nicka*, significatq; *innocentem & mundum efficere.* Sicq; id (etiam ipsi judæi) explicant: *Ipse purgabit Gentes*, puta: à peccatis earum; estq; hæc versio similis illi Scripturæ Is. 52. v. 15. *Iste asperget Gentes multas*, tum sangvine suo, ut eas redimat, tum aquâ baptismatis, ut peccáta earum aboleat. Quod idem prædixerat Angelus Matt. 1. v. 21. dicens ad Joseph: *Vocabis nomen ejus JESUM: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* En finis Adventus Messiæ omnium hominum à peccatis mundatio & salvatio, non autem solorum judæorum è captivitate, idq; tantùm temporali, liberatio. Unde ibid. v. 18. idem Jacob Patriarcha dicit: *Salutare tuum expectabo Domine.* Quod Chaldæus * vertit dicens: *Non expectabo salutare Gedeon filij Joas, cujus salus est temporalis; neq; salutare Samson, filij Manue, quæ salus est transitoria; sed expectabo redemptionem Christi Filij David, qui venturus est ad accersendum sibi filios Isráë, cujus redemptionem desiderat anima mea.* Adde illud Aggæi 2. v. 8. *Veniet Desideratus cunctis Gentibus.* Hinc enim patet quòd propter solos judæ.s Messias non erat venturus, ast propter omnes Gentes; aliàs non esset *Expectatio Gentium*, & *Desideratus cunctis Gentibus.*

* apud Corn. in hunc locum

B.

II.

II. Ps. 71. per totum ferè inculcatur finis ob quem venturus erat Messias, scil. hominum à peccatis redemptio, eorumq; justificatio ac salvatio. Dicitur enim v. 3. & 4. *Suscipiant montes pacem populo, & colles justitiam. Judicabit pauperes populi, & salvos faciet filios pauperum: & humiliabit calumniatorem.* Ubi per *filios pauperum*, denotantur Gentes, quæ revera filij pauperum, ipsæq; pauperes erant, i. e. omnibus donis gratiæ destitutæ. Per *calumniatorem* verò intelligitur diabolus, qui est calumniator hominum, quia (Apoc. 12. v. 10.) *accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri, die ac nocte.* Et v. 7. *Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis.* Et ne dicant judæi, hoc tantùm propter illos dici, quòd tunc à captivitate, in qua sunt, liberati à suo Messia, pace, & omnium rerum abundantiâ perfruentur; mox v. 11. & sqq. subditur: *Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes Gentes servient ei: Quia liberabit pauperem à potente; & pauperem cui non erat adjutor. Parcet pauperi & inopi: & animas* (non corpora tantùm) *pauperum salvas faciet. Ex usuris & iniquitate redimet animas eorum.* En Messias venturus erat propter liberandos à peccato omnes homines, non autem ab hac captivitate judæos. Hinc Ps. 33. v. 23. dicitur: *Redimet Dominus animas servorum suorum.* Et Ps. 48. v. 16. in spem futuræ per Christum redemptionis erigitur Propheta dicens: *Deus redimet animam meam de manu inferi, cùm acceperit me.* Et Ps. 129. v. 7. & 8. *Apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio. Et ipse redimet Israël, ex omnibus iniquitatibus ejus.* C. D.

III. If. 2, v. 2. & 3. *Fluent ad eum* (montem domûs Domini, i. e. Christum) *omnes Gentes. Et ibunt populi multi, & dicent: Venite & ascendamus ad montem Domini,* (Chri-

stum) *& ad domum Dei Jacob*, (Ecclesiam) *& docebit nos vias suas*. Per quod innuitur, quòd Christus verus Orbis Doctor, ad hunc finem veniet, ut omnes Gentes, quæ fluent ad eum, doceat vias suas, scil. ut eos ducat ad omnem veritatem, virtutem, æternamq; salutem, non autem ut solos judæos è temporali captivitate liberet, ut & ipse Joan. 18. v. 37. dicit: *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Hinc Is. 30. v. 20. & 21. dicitur: *Non faciet avolare à te ultra Doctorem tuum*: (Messiam) *& erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum. Et aures tuæ audient verbum post tergum monentis: Hæc est via, ambulate in ea: & non declinetis neq; ad dexteram, neq; ad sinistram:*

E. Et ad hunc fortè locum Christus respexit, dum Matt. ult. *v.* ult. ad suos Discipulos dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usq; ad consumationem sæculi.* Simile est illud Is. 55. v. 4. & 5. *Ecce Testem populis dedi eum, Ducem ac Præceptorem Gentibus. Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis: & Gentes, quæ te non cognoverunt, ad te current.* Et Joel 2. v: 23. *Filij Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis Doctorem justitiæ.* Per quæ patet, quòd Messias venturus erat ut Gentium Doctor ac Præceptor, eas ad se convertens, in viamq; justiæ ac salutis dirigens, non autem ut ipsorum tantùm judæorum è captivitate temporali ereptor.

IV. Is. 35. v. 10. dicitur: *Redempti à Domino convertentur, & venient in Sion cum laude: & lætitia sempiterna super caput eorum: gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.* Ubi R. Olua * loco: *Venient in Sion*, legit: *Venient in Paradisum.* Simile est illud Is. 45. v. 17. *Israël salvatus est in Domino salute æterna. non confundemini, & non*

F. *erubescetis usq; in sæculum sæculi.* Messias ergo venire tantùm debuerat,

* *in Bresit Raba c. 7.*

debuerat, ut redempti ab eo convertantur, ac in Sion, seu cœlestem Paradisum, veniant, salventurq; idq; salute æterna, ita ut lætitia sempiterna sit super caput eorum, gaudium & lætitiam obtineant, fugiatq; ab eis dolor & gemitus; ac ita ut non confundantur, nec erubescant, usq; in sæculum sæculi. Hinc Is. 49. v. 6. Pater Deus ad Messiam dicit: *Parum est ut sis mihi Servus ad suscitandas tribus Jacob, & fæces Israël convertendas. Ecce dedi te in lucem Gentium,* (ut eas illumines, velut Luc. 2. v. 32. *Lumen ad revelationem Gentium*) *ut sis salus mea* (LXX. vertunt: *Ut sis in salutem*) *usq; ad extremum terræ.* Quid potuit dici expressius? hic enim nedum dicitur Messiam propter omnes Gentes illuminandas venturum, ast etiam quòd *parum* ei, scil. *leve, vile, & indecorum* foret, ut explicat Forerius * si ideò tantùm venisset, ut solos Judæos (qui hìc etiam ab ipsomet Deo appellantur *fæces* ac velut quædam quisquiliæ, ac purgamenta inter homines) erigeret, eosq; ad se converteret. G.

* apud Corn. in hunc locum.

V. Is. 53. v. 10. & 11. dicitur: *Si posuerit* (Messias) *pro peccato animam suam, videbit semen longævum,* (h. e. spirituales suos filios, puta Christianos; qui erunt semen longævum, quia & in finem mundi illi servient, & post in cœlo in æternum eum laudabunt) *& voluntas Domini in manu ejus dirigetur.* (h. e. beneplacitum ac decretum divinum, quo Deus voluit *pati Christum suum* * effectuabitur, ut per hoc redimerentur & salvarentur homines) *Pro eo quòd laboravit Anima ejus, videbit* (jucundissimos, sibiq; gratissimos laboris sui & doloris fructus, h. e. homines redemptos, justificatos, & salvatos) *&* (hac visione jucundè) *saturabitur in scientia sua* (tam activè sumpta, h. e. per suam prædicationem & doctrinam; quàm passivè accepta, per sui scil. cognitionem & fidem charitate formatam ac bonis

* act. 3. v. 18.

H. operibus instructam) *justificabit ipse Justus Servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit.* En hìc idèó tantùm venturus erat Messias ut pro peccato hominum animam suam poneret; ut circa redemptionem eorum Domini voluntatem impleret; longævumq; semen suum, i. e. in se credentes, felices ac beatos in æternum videret; ut in scientia sua multos justificaret; ac ut eorum iniquitates portaret. Non ergo idèó tantùm erat venturus ut Judæos è temporali captivitate eriperet. Simile est illud Dan. 9. v. 24. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna* &c. Hìc dum dicitur: *Ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas,* sensus est: Ut veniat Messias, qui propter hoc veniet, ut quasi innocens Agnus pro peccatis hominum immolatus, ea consummet, finem eis imponat, penitusq; deleat. Dum verò

I. additur: *Et adducatur justitia sempiterna*; id intelligitur *vel* de ipsomet Christo, *qui* 1. Cor. 1. v. 30. *factus est nobis Sapientia à Deo, & Justitia*, idq; & satisfactoriè, & meritoriè, & exemplariter, & efficienter, & finaliter. *Vel* de Christi Evangelio, quod docet omnem æternamq; justitiam, de illoq; dictum est If. 45. v. 23. *Egredietur de ore meo justitiæ verbum. Vel* de justitia nostra, non legali ast morali, quæ scil. opponitur peccato & iniquitati. Hæ autem omnes justitiæ sunt sempiternæ. Nam de Christi Justitia Ps. 118. v. 142. dicitur: *Justitia tua, justitia in æternum*; & de ipso Christo Joan. 12. v. 34. *Christus manet in æternum.* De Evangelio quoq; If. 40. v. 8. *Verbum autem Domini nostri manet in æternum.* Hinc Apoc. 14. v. 6. *Evangelium æternum* appellatur. De

homine

homine etiam justo Ps. 111. v. 9. dicitur: *Justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Et meritò, talis enim justitia hìc inchoatur per gratiam, & in cœlo æternaliter perficietur per gloriam. Quomodo autem quamvis multa etiam nunc committantur peccata, Christus consummaverit prævaricationem, & finem peccato imposuerit, & iniquitatem deleverit, jam dixi *Art. V. litt.* Bb. K.

Accedit ratio hìc dictorum, veterumq; Rabbinorum authoritas. Nam non cogruebat, ut talis ac tantus Dominus, à tot Prophetis, tantâ verborum magnificentiâ, ab initio mundi, per tot sæcula appromissus, ob id tantùm in mundum veniret, ut judæos, unam mundi gentem, quæ vix quando erat Deo suo fidelis, ac quæ (ut hìc jam *lit.* F. innui) etiam ab ipso Deo dicitur esse *fæces* hominum, à captivitate temporali eriperet, reliquos verò totius mundi homines, in captivitate peccati & dæmonis (quæ quacumq; captivitate temporali est incomparabiliter gravior ac deterior) finaliter derelinqueret. Cùm enim omnes homines sint creaturæ illius, ad imaginem ejus & similitudinem conditæ, capacesq; gratiæ & gloriæ, incongruum erat, ut qui omnes creaverat, non omnes redimeret, solisq; judæis temporali captivitate relaxata, cæteros omnes L. homines sub jugo peccati ac dæmonis, ac proinde sub reatu mortis & perditionis æternæ immisericorditer desereret; contra illud Ps. 85. v. 9. *Omnes Gentes quascumq; fecisti, venient*, (à te redemptæ, illuminatæ & justificatæ) *& adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum.* Deinde, judæi jam sunt omnino reprobati à Deo ac rejecti, ita ut captivitas eorum nunquam sit finem habitura, ast usq; ad consummationem mundi duratura, ut demonstratur infra *Art. XIX. lit.* A. *& sqq.* Frustra ergo ineptiunt, Messiam talem

talem præstolantes, qui eos ex captivitate præsenti liberaret. Hinc & veteres Rabbini id agnoverunt. *Nam* R. Moyses Gierundensis, in *l. Judicum, in sententijs regum*, ait: *Non desideraverunt Prophetæ & Sapientes tempus Messiæ, ut dominarentur super orbem, nec ut haberent potestatem in gentibus, vel ut indulgerent cibo & potui, delicijs & voluptatibus; sed ut versarentur in lege & sapientia, ut esset eis fas habere vitam futuri sæculi.* Simile dicit Chaldæus *hic litt.* A. adductus. Quid ergo expectant judæi, à Divinis Prophetis, ac antiquis sapientibus, summè degeneres?

A.

ARTICULUS IX.

Quòd Messias debuerat venire, in primo suo Adventu, despectus, pauper, & inops; non autem dives & honoratus; ut stolidè expectant judæi.

DEmonstr. *I.* Ex Psalmis. Nam Ps. 21. v. 7. & 8. dicitur: *Ego autem sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis. Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labijs, & moverunt caput.* Et Psal. 39. v. 18. *Ego autem mendicus sum, & pauper.* Et Ps. 68. v. 30. *Ego sum pauper & dolens.* Et Ps. 87. v. 16. *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea.* Similia dicuntur Ps. 24. v. 16. Ps. 69. v. 6. Ps. 85. v. 1. Ps. 108. v. 22. Hæc omnia sunt de Messia nil enim horum de David, vel quopiam alio, (uti fingunt judæi) dici potuerat. Tumq; David non erat *opprobrium*
B. *hominum, & abjectio plebis*, ast dignificatus & honoratus, ut pote rex Israël, magnusq; Monarcha, ita ut ad eum ipsemet Deus 2. Reg. * 7. v. 9. diceret: *Feciq; tibi nomen grande, juxta nomen magnorum qui sunt in terra.* Tumq; Nunquam deriserunt eum omnes qui videbant illum, aut contra

* Samuel.

tra illum locuti sunt & moverunt caput; nam quamvis eum 1. Reg. 21. v. 14. Achis rex Geth pro insano reputaverit, & 2. Reg. 6. v. 16. Michol saltantem coram Arca Domini deriserit & despexerit, tamen Achis & Michol, omnes, qui David viderant, non fuerant, imò servi Achis, sic eum appretiabant, ut 1. Reg. 21. v. 11. dicerent: *Numquid non iste est David rex terræ? nonne huic cantabant per choros, dicentes: Percussit Saul mille, & David decem millia.* Quamvis quoq; 2. Reg. 16. v. 5. malevolus Semei maledixerit ei, tamen reliqui ibi præsentes, maximè servi illius, non deriserunt, aut despexerunt eum, ita ut unus illorum, i. e. Abisai filius Sarviæ, statim hanc contumeliam David vindicare voluit, ibid. v. 9. dicens: *Quare maledicit canis hic mortuus domino meo regi? vadam, & amputabo caput ejus.* Tumq; David non fuerat pauper, mendicus, & inops, ast rex ditissimus & opulentissimus. Hinc moribundus ad filium suum Salomonem 1. Paral. * 22. v. 14. inquit: *Ecce ego in paupertate mea præparavi impensas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum: æris verò & ferri non est pondus, vincitur enim numerus magnitudine.* Super quod Cornel. à Lap. inquit, quòd computando solum hoc aurum & argentum, reliquerit David Salomoni pro fabrica templi, bis mille & quadringentos milliones aureorum, quæ est summa immanis peneq; immensa. Quamvis autem David ibi dixerit: *In paupertate mea*, tamen hoc tantùm comparativè ad Deum universorum Dominum, cum quo Prov. * 8. v. 18. *sunt divitiæ, & gloria, opes superbæ, & justitia.* Absolutè tamen David non fuerat pauper & inops, multò magis mendicus, ast Monarcha ditissimus. *Tum demum.* Quia reliqua quæ in illo Ps. 21. dicuntur nec Davidi, nec cuicumq; alteri (præter Christum) convenire

* C. *Dibre Hajamim.*

* *Misle.*

venire possunt; ut quòd illum v. 17. canes multi circumdederint, & concilium malignantium obsederit; ac quòd manus pedesq; ejus foderint, & omnia ossa dinumeraverint; quòdq; v. 19. vestimenta illius sibi diviserint, & super vestem ejus sortem miserint; & reliqua ibi expressa. Verificantur ergo tantùm ista de Messia vero, Domino nostro Salvatore, qui fuerat *mendicus & pauper*, ita quòd Luc. 8. v. 3. Maria Magdalene cum alijs pijs mulieribus *ministrabant ei de facultatibus suis.* Fuerat quoq; *in laboribus à juventute* sua, de illo enim Is. 53. v. 11. dicitur: *Pro eo quòd laboravit anima ejus, videbit & saturabitur.* Fuerat insuper *opprobrium hominum, & abjectio plebis*, ita ut omnes videntes eum deriserint, locuti sint labijs, & moverint caput; quod factum est maximè tunc dum pendebat in Cruce, nam tunc Matt. 27. v. 39 & 40. *prætereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua, & dicentes: Vah qui destruis templum Dei* &c. Cùm enim Christus Matt. 23. v. 13. & sqq. scribis & pharisæis, pro eorum inveteratis sceleribus ac hypocrisi, væ damnationis æternæ nuntiaret, ac v. 38. vastitatem prædiceret, dicens, domum eorum (i. e. Jerusalem) relinquendam esse desertam, factus est apud eos opprobrium hominum, deriseruntq; ac subsannaverunt eum. Cujus figura Jeremias erat, dum Jer: 20. v. 7. & 8. lamentatur dicens; *Factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me. Quia jam olìm loquor, vociferans iniquitatem, & vastitatem clamito: & factus est mihi sermo Domini in opprobrium, & in derisum tota die.*

D. … E. (margin letters)

II. Ex Isaia. Nam Is. 52. v. 14. de Messia dicitur: *Inglorius erit inter viros aspectus ejus, & forma ejus inter filios hominum.* Q. d. Messias apparebit despectus inter cæteros homines, utpote pauper & inops, ac, Matt. 8. v. 20.

non

non habens *ubi caput reclinet.* Magis adhuc tunc, dum videbitur captus, ligatus, conspputus, contusus, vulneratus, cruentus, crucifixus, moriens, & mortuus. Hinc dum in fine hujus capitis Isaias quasi in genere hæc de Christo prædixerat, statim sequ. cap. 53. omnes ejus abjectiones, quasi in specie sigillatim enumerat, inquiens: *Ascendet sicut virgultum coram eo*; i. e. nascetur humilis, pauper, & abjectus, ita, ut, Luc. 2. v. 7. reclinari debebit à Matre sua Virgine, in præsepio, quia non erit ei locus in diversorio. Sicut enim potentes & honorati homines comparantur à Script. arboribus robustis & sublimibus, ut (inter alia plura) patet de Nabuchodonosore, de quo ait Propheta Dan. 4. v. 17. & sqq. *Arborem quam vidisti sublimem atq; robustam* - - - - *Tu es rex, qui magnificatus es, & invaluisti*; sic Christus humilis & abjectus comparatur hic virgulto gracili, per terramq; serpenti. *Et sicut radix de terra sitienti*; i. e. Orietur de Matre, tum Virgine, ut ostensum *Art. III. lit.* N. tum paupercula, inope, & abjecta, ut pote fabro desponsata. Subdit ibid. v. 2. & sqq. *Non est species ei, neq; decor: & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum: Despectum, & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus ejus & despectus, unde nec reputavimus eum.* Et reliqua ibi per totum caput, quæ singillatim enucleabuntur infra *Art. XIV.* Hinc patet, illud Is. 52. *Inglorius erit* &c. non rectè legi à modernis judæis: *In gloria erit* &c. Nam pro: *Ingloriis* in veteri hebræo est ly: *Maschith*, i. e. *Excisus*, *perditus*, *corruptus*; quomodo ergo significare potest, non inglorium, humiliatum scil. & contemptum, ast gloriosum, seu, in gloria? Hinc & LXX. vertunt: *Inglorius*; quodq; sic legi debeat, patet ex contumelijs, despectibus, & passionibus Christi,

F.

G.

Q immediatè

immediate sequenti 53. capite à Propheta singillatim recensitis, ille enim sensim has ejus abjectiones, despectiones, & pœnas jam hìc c. 52. enumerare incipit, pleniusq; eas c. 53. describit ac prædicit.

III. Ex Jeremia & Zacharia. Nam Jer. 14. v. 8. & 9. dicit affectuosè Propheta: *Expectatio Isràël, Salvator ejus in tempore tribulationis: quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum? quare futurus es velut vir vagus, ut fortis qui non potest salvare?* Ubi emphaticè Jeremias miratur futuram Christi summam exinanitionem &
H. humiliationem, qui cùm esset Deus Summus & Altissimus, futurus erat ex hominibus novissimus, infimus, ac pauperrimus, ita ut nec proprium locum ad inhabitandum haberet, vagariq; ac alienos lares exterere quærereq; deberet. In idem recidit illud Zach. 9. v. 9. *Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi justus, & Salvator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.* En Messias prædicitur pauper futurus, asinôq; (idq; non suô, ast Matt. 21. v. 3. commodatô) inequitaturus. *Dices*: Illud Jeremiæ de solo Deo, non autem de Messia intelligi debet. Id enim dicit Propheta prædicendo vastitatem Judææ à Chaldæis, quam hìc deprecatur á Deo. Q. d. Tu Domine hucusq; in terra hac habitasti, quasi herus in propria domo & agro, nunc autem reliquendo eam vastandam Chaldæis, agis quasi colonum, qui mercede conductus alienum agrum minùs diligenter colit. Sic Tirin. *Resp.* Falsum id esse. *Tumq;* In hac explanatione adduntur aliqua quæ non sunt in textu, nec supponi in eo cum aliquo fundamento possunt: ut dum per colonum, intelligitur ille, qui mercede conductus a-
I. lienum agrum minùs diligenter colit; *colonus* enim ex vi

etiam

etiam nominis, denotat agrum colentem, qui est persæpe ipse agri dominus, & non conductus ad id operarius. *Tumq;* Tempore captivitatis Babilonis Deus Judæam non colebat, imò illâ tunc desertâ manente, & ipse quodammodo quiescebat, terra enim illa (ut 2. Paral. * ult. v. 21. dicitur) *cunctis diebus desolationis egit sabbatum,* (nullum fructum humanis usibus utilem proferebat) *usq; dum complerentur septuaginta anni.* Quomodo ergo tunc Deus terræ illius colonus, etiam illam minùs diligenter colens dici poterat? *Tumq;* D. Hieron. * postquam dixisset, quòd Judæi hunc locum sic (ut & objiciens) intelligant, subdit: *Nostri verò de futura Christi dispensatione dici putant, quia futurus sit peregrinus in terra.* Cui consonat Nicolaus III. Pont. Max. * dicens: *Exijt qui seminat seminare semen suum, de sinu Patris in mundum, veste scilicet Humanitatis indutus Dei Filius JESUS Christus; verbum Evangelicum saturus in singulos, probos & reprobos, insipientes & gnaros, studiosos & desides, & juxta Prophetam* (scil. Jeremiam hìc) *colonus fututurus in terra.* Pariter Tertull. Rabanus. Lyran. citati hìc à Corn. id ad litteram de Christo intelligunt. Ipseq; Cornel. quamvis explanationem priorem transeunter quasi præmittat, tamen nostram posteriorem planè amplectitur. Unde miror Tirinum, quòd ille ex Corn. illam priorem explanationem accipiens, hanc secundam principaliorem, & longè veriorem reliquit. Christus ergo (ad quem Jeremias pro more prophetali avolat) etiam litteraliter in illo loco signatur; ille enim erat *Expectatio, Isráél,* nam de eo ipsemet Isráél, seu Jacob Gen. * 49. v. 19. dixit: *Salutare tuum expectabo Domine.* Ipse quoq; erat *Salvator*, juxta If. 26. v. 1. *Urbs fortitudinis nostræ Sion Salvator.* Et citt. Zach. 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi justus, & Salvator.* Hic

* *Dibre Haiamim.*

* *in Jer. hìc.*

* *in Decretali Exijt. n. 1.*

K.

* *Beresith.*

ergo *quasi colonus futurus* erat *in terra*, i. e. inops, & despectus, quasi homo plebeius, hinc fabri filius Matt. 13. v. 55. imò ipsemet faber Mar. 6. v. 3. appellatus fuit. Et passim
L. de agricultura (quasi ejus tantùm præ cæteris gnarus) parabolas suas edisseruit, ut Matt. 13. v. 3. de seminante semen suum; v. 24. de homine, *qui seminavit bonum semen in agro suo*, cui inimicus homo superseminavit post zizania; & Matt. 20. v. 1. de patrefamilias *qui exijt primo mane conducere operarios in vineam suam*; & alias similes. Futurus quoq; erat *quasi viator declinans ad manendum*, quia Luc. 2. v. 12. non erat ei locus in diversorio, & post hinc non habuit Matt. 8. v. 22. ubi reclinaret caput; & *velut vir vagus*, quia Marci 6. v. 6. *circuibat castella in circuitu docens*; & *ut fortis qui non potest salvare*, quia eum in Cruce pendentem blasphemabant scribæ & pharisæi Matt. 27. v. 42. dicentes: *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* Hinc ergo patet Messiam venire debuisse humilem, pauperem, & inopem, non autem divitem & honoratum.

Accedit ratio, petita ex fine & motivo ob quod erat
M. venturus. *Nam* Messias venturus erat, ut de mundo peccata eradicaret, penitusq; deleret, & virtutes plantaret ac insereret, mediantibus quibus homo ad beatitudinem æternam, cum gratiæ Divinæ adjutorio pervenire posset, ut *Art. præced.* ostensum. Peccata ergo de mundo eradicare volens, non debuit venire dives & honoratus, ast pauper, inops, ac despectus, ut exemplô suô radicem omnium malorum, avaritiam nempe & superbiam supprimeret, sicq; prævaricationem consummaret, finem peccato imponeret, iniquitatemq; deleret, ut præstare id debuit, ex Dan. 9. v. 24. Ad virtutes quoq; inserendas, & ad adducendam justitiam sempiternam conducebat, ut Messias sit despectus,

pauper & inops. Divites enim & honorati, sunt passim elati, frequenterq; impij & scelerati. Hinc Amos 6. v. 1. æterna damnatio talibus à Deo intentatur, dum dicitur: *Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ: optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israël.* Et ibid. v. 3. *Qui separati estis in diem malum: & appropinquatis solio iniquitatis.* Non posset ergo dives & honoratus Messias persvadere virtutes hominibus, illi enim in eo modicam, vel nullam pietatem esse crederent, quem opulentum, divitem, & honoratum conspicerent. Unde & Salomon Prov. * 30. v. 7. & sqq. orat Deum dicens: *Duo rogavi te ne deneges mihi antequam moriar. Vanitatem, & verba mendacia longè fac à me. Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo necessaria: ne forte satiatus illicior ad negandum, & dicam: Quis est Dominus?* En Salomon non sibi optat divitias, ne illis inescatus à virtute excidat, perversusq; ac reprobus evadat; quomodo ergo Messias, qui omnium virtutum erat exemplar futurus, Salomonemq; sapientiâ ac sanctitate victurus potuerat venire divitijs terrenis onustus, ac temporalibus honoribus sublimatus? Et hinc patet quàm stulti sint, ac omnino excæcati, judæi, qui Messiam Salomone ditiorem ac honoratiorem expectant, ob hancq; causam in Christum, qui venit despectus & pauper credere renuunt. Ego verò non crederem illum esse Messiam, si dives & honoratus venisset, non enim eo modo venisset quo debuerat, prædictumq; à Prophetis fuerat, ut scil. animas pauperum salvas faceret, ac ex usuris & iniquitate eas redimeret, ut prævaricationem consummaret, peccatumq; & iniquitatem deleret, ut justitiam sempiternam adduceret &c. ad hunc enim finem non sunt apta media, terrenæ divitiæ,

N.

* *Misle.*

O.

carnales

carnales delitiæ, temporalisq; gloria, ast paupertas, humilitas, vitæ asperitas & ærumnositas, à mundoq; abjectio. Sunt quoq; prorsus stulti judæi, qui Messiam expectant, qui illos divites faciat, alijsq; bonis terrestribus, ac honoribus repleat, & felices in hac vita reddat, hæc enim huic (Ps. 23. v. 10.) Domino virtutum, Regiq; gloriæ, ac fini Adventûs illius proportionata non sunt. Hinc ad Messiam Is. 33. v. 6. dicitur: *Et erit fides temporibus tuis: divitiæ salutis sapientia & scientia: timor Domini ipse est thesaurus ejus.* Q. d. Tempore tuo ô Messias implebuntur fideles tui fide ac cognitione Dei, justitiâ & sanctitate, divitiæq; tuæ, non erunt aurum & argentum, ac aliæ opes terrenæ, ast sapientia, scientia & timor Domini, docebis enim tu homines, ut Deum cognoscant, contemplentur, diligant, filialiterq; timeant.

P. De modernis ergo judæis divitem & honoratum Messiam præstolantibus, divitijsq; ac honoribus terrenis inhiantibus, cœlestiaq; non curantibus, verificatur illud Is. 29. v. 4. *Humiliaberis, de terra loquêris, & de humo audietur eloquium tuum*; illi enim tantùm de terra loquuntur, ac ut meri carnales, terreniq; homines, terrena tantùm sapiunt & ambiunt, terrenum quemdam & chimæricum, ac proinde falsum, expectando Messiam. *Adde* verba R. Moysis Gerundensis *Art. VIII. lit.* L. posita, & eorum, qui volendo, nolendo, fatentur, jam venisse Messiam, qui per mundum pauper & leprosus vagatur, vel Romæ laceratus à canibus in quadam subterranea specu delitescit. Vide supra *Art. VII. litt.* N.

ARTICULUS X.

A. *Quòd a Messia Gentes erant judæis præferendæ, & omnes ad eum convertendæ.*

DEmonstr. *Nam:* Quòd Gentes erant judæis præferendæ

dæ prædictum est à Nòé Gen. * 9. v. 27. *Dilatet Deus Japhet, & habitet in tabernaculis Sem.* Supra quod D. Hier. * docet, quòd quia de Sem hebræi, de Japhet verò Gentes sunt ortæ, dum Nòé ait: *Habitet* (Japhet) *in tabernaculis Sem*, de Gentibus prophetat, quæ credentes in Christum erant omnia bona hebræis promissa possessuræ, ac proinde illis præferendæ. Imò etiam ly: *Japhet* interpretatur *latitudo*, quia futura erat lata multitudo Gentium in Christum credentium. Prædictum est quoq; à Moyse Deut. * 28. v. 43. & 44. *Advena, qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritq; sublimior: tu verò descendes, & eris inferior. Et: Ipse erit in caput, & tu eris in caudam.* Imò ipse Deus Deut. 9. v. 13. & 14. jam antea coram Moyse in monte Horeb Gentes hebræis præferre voluerat dicens: *Cerno quod populus iste duræ cervicis sit: dimitte me ut conteram eum, & deleam nomen ejus de sub cœlo, & constituam te super Gentem, quæ hac major & fortior sit.* Idem dixit Deus Num. * 14. v. 12. Insuper hanc Gentium supra judæos præferentiam mox ab origine mundi in figuris Deus adumbraverat, dum aliquos filios secundogenitos primogenitis antetulerat. Sic Gen. * 4. v 4. & 5. ex primis Adæ filijs, qui fuerant Cain & Abel, secundum primô, anteposuit, dum *respexit ad Abel, & ad munera ejus. Ad Cain verò, & ad munera illius, non respexit.* Et Gen. 29. v. 23. ex duobus filijs Isaac, scil. Esau & Jacob, Esavo Jacobum prætulit, ad Rebeccam Matrem eorum dicens: *Major serviet minori*; magisq; minorem quàm majorem dilexit, ut Malachiæ 1. v. 2. & 3. dicit: *Dilexi Jacob, Esau autem odio habui.* Dilexit enim Jacob, jus primogenituræ, aliaq; plura privilegia, ei confererendo, Esau autem odio habuit, minùs eum diligendo, ac illa dona negando. * Maximè verò id expressit Deus in nativitate

* *Beresith.*
* *in Quæstionibus hebraic.*
* *Elle Haddebarim.*
* *B. Vaiedabber.*
* *Beresith.*
* *explicat Corn. in*

Malach. 1. v. 3. vitate duorum geminorum Judæ filiorum i. e. Phares & Zara Gen. 38. v. 27. & sqq. Zara enim nascens ex utero matris primò manum protulit, ut diceret obstetrix: *Iste egredietur prior*, coccinumq; ei in manu ligaret. At C. Zara manum in uterum matris retrahente, Phares ante illum est egressus & natus, & post illum Zara. Hi namq; duo gemini, erant duorum populorum figura, judæorum scil. & Gentium; populus enim judæorum prior manum extendit, quia priùs, quàm populus gentilium cæpit Deo servire, eumq; cultu publico, ab illo instituto, colere, ac mandata ejus implere. At mox eam retraxit, quia (Is. 1. v. 4.) Dominum dereliquit, & Sanctum Israël (Christum) blasphemavit. Quod dum factum, natus est priùs Christo populus Gentium, qui esset hereditas ejus & peculium, eum colens, in illumq; credens, juxta Ps. 2. v. 8. *Postula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam.* Post quod demum, in fine mundi, & populus judaicus Christo nascetur, dum ad illum convertetur, in illumq; credet, ut dicam *Art. XXI. lit.* F. Simile quid figuratur in filijs Joseph, scil. Manasse & Ephraim Gen. 48. v. 13. & sqq. quos cùm Joseph patri suo Jacob benedicendos obtulit, statuendo Manassen primogenitum ad dexteram, & Ephraim D. secundogenitum ad sinistram ejus, Jacob (licet jam præ senectute cæcutiens) in modum crucis commutavit manus, dexteràmq; suam capiti Ephraim junioris imposuit, & sinistram capiti Manasse senioris, sicq; benedixit eis. Quod Joseph dum ægrè tulisset, apprehensamq; manum dexteram patris, de capite Ephraim junioris, in caput Manasse senioris transportare vellet; Jacob respondit, sic debere fieri, quia licet senior filius Manasses sit futurus *in populos, & multiplicabitur*, tamen Ephraim *frater ejus minor, major*

major erit illo: & semen ejus crescet in gentes. Quod factum est, dum ex tribu Ephraim (non verò Manasse) erant ferè omnes reges Israël, incipiendo 3. Reg. * 12. à Joroboam. Sic quoq; nunc in Ecclesia Christi Gentes, judæis olîm minores, sunt eis majores. Hinc Deus Is. 56. v. 3. & sqq. dicit: *Et non dicat filius advenæ,* (non judæus scil. ast alienigena) *qui adhæret Domino, dicens: separatione divisit me Dominus a populo suo: Et non dicat eunuchus:* (i. e. gentilis, sterilis religionis, pietatis, bonorumq; operum) *Ecce ego lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. Et filios advenæ, qui adhærent Domino, ut colant eum, & diligant nomen ejus, ut sint ei in servos: omnem custodientem* (spiritualiter) *sabbatum ne polluat illud, & tenentem fœdus meum: Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ: holocausta eorum, & victimæ eorum, placebunt mihi super altari meo: quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis Gentibus.* Quid expressius dici poterat pro Gentium præferentia? *Adde* illud Is. 65. v. 13. & sqq. *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce servi mei comedent, & vos esurietis: ecce servi mei bibent, & vos sitietis: Ecce servi mei lætabuntur, & vos confundemini: Ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis. Et dimittetis nomen vestrum in juramentum electis meis:* (i. e. in execrationem, ut pro malorum exemplo vos habeant, & detestentur talia sustinere, & jurent sic: non hæc patiar quæ passus est populus judæorum *) *& interficiet te Dominus Deus* (maximè sub Tito Jerosolimæ eversore, judæorumq; excisore, ibi enim innumerabiles,

* Malachim.

E.

F.

* S. Hier. in hunc locũ

& pene omnes sunt interfecti judæi) *& servos suos vocabit nomine alio.* Puta, Gentes in Christum credentes, vocabit (ut factum est Antiochiæ, Act. 11. v. 26.) Christianos. Simile est Os. 2. v. 1. & 2. *Dicite* (judæi) *fratribus vestris:* (h. e. Gentibus, quæ erant fratres judæorum, quia æquè, ut & illi, homines, ex uno Protoparente prognatæ) *Populus meus;* *& sorori vestræ,* (Ecclesiæ Gentium) *Misericordiam consecuta. Judicate matrem vestram,* (Synagogam) *judicate: quoniam ipsa non uxor mea, & ego non vir ejus.*

Demonstr. Quòd ad Messiam omnes Gentes convertendæ erant. *I. Ex Lege,* Nam Gen.* 49. v. 10. Jacob Patriarcha de Messia inquit: *Ipse erit expectatio Gentium.* Per quod innuit, omnes Gentes ad Messiam esse convertendas, quarum ille erit Expectatio. Idem Deut.* 32. v. 43. prædicit Moyses dum dicit: *Laudate Gentes populum ejus;* nempe Dei. Hæc enim verba illius LXX. sic paraphrasticè vertunt: *Lætamini Gentes cum populo ejus, & roborentur in eo omnes filij Dei.* Quòd de vocatione Gentium, pulchrè Theodoretus* explicat. Nec quem moveat, quòd Jacob & Moyses, non dicat hìc: *omnium Gentium*, aut: *omnes Gentes*, ast solum: *Gentium*, & *Gentes*. Uterq; enim quia illimitatè loquitur, de omnibus Gentibus proculdubio loquitur. Sicut quia Is. 2. v. 4. de Messia dicitur: *Judicabit Gentes, & arguet populos multos*: sensus est: *Judicabit & arguet omnes Gentes & populos;* nam hi utiq; sunt multi.

* Beresith. G.

* Elle Haddebarim.

* hic Qu. 42.

II. Ex Psalmis. Nam Ps. 2. v. 8. dicit ad Messiam Deus: *Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Quod de David (quidquid dicant judæi) intelligi nequit, ille enim nunquam regnum habuit pertingens ad terminos terræ; ast de Messia, cujus regnum sunt omnes Gentes, & possessio termini terræ, i.

H.

e. tota terra; qua (Psal. 23. v. 1.) *Domini est terra, & plenitudo ejus: orbis terrarum, & universi qui habitant in eo.* Et Ps. 21. v. 28. & 29. dicitur: *Reminiscentur & convertentur ad Dominum universi fines terræ: Et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ Gentium. Quoniam Domini est regnum: & ipse dominabitur Gentium.* Quid expressius? Et Ps. 71. v. 8. de Messia prædicitur: *Et dominabitur à mari usq; ad mare; & à flumine usq; ad terminos orbis terrarum.* Et v. 11. *Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes Gentes servient ei.* Et v. 17. *Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ: omnes Gentes magnificabunt eum.* Et v. 19. *Replebitur Majestate ejus omnis terra: fiat, fiat.* Addit hic Psaltes ly: *Fiat, fiat,* quia hanc futuram omnium Gentium ad Messiam conversionem, revelatam sibi à Deo, enixissimè cupiebat. Hinc in Psalmis suis sæpiùs ad eam suspirat, ut Ps. 32. v. 8. *Timeat Dominum omnis terra.* Et Ps. 56. v. 12. ac Ps. 107. v. 6. *Exaltare super cœlos Deus; & super omnem terram gloria tua.* Et Ps. 65. v. 2. *Jubilatæ Deo omnis terra, psalmum dicite nomini ejus: date gloriam laudi ejus.* Ac ibid. v. 4. *Omnis terra adoret te, & psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo.* Et Ps. 66. v. 4. & seqq. *Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes. Lætentur & exultent Gentes: quoniam judicas populos in æquitate, & Gentes in terra dirigis. Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes: - - - Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.* Et Psal. 95. v. 1. *Cantate Domino canticum novum: cantate Domino omnis terra.* Et Psal. 99. v. 1. *Jubilate Domino omnis terra: servite Domino in lætitia.* Et Ps. 116. v. 1. *Laudate Dominum omnes Gentes: laudate eum omnes populi.* Et Ps. 148. v. 11. & 12. *Reges terræ, & omnes populi: principes, & omnes judices terræ. Juvenes, & virgines: senes cum junioribus laudent*

I.

nomen Domini. Et concludendo, Pſ. ult. v. ult. ait: *Omnis ſpiritus laudet Dominum. Alleluja.* Adde illud Pſ. 85. v. 9. *Omnes Gentes quaſcumq; feciſti, venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum.*

K.

III. Ex Prophetis. Nam Iſ. 2. v. 2. dicitur: *Fluent ad eum* (ſcil. montem Domini, i. e. Meſſiam, ut oſtendo *Art. XX. lit.* K.) *omnes Gentes.* Et Iſ. 11. v. 10. *In die illa, Radix Jeſſe,* (Meſſias nempe, ex Jeſſe ſeu Iſai, patre David procedens) *qui ſtat in ſignum populorum, ipſum Gentes deprecabuntur.* Et Iſ. 42. v. 1. *Ecce Servus meus*, (Chriſtus quà Homo) *ſuſcipiam eum: electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea: dedi ſpiritum meum ſuper eum, judicium* (i. e. quod juſtum eſt, puta, juſtas Leges Evangelicas) *Gentibus proferet.* Moxq; v. 6. Deus dicit ad Chriſtum: *Dedi te in fœdus populi, in lucem Gentium.* Ac v. 10. ſubditur: *Cantate Domino canticum novum, laus ejus ab extremis terræ;* & reliqua ibid. ad v. 13. Et Iſ. 49. v. 6. *Ecce dedi te in lucem Gentium, ut ſis ſalus mea uſq; ad extremum terræ.* Et Iſ. 52. v. 10. *Paravit Dominus Brachium ſanctum ſuum* * *in oculis omnium Gentium & videbunt omnes fines terræ Salutare Dei noſtri.* Et Iſ. 54. v. 5. *Redemptor tuus Sanctus Iſraël, Deus omnis terræ vocabitur.* Et Iſ. 55. v. 4. & 5. *Ecce teſtem populis dedi eum, Ducem ac Præceptorem Gentibus. Ecce Gentem, quam neſciebas, vocabis: & Gentes, quæ te non cognoverunt, ad te current.* Et Iſ. 60. v. 3. *Ambulabunt Gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui.* Moxq; v. 11. & 12. *Et aperientur portæ tuæ jugiter: die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo Gentium, & reges earum adducantur. Gens enim & regnum, quod non ſervierit tibi, peribit.* Hæc non dicuntur de Jeruſalem materiali & phyſica, in ea enim nil unquam tale contingit; aſt de ſpirituali & myſtica, ſcil. Eccleſia, ac proinde de Chriſto;

* *i. e. Meſſiam, qui eſt Brachium ſeu Virtus Patris.*

L.

sto; qui enim ad Ecclesiam Christi convertitur, ad Christum convertitur. Idem & alij Prophetæ prædixerunt. Nam Jer. 16. v. 19. dicitur: *Domine fortitudo mea, & robur meum, & refugium meum in die tribulationis: ad te Gentes venient ab extremis terræ & dicent: Verè mendacium possederunt patres nostri, vanitatem, quæ eis non profuit.* Et Jer. 31. v. 34. *Non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me, à minimo eorum usq; ad maximum, ait Dominus.* Et Jer. 33. v. 9. *Erit mihi* (Jerusalem, i. e. Ecclesia) *in nomen, & in gaudium, & in laudem, & in exultationem cunctis Gentibus terræ, quæ audierint omnia bona, quæ ego facturus sum eis.* Et Sophon. 3. v. 9. *Tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, & serviant ei humerô unô.* i. e. unanimiter. Et Agg. 2. v. 8. *Movebo omnes Gentes: & veniet Desideratus cunctis Gentibus.* Et Zach. 9. v. 9. & 10. *Ecce Rex tuus veniet tibi Justus & Salvator .... Et loquetur pacem Gentibus, & potestas ejus à mari usq; ad mare, & fluminibus usq; ad fines terræ.* Adde illud Jer. 3. v. 17. *In tempore illo vocabunt Jerusalem* (Ecclesiam) *Solium Domini: & congregabuntur ad eam omnes Gentes in nomine Domini in Jerusalem, &* (idola idololatriamq; relinquentes) *non ambulabunt post pravitatem cordis sui pessimi.* Et Jer. 4. v. 2. *Benedicent eum* (Deum verum, & Messiam) *Gentes, ipsumq; laudabunt.* M.

Accedit ratio. Nam tempore Messiæ non solos Judæos, ast & omnes Gentes, in verum Deum credituras, illumq; culturas, ipsemet Deus ostendit, dum celebre templum illud Jerosolimiticum, tamq; veterem ac nobilem rempubl. & regnum Judaicum, funditus ac irreparabiliter evertit ac destruxit, ita, quòd (Dan. 9. v. 27.) usq; ad consummationem & finem perseveratura sit ejus N.

desolatio. Per hoc enim declaravit, se nolle amplius Deum solorum judæorum vocari, ita ut non sit nunc tantùm (Ps. 75. v. 2.) *notus in Judæa Deus*; ast & omnium Gentium & hominum, ut sit verum illud addct. Is. 54. v. 5. *Redemptor tuus Sanctus Isràël, Deus omnis terræ vocabitur*, non solos enim judæos, ast & omnes homines, creaverat ille & redemerat. Ad quid enim templum illud & regnum everti ac deleri penitus permisisset, si illius tantùm populi Deus esse vellet, nihilq; ampliùs sibi proponeret. Ille quippe, quamvis judæos in populum suum peculiarem elegerat, tamen tantùm eo fine id fecerat, ut Messias veniens, ab hominibus faciliùs posset agnosci, ut pote, ex hoc populo, ex hac gente natus, ex qua nasci secundùm prædictiones Prophetarum debuerat. Quô peractô, ac redemptione mundi consummata, jam non erat necesse ut

O. Deus aliquem populum peculiarem haberet, cùm omnium sit Conditor & Redemptor, omnesq; Gentes (ut Deut. ☼ 26. v. 19. dicit Moyses) *creavit in laudem, & nomen, & gloriam suam.* Sicut enim v. g. faber murarius constructurus fornicem, seu concamerationem, priùs formam conficit, illiq; eam superædificat, ac hôc peractô, formam illam removet, & abijcit, ita Deus dum olîm præcipuum populum judaicum, ob illum, ut supra dictum, finem, haberet, opere redemptionis confecto, jam non erat ratio ut populum illum, velut peculiarem haberet, cùm omnium hominum, omnisq; terræ (ut jam dictum) Deus esse deberet. Hinc & veteres Rabbini id agnoverant. Nam R. Johanan, & R. Jacob, *l. Sanhedrin, c. Helec,* dicunt: *Quia judæi Dominum rejecerunt, Gentes in eorum locum subrogatum iri.*

☼ *Elle Haddebarim.*

ARTICU-

ARTICULUS XI.

Quòd judæi veniente Messia erant excæcandi, ita, ut nec eum agnoscerent, nec in illum crederent; & Gentes illuminandæ, ut gaudenter & avidè illum reciperent. A.

DEmonstr. Quòd judæi veniente Messia erant excæcandi &c. *Nam* Is. *1.* v. *2.* & 3. conqueritur Messias: *Filios* (Israëlitas) *enutrivi, & exaltavi: ipsi autem* (jussa mea contemnentes, aspernantes, transgredientes, ac post, meipsum Barabbæ latroni postponentes, & inter latrones, ut eorum ducem ac primicerium crucifigentes) *spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui:* (quamvis uterq; brutum, ac reliquis hebetius, animal) *Israël autem me non cognovit, & populus meus non intellexit.* Et Is. 6. v. 9. & 10. *Vade, & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere: & videte visionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava: & oculos ejus claude: ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum.* Per quod Isaias, jussu Dei, judæorum excæcationem prædicit, tum tempore suo viventium, dum scil. tunc illi ad prophetias ejus, aliorumq; B. oracula Prophetarum, oculos suos claudebant, aures & corda procaciter obfirmabant, eaq; contemnebant & irridebant, ut fecerunt Is. 28. v. 10. dicentes: *Manda remanda,* (Isaia) *manda remanda, expecta reexpecta,* (ut convertamur, ut præcipis, vel à Deo, impenitentes puniamur, ut prædicis, quorum neutrum fiet) *expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi;* tum maximè tempore Christi; q. d. Scio,

quòd

quòd vos judæi, quando Messias veniet, eum non agnoscetis, audientesq; prædicationes ejus, ad illas aures vestras aggravabitis, easq; non audietis; ac videntes ejus miracula, his non credetis, imò dicetis, eum in beelzebub principe dæmoniorum (Luc. 11. v. 15.) eijcere dæmonia; proinde à Deo non curabimini ast damnabimini. Hinc Christus & Apostoli de judæis, suo tempore incredulis id accipiunt; Christus, Matt. 13. v. 14. Mar. 4. v. 12. & Luc. 8. v. 10. Apostoli verò, Joan. 12. v. 40. Act. 28. v. 26.
C. Rom. 11. v. 8. Et Is. 29. v. 10. & sqq. *Miscuit vobis Dominus* (ô judæi) *spiritum soporis, claudet oculos vestros,* (i. e. excæcabit cor, & intellectum vestrum, subtrahendo vobis gratiam illuminantem, ut peccatis vestris meremini) *prophetas & principes vestros, qui vident visiones, operiet.* (velando, & occultando sensa eorum, ita, ut etiamsi eos legatis, minimè tamen intelligatis, quasi aliqua peregrina & barbara legeretis) *Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati,* (qui intelligi, quia legi, non potest) *quem cùm dederint scienti litteras, dicent: Lege istum: & respondebit: Non possum, signatus est enim. Et dabitur liber nescienti litteras, diceturq; ei: Lege: & respondebit: Nescio litteras. Et dixit Dominus: Eò quòd appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me, cor autem ejus longè est à me, & timuerunt me mandato hominum & doctrinis:* (ut faciunt & moderni judæi, magis credendo & observando Thalmudicas stultitias & blasphemias, quàm Legem Divinam & Prophetas) *Ideo ecce ego addam ut admirationem faciam populo huic, miraculo grandi & stupendo: peribit enim sapientia à sapientibus ejus* (i. e. scribis & rab-
D. binis, qui omninò desipient, ac loco Verbi Divini suas ineptias, ludicrasq; & insulsas Thalmudicas fabulas, miseris suis discipulis, auditoribusq; obtrudent) *& intellectus prudentium*

dentium ejus abſcondetur. Et Iſ. 30. v. 10. & 11. *Dicunt* (judæi) *Videntibus:* (puta Prophetis, qui dicebantur Videntes, ut patet 1. Reg.* 9. v. 9. & alibi.) *Nolite videre; & aſpicientibus: Nolite aſpicere nobis ea, quæ recta ſunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Auferte à me viam, declinate à me ſemitam*, (ſcil. tum vitæ modum ac rationem, quam Prophetæ judæis præſcribebant, tum tritos, & frequenter uſurpatos ſermones, quos ijdem de Sancto Iſràél ſcil. Chriſto, ingerebant) *ceſſet à facie noſtra* (ut eum conſultò non cognoſcamus) *Sanctus Iſràél.* Et Iſ. 42. v. 19. *Quis cæcus, niſi ſervus meus? & ſurdus, niſi ad quem nuntios meos miſi? quis cæcus, niſi qui venumdatus eſt? & quis cæcus, niſi ſervus Domini?* Hìc de judæis, non autem de quoplam alio (uti illi ineptiunt) dicitur. Soli enim judæi fuerant tunc ſervi Domini; ad illos Deus ſuos nuntios, ſcil. Prophetas & Apoſtolos, miſit; illi, uti tunc, ſic multò magis nunc, imitantes impium Achab 3. Reg.* 21. v. 25. Venumdati ſunt ut facerent malum in conſpectu Domini. Idem dicunt & alij Prophetæ; ut Jer. 4. v. 22. *Stultus populus meus me* (Meſſiam ſuum) *non cognovit: filij inſipientes ſunt, & vecordes: ſapientes ſunt ut faciant mala, bene autem facere neſcierunt.* Genuina hæc eſt excæcatorum modernorum judæorum deſcriptio; illi enim ſunt prorſus ſtulti quò ad divina & æterna, meras tantùm nugas credentes, verùmq; Deum, ac Chriſtum ejus (ut oſtendo *Art. XXIX. XXX. XXXI. XXXII.*) blaſphemantes. Neſciuntq; benefacere, ut pote gens perverſa & infidelis, in Deumq; blaſphema, ac tantùm in perniciem fidelium nata. Sunt tamen ſapientes ut faciant mala, ut patet in toties frequentatis ab eis latrocinijs, furtis, etiam ſacrilegis, fraudibus, uſuris, alijsq; injuſtis, & damnatis contractibus, ac cæteris horrendis im-

* Samuel.

E.

* Malachim.

pietatibus, in quibus sunt industriosissimi. Hi ergo excæcati & stulti non cognoverunt, nec cognoscere volunt, cunctis Gentibus desideratum Messiam. Et Jer. 8. v. 7. &
F. sqq. *Milvus in cœlo cognovit tempus suum, turtur, & hirundo, & ciconia, custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit judicium Domini. Quomodo dicitis: sapientes nos sumus, & Lex Domini nobiscum est? verè mendacium operatus est stylus mendax scribarum.* (stultas, & plusquam aniles, fabulas, in Thalmud describentium) *Confusi sunt sapientes, perterriti & capti sunt: verbum enim Domini projecerunt, & sapientia nulla est in eis.* Simile est hoc illi Is. 1. v. 3. jam hìc *lit.* A. addꝫ. *Cognovit bos* &c. Et illi, quod Christus Luc. 12. v. 54. ad judæos dicit: *Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: Nimbus venit: & ita fit. & cùm austrum flantem, dicitis: Quia æstus erit: & fit. Hypocrytæ, faciem cæli & terræ nostis probare: hoc autem tempus* (Adventus mei in Carne) *quomodo non probatis?* Et Os. 4. v. 6. *Conticuit populus meus, eò quòd non habuerit scientiam.* Et *ibid.* c. 11. v. 3. *Portabam eos in brachiis meis;* (tum deducendo illos per
G. desertum in terram lacte & melle fluentem; cum brachia mea in Cruce extendendo, languoresq; eorum & dolores portando) *& nescierunt quòd* (patiendo & moriendo pro eis) *curarem eos.* His adde illud Ps. 68. v. 24. & sqq. *Obscurentur oculi eorum ne videant:* (Divinitatem sub fragilitate latentem) *& dorsum eorum semper incurva.* (ut Gentibus serviant semper, ac sub onere Legis, quod secundùm literam, ferre potuit * nemo, ingemiscant) *Effunde super eos iram tuam: & furor iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum* (à Tito & Romanis) *deserta: & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Quoniam quem tu percusisti * persecuti sunt:*

* Act. 15. v. 10.

* Is. 53. v. 8.

ſunt: & ſuper dolorem vulnerum meorum (cùm Apoſtolos & Eccleſiam perſecuti ſunt *) *addiderunt.* * Sic Pſ. hunc D. Hier. explicat.

Demonſtr. Quòd Gentes tunc erant illuminandæ &c. Nam Iſ. 29. v. 18. dicitur: *Audient in die illa ſurdi verba libri, & de tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt.* Ubi ſurdi, & cæci vocantur gentiles, ob veri Dei ac divinorum ignorantiam, & ob mentes, per infidelitatis tenebras excæcatas. Hi tamen ſurdi & cæci, per Chriſtum, dum crediderunt in eum, audierunt, viderunt, ac intellexerunt, **H.** verba libri, puta Legis, & Prophetarum Oracula, de Chriſti Adventu, Converſatione, Paſſione, Reſurrectione &c. quæ ſunt velata & abſconſa judæis. Et hoc eſt, quod Chriſtus Joan. 9. v. 39. cæco nato, jam à ſe illuminato dixit: *In judicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.* Et Iſ. 32. v. 3. & 4. *Non calligabunt oculi videntium, & aures audientium diligenter auſcultabunt. Et cor ſtultorum intelliget ſcientiam, & lingva balborum velociter loquetur & planè.* Q. d. Tempore Meſſiæ, Doctores populorum (qui etiam poſſunt *Videntes*, ſeu Prophetæ vocari) clarè cognoſcent divina Oracula, ac hanc doctrinam ex ore ipſorum diligenter auditores audient. Et cor ſtultorum, i. e. gentilium (illi enim fuerant ſtulti, ſtultè brutis mutisq; ſuis idolis ſervientes) intelliget ſcientiam, quam illos, per ſuos Apoſtolos Chriſtus edocebit; tumq; lingva balborum velociter & planè loquetur, i. e. Apoſtoli antea rudes & idiotæ, poſtquam acceperint Spiritum S. **I.** fient per donum lingvarum diſertiſſimi, & per charitatis ardorem ferventiſſimi, ad prædicandum, toto orbe, Chriſti Evangelium. Et Iſ. 35. v. 5. *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta erit lingva mutorum.* Hocq; (ait D. Hier. *) * in hunc locum.

 impletum

impletum est nedum signorum magnitudine, ast & Gentium illuminatione, & ad Christum conversione. Q. d. Christus nedum plurimos physicè cæcos, surdos, claudos, mutosq; sanabit, ast & gentilibus spiritualem visum, auditum, gressum, & loquelam restituet, ita ut illæ quæ per infidelitatem suam fuerant ante excæcatæ, fiant tunc illuminatæ; quæ fuerant surdæ, ad audienda verba præceptaq; divina, fiant audientes, avideq; recipientes doctrinam Evangelicam; quæ aberrabant & claudicabant, à veritatis & virtutis via, currant gaudenter avidèq; ad Christum, qui Joan. 14. v. 6. Est *Via*, *& Veritas*, *& Vita*. Tum quoq; aperta erit lingva mutorum Gentilium, in laudes Creatoris ac Redemptoris, ut verificent in se illud If. 24. v. 14. *Hi levabunt vocem suam, atq; laudabunt: cum glorificatus fuerit Dominus.* Hocq; reipsa evenit, ut patet, *tum* ex toto

K. mundo tam ardenter ad Christum converso; *tum* ex Act. 13. v. 46. ubi dum judæis incredulis & blasphemis D. Paulus & Barnabas dicerent: *Ecce* (cum prædicatione Evangelij) *convertimur ad Gentes*: mox v. 48. subditur: *Audientes autem* (hæc) *Gentes gavisæ sunt, & glorificabant verbum Domini.* Et If. 42. v. 16. *Ducam cæcos* (Gentiles) *in viam*, (i. e. in agnitionem Dei, ac Christi, Viæ, veritatis, & Vitæ, per quem, si quis introierit, salvabitur *) *quam nesciunt*; *& in semitis* (fidei, pietatis, & virtutis) *ambulare eos faciam: ponam tenebras* (ignorantiæ, & erroris eorum) *coram eis in* (veræ fidei) *lucem*, *& prava* (vitiorum) *in* (virtutum) *recta*: *hæc verba feci eis*, *&* (cùm sim cum eis usq; ad consummationem sæculi *) *non dereliqui eos.* Et If. 55. v. 4. & 5. Pater de Messia dicit: *Ecce Testem populis dedi eum, Ducem, ac Præceptorem Gentibus. Ecce Gentem, quam nesciebas, vocabis: & Gentes, quæ te non cognoverunt, ad te current.* Simile

* *Joan.* 10. *v.* 9.

* *Matt. ult. v. ult.*

mile est Is. 65. v. 1. *Quæsierunt me qui ante non interrogabant, invenerunt qui non quæsierunt me. dixi: Ecce ego, ecce ego ad Gentem, quæ non invocabat nomen meum.* Hæc dici de Gentibus, à Desiderato cunctis Gentibus * Messia, ad veram fidem vocandis, proindeq; illuminandis, nemo est qui ambigit. Hinc etiam Is. 42. v. 6. & 7. dicitur: *Dedi te* (Christe) *in fœdus populi, in lucem Gentium: ut aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris.* Et Is. 49. v. 6. *Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usq; ad extremum terræ.* Plura dicuntur & alibi. L. * Agg. 2. v. 8.

Demonstr. utrumq; hoc simul, quòd nempe veniente Messia, & Judæi erant excæcandi, & Gentes illuminandæ. *Nam* Ps. 17. v. 45. & 46. dicit Deus: *Populus, quem non cognovi,* (i. e. Gentes, à Deo olim pro populo suo non agnitæ) *servivit mihi: in auditu auris* (non videndo scil. Christi miracula, ast tantùm Apostolos prædicantes audiendo, illisq; credendo) *obedivit mihi. Filij alieni* (scil. Judæi, quos hìc Gentibus opponit) *mentiti sunt mihi, filij alieni inveterati sunt, & claudicaverunt à semitis suis.* Supra quod præclaræ D. Hier. inquit: *Antiquo vocabulo, Judæi filij Dei appellati sunt: sed alienati: quia filij diaboli effecti sunt. Et ijdem Judæi, quorum pater diabolus est, mentiti sunt mihi, quia in veritate non steterunt: sicut & pater eorum. Filij alieni inveteraverunt. Hoc est, quia Novi Hominis* (Christi) *non receperunt Adventum, in veteri homine permanserunt. Et claudicaverunt à semitis suis. Claudicant: quia Patrem credunt, & Filium non credunt. Unum pedem habent: & aliū non habent: unde claudicant in Legis littera.* Hæc illæ. Et Is. 43. v. 8. *Educ foras populum cæcum, & oculos habentem; surdum, & aures ei sunt.* Q. d. * Ejice ô Christe per te tuosq; Apostolos, à te, ac Ecclesia M. * ait hic Cornel.

tua

tua judæos, qui oculos habent, quibus videant tua miracula, & aures quibus audiant cœlestem tuam doctrinam, tamen lumen veritatis, quod vident, & audiunt, recipere, & in animum admittere renuunt. Cæcos ergo hos & surdos reproba, magisq; (permissivè) excæca, & tandem in tenebras exteriores, i. e. infernales, projice, & effice, ut loco judæorum, omnes Gentes à te illuminatæ, tibi, tuæq;
N. conjungantur Ecclesiæ. Hinc statim ibid. v. 9. & 10. subditur: *Omnes Gentes congregatæ sunt simul, & collectæ sunt tribus - - - - Vos* (Gentes) *testes mei* (me coram toto mundo confitentes) *dicit Dominus, & Servus meus* (Messias) *quem elegi: ut sciatis, & credatis mihi, & intelligatis quia ego ipse sum.* En prædicitur & judæorum excæcatio, & Gentium, per veri Dei agnitionem & fidem, illuminatio. Et I. 60. v. 2. & 3. *Ecce tenebræ operient terram,* (i. e. terrenos & carnales judæos) *& caligo populos: super te autem* (Jerusalem mystica, i. e. Ecclesia ex Gentibus congregata) *orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui.* Idem prædixit & Angelus Dan. 12. v. 4. dicens: *Tu autem Daniel claude sermones, & signa librum,* (ne intelligatur etiam à judæis) *usq; ad tempus statutum: plurimi pertransibunt, & multiplex erit* (veniente Christo) *scientia.* Et infra v. 9. & 10. *Vade Daniel, quia clausi sunt, signatiq; sermones, usq; ad præfinitum tempus. Eligentur, &* (per Baptismum, aliaq; Sacramenta, ac gratiam Christi) *dealbabuntur, & quasi ignis probabuntur multi: & impiè agent*
O. *impii, neq; intelligent omnes impii* [quales sunt judæi] *porro*
* Is. 54. v. 13. *docti* [h. e. Christiani, qui * universi sunt docti à Domino] *intelligent.*

Accedunt mirabiles de hoc prædictiones veterum Rabbinorum. *Nam* R. Judas *l. Sanhedrin. c. Helec.* dicit: *Cùm Filius*

Filius Davidis veniet, rari erunt sapientes in Israël & sapientiæ scribarum putrescet. Et *ibid. c. Dinei, & Mammonoth*, filij Hya, loquuntur: *Messias futurus erit in petram scandali, ambabus domibus Israël, & ipsis habitatoribus Jerusalem in laqueum.* Et hoc judæi, suis, licet non omnibus, ast tantùm satis exploratis, in suaq; incredulitate obfirmatis, discipulis, ut arcanum tradunt.

ARTICULUS XII.

Quòd prædictus Messias sit Dominus JESUS à Nazareth.

OStensis quibusdam notis & characteribus veri à DEO promissi Messiæ (licet etiam & aliæ mox infra, ut in suo, magis opportuno, loco, ostendentur) demonstrandus jam venit, non quasi in genere, ast in individuo, hic *Desideratus cunctis Gentibus*, * quem venisse jam probatum. Qui, quòd non sit alius, nisi tantùm Dominus noster, JESUS à Nazareth. A. * *Agg. 2. v. 8.*

Demonstr. *Nam I.* Messias non debuit esse homo purus ast & verus Deus, ut demonstratum *Art. II.* Dominus autem JESUS à Nazareth non fuit homo purus, ast & verus Deus; quod patet *Tum ex eo*: Quia ille sæpius se Filium Dei esse, idq; Deo Patri æqualem [Joan. 5. v. 18.] prædicabat, imò Joan. 10. v. 30. se esse *Unum* cum Patre, h. e. ejusdem cum eo potentiæ, consequenter & essentiæ asserebat; in confirmationemq; hujus stupenda, ac nunquam antea visa, patrabat miracula. Verum ergo fuit, quòd non purus homo, ast & Deus fuerat; quia in confirmationem falsi, nequit vel Deus ipse miracula vera facere, vel, ut alius ea faciat, permittere. *Tum ex eo*: Quòd futura, idq; contingentia, ac à solo Deo, vel etiam hu-

mano

mano libero arbitrio pendentia, certissimè, & infallibiliter prædicebat, quæ partim jam impleta cognoscimus, partim etiam nunc adhuc adimpleri cernimus, partim suo
B. tempore adimplenda incunctanter credimus; suntq; hæc: Jerosolimæ eversio, templiq; destructio, ac consequenter judæorum captivitas, & dispersio, Matt. 24. v. 2. Marc. 13. v. 2. Luc. 19. v. 43. & 44. ac Luc. 21. v. 6. Apostolorum ab ipso comprehenso fuga, Petriq; trina negatio, Matt. 26. v. 31. & 34. Mar. 14. v. 27. & 30. Luc. 22. v. 34. Joan 13. v. 38. ac Joan. 16. v. 32. Ipsius Passio, gentibusq; ad illudendum, flagellandum, conspuendum, & crucifigendum, traditio, ac tertia die gloriosa Resurrectio Matt. 16. v. 21. Matt. 20. v. 18. &. seqq. Marc. 10. v. 33. &. 34. ac Luc. 18. v. 32. & 33. Evangelij per totum orbem prædicatio, Matt. 24. v. 14. Quòd eum Magdalena unxerit, in toto mundo, ubicumq; prædicatum fuerit Evangelium, annuntiatio, Matt. 26. v. 13. ac Marc. 14. v. 9. Apostolorum, aliorumq; Fidelium, à judæis, idololatris, ac hæreticis persecutio Matt. 10. v. 16. & sqq. Matt. 24. v. 9. & 10. Luc. 12. v. 11. Petri crucifixio, & Joannis sine violenta morte ex hac vita transitus Joan. 21. v. 18. &. 19. ac
C. 22. Credentium in eum miracula, Marc. 16. v. 17. & 18. Multorum pseudoprophetarum, ac pseudochristorum adventus, ac seductio plurimorum Matt. 14. v. 11. ac ibid. v. 24. Marc. 13. v. 21. Ecclesiæ ejus contra omnes hæreticorum machinationes ac tyrannorum persecutiones, certa victoria, & inconcussa, stabilisq; permansio, Matt. 16. v. 18. Luc. 22. v. 32. Judicium extremum, signaq; illud præcedentia, Matt 24. v. 11. & sqq. Marc. 13. v. 14. & sqq. Luc. 21. v. 20. & sqq. Ac alia plura. Hæc autem prædicebat, non ut Prophetæ, dicendo se ea habuisse revelata à DEO, nunquam e-

nim

nim inquit: *Hæc dicit Dominus*, vel: *Hæc dicit DEUS*; uti illi dicebant) ast ut Filius naturalis Patris Divini, eadem ipse revelans, ut ait Matt. *11.* v. *27.* Neq; Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Quamvis enim Joan. 8. v. *26.* dixerit: *Ego quæ audivi ab eo*, (i. e. Patre) *hæc loquor in mundo*; ac similia & alibi; tamen id non revelationem, ast à Patre tantùm, (cum quo est *Unum*, illiq; æqualis) Processionem denotat, per quam ille ei suam divinam Essentiam, proinde & scientiam communicat. Certum autem est, quòd prænotio futurorum, sit infallibilis Deitatis nota, juxta illud ipsiusmet Dei If. 41. v. 23. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dij estis vos.* *Tum ex eo*: Quia Dominus Jesus secreta cordis scrutabatur, clareq; videbat, Matt. 9. v. 4. Matt. 12. v. 25. Luc. 5. v. 22. Luc. 6. v. 8. Luc. 9. v. *47.* Luc. 11. v. 17. Ac alibi. Ergo non fuit homo purus, ast & verus Deus; solus enim Deus, non autem homo purus, potest secreta cordis scrutari, clarèq; videre, juxta 2. Paral. * 6. v. 30. *Tu enim solus nosti corda filiorum hominum. Addo*: Quòd in Lege Domini Jesu, sit summa puritas & sanctitas, ita, ut in ea nil sit inhonestum, nil bonis moribus, ac rectæ rationi dissonum. Et hinc sequitur, solum Deum (ut pote totius puritatis ac sanctitatis Fontem) esse illius Authorem, adèóq; D. Jesum esse verum Deum; solus enim Deus, non autem merus & purus legislator humanus potest hominibus legem undequaq; purissimam, ac ex omni parte inculpatam, incontaminatamq; sancire, juxta If. *33.* v. 22. *Dominus enim Judex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster.* D.

* *Dibre Haiamim*

II. Messias debuerat ex Virgine nasci, ut ostensum *Art. III.* idq; in Bethlehem Juda, ex Mich. *5.* v. 2. *Et tu* E.

Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui sit Dominator in Isräël. Nasci debuerat non in domo sua, ast in via, locumq; in diversorio non habere, ex Jer. 14. v. 8. *Futurus es in terra, quasi viator declinans ad manendum.* Natus debuerat in præsepio inter bovem & asinum reclinari, ex Is. 1. v. 3. *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Isräël autem me non cognovit.* Et Habac. 3. v. 2. ubi enim hebr. & vulgata legunt: *Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud.* LXX. prophetice * legerunt: *Domine consideravi opera tua & obstupui in medio duorum animalium cognosceris.* Stellâ novâ in ejus Nativitate exortâ, à Magis Regibus, debuerat adorari, muneribusq; i. e. aurò, thure, & myrrha, honorari, Num. * 24. v. 17. *Orietur Stella ex Jacob.* Et Ps. 71. v. 10. *Reges Tharsis & insulæ munera offerent; Reges Arabum & Saba dona adducent.* Et Is. 60. v. 6. *Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes.* At hoc totum impletum est in Domino Jesu à Nazareth. Nam est natus ex Maria Virgine, Angelo Gabriele nuntiante, & Spiritu S.

*ait Corn. in Hab. 3. v. 2.

* Vaiedabber.

F. obumbrante, Matt. 1. v. 20. Luc. 1. v. 35. Est quoq; natus in Bethlehem Juda, non in domoq; ast in via, dum subdescriptione universi orbis, à Cæsare Augusto imperata, Mater ejus Sanctissima, de Nazareth in illam Civitatem ascenderat, ibiq; eum, non habentem locum in diversorio, pepererat, ac in præsepio reclinaverat, Luc. 2. v. 1. & sqq. idq; inter duo animalia, bovem scil. & asinum, ut habet perpetua traditio. In nativitate ejus est quoq; nova Stella exorta, à qua in Bethlehem Magi Reges perducti, eum adorârunt, supradictisq; muneribus honorârunt, Matt. 2. v. 1. & sqq. *Adde:* Quòd Nativitatem D. Jesu ex Virgine Matre miraculosis quoq; prædictionibus Deus testatam esse voluit.

voluit. Nam * regnante Constantino & Irena Imperatoribus, in mœnijs Thraciæ reperta est tumba lapidea, in eaq; ossa cujusdam ignoti Prophetæ, penes quam erat hoc scriptum: *Christus nascetur de Virgine Maria, credo in eum. Sub Constantino & Irena ô Sol iterum me videbis.* In Hispania quoq; * quidam judæus, Anno Chr. 1251. rupem frangens vineæ suæ proximam invenit in ea librum confectum ex tabulis ligneis, in quo hebraicè, græcè, & latinè, hæc erant descripta: *Filius Dei nascetur ex Maria Virgine, propter salutem humanam patietur.* Sybilla quoq; Tiburtina, * id clarè prædixit, inquiens:

Et brevis egressus MARIÆ de Virginis alvo,
E cœlo veniens, mortales induit artus.
Ac primum corpus Gabriel ostendit honestum
Nuntius, hinc tali affatur sermone Puellam:
Accipe Virgo DEUM, gremio intemerata pudico.

Plura ibi illa Sybilla. His autem non credere est omnibus historijs fidem adimere, quòd est planè temerarium.

III. Messias debuerat *JESUS*, vocari, i. e. *SALVATOR*, nam *JESCUA*, scil. *JESUS* habet * radicem *Jasca*, h. e. *salvum fecit*, proinde *SALVATOREM* significat. Prædixerant enim Prophetæ Messiam *JESUM* vocandum. Nam Is. 45 v. 8. dum dicitur: *Aperiatur terra, & germinet Salvatorem*; pro ly: *Salvatorem*, hebr. est: *JESCUA*, i. e. *JESUM* Idem est ibid. v. 15. *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israël Salvator.* Super quod D. Hier. inquit: *Deus appellatur absconditus propter assumpti corporis Sacramentum, & Deus Israël Salvator, quod interpretatur JESUS.* Et Is. 61. v. 10. dum dicitur: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis*; hebr. est: *vestimentis JESU.* * Et expressissimè Habac. 3 v. 18. *Ego autem in Domino gaudebo: & exultabo in Deo JESU meo.*

*Teste Baronio anno Chr. 790.

*in Theatro Vitæ Humanæ l. 4. fol. 1377.

G.

*apud P. Paulū Ruszel, l. skarb niegdy nieprzebrany, pagina 206.

*teste Corn. in Num. 13. v. 17.

H.

*innuit hoc & D. Hier. in Is. 61. pro cō-

firmatione adducens illud Gal. 3. v. 27. Quicumq; in Christo Baptizati estis Christum induistis.

meo. Ubi Propheta (ait in hunc locum Corn.) sexcentis annis ante Christum vivens, sic in prævisso à se Sanctissimo veri Messiæ Nomine jucundatur, ut adinstar Seraphici Patris nostri Francisci jubilet: *Deus meus*, *Jesus meus*, *Amor meus*, *& omnia.* Et quamvis hìc alij non legant ly: *Jesu meo*, ast vel ly: *Salutari meo*, ut LXX; vel ly: *Factore redemptionis meæ*, ut Chaldæus; vel ly: *Deo salutis meæ*, ut Arabicus Alexandrinus; vel ly: *Deo Domino dominorum*, ut Arabicus Antiochenus; tamen (ut docet D. Aug. *) legi debet ly: *Jesu meo*, non est enim hìc in hebr. ly: *Jisci*, i. e. *Salute mea*, ast *Jescui*, i. e. *Jesu meo*; nam ly: *Jescua*, est, *Jesus*, ly vero *Jescui*, est, *Jesus meus*. Hinc & Syrus vertit: *Et exultabo in Deo Salvatore* (puta *Jesu*, nam *Jesus*, idem significat quod Salvator, & Salvator quod *Jesus*, ut jam innui) *meo*. Imò censeo, quòd Messiam, Jesum vocandum, Scriptura vel expresè prædicit, vel tectè figurat, ubicumq; aut ponit ly: *Salutare Dei*, ut Gen. * 49. v. 18. *Salutare tuum expectabo Domine.* Et Ps. 13. v. 7. *Quis dabit ex Sion salutare Israël?* Et Ps. 105. v. 4. *Visita nos in Salutari tuo*; aut ly: *Salus Dei*, ut Is. 46. v. 13. *Prope feci justitiam meam*, *non elongabitur*, *& salus mea non morabitur. Dabo in Sion salutem.* Et Is. 49. v. 6. *Dedi te in lucem Gentium*, *ut sis salus mea usq; ad extremum terræ.* Et Is. 56. v. 1. *Juxta est salus mea ut veniat.* Et alia plurima. Quod agnovit & Rabbenu Haccados * qui *l. Gale razeia*, Antonium Consulem alloquens ait: *Quia Messias homines salvabit, vocabitur: Jesuach*, *seu Jescua*; i. e. Jesus. Et hoc est ferè idem cum illo, quod ad Joseph. Matt. 1. v. 21. dicit Angelus ad Joseph: *Vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* At quòd Dominus noster Salvator vocatus sit *Jescua*, seu *Jesus*, totus orbis novit. *Dices* cum judæis: Mes-

** l. 18. Civ. DEI c. 32.*

I.

** Beresith.*

** hic rabbi vixit tempore Consulum Romanorũ longe ante Christum.*

sias habere debuerat nomen novum, ex If. 62. v. 2. *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit.* Jesus autem non est novum, plures enim antea hoc nomine appellati fuerant, ut Jesus Nave, i. e. Josue Eccli 46. v. 1. Jesus Sirach, Libri dicti *Ecclesiasticus* Author; Jesus Josedec Sacerdos magnus, Zach. 3. v. 1. Et alij. *Resp.* Falsum dici. Isaias enim citt. non alloquitur Messiam, ast Sion & Jerusalem, seu Ecclesiam à Messia fundandam. Sic enim ibid. v. 1. & 2. dicit: *Propter Sion non tacebo, & propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor Justus ejus, & Salvator ejus ut lampas accendatur. Et videbunt Gentes Justum tuum, & cuncti reges Inclytum tuum: & vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit.* En non Messiam, ast Sion, & Jerusalem, i. e. Ecclesiam novo nomine prædicit Isaias vocandam; quod impletum, dum Act. 11. v. 26. cognominati sunt *primùm Antiochiæ discipuli, Christiani.* Deinde: Quamvis illi enumerati vocati nomine Jesu fuerint, tamen in eis hoc nomen non proprium & reale, ast appropriatum & figurale fuerat; ideò enim tantùm erant ita vocati, quia aliquot munus & officium D. Jesu à Nazareth figurabant. Et sic Josue, dictus est Jesus, quia Josue* 5. judæos in terram promissionis induxit. Jesus Sirach, quia Librum sapientialem, i. e. Ecclesiasticum, composuit. Jesus Josedec, quia post captivitatem Babilonicam primus & summus Sacerdos judæorum fuit. Quæ omnia erant Domini Jesu figuræ; ille enim nos in terram promissionis, i. e. in cœlum induxit; ille est Sapientia increata, Summusq; noster, post eliberationem nostram ex captivitate infernali Pontifex. Non sequitur autem, Messiam sic vocandum non esse, ut ante eum (maximè appropriatè & in figura) sunt vocati alij; nam utiq; de Messia

K.

L.

* *Jehosua.*

Is. 9. v. 6.

Is. 9. v. 6. prædicitur: *Vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Et tamen Ps. 41. v. 5. de Tabernaculo Dei dicitur: *Transibo in locum Tabernaculi Admirabilis.* Jonathan quoq; Patruus David, 1. Paral. * 27. v. 32. *Consiliarius* appellatur. Moyses Exod. * 7. v. 1. *Deus Pharaonis* vocatur. Jacob Gen. * 32. v. 28. *Fortis*, idq; *contra Deum*, nominatur. Abraham Gen. 17. v. 4. *Pater multarum Gentium*, quasi, *Pater futuri sæculi*, prædicitur. Salomon, 1 Paral. 22. v 9. *Pacificus*, velut, *Princeps pacis*, ab ipso Deo dicitur; hæc enim sunt æquivoca, ac participant quidem idem nomen, non tamen eandem rationem importatam per nomen. *Addo:* Quòd potius Messias hoc nomine vocari debuerat, quo vocati fuerant, qui præ cæteris principaliùs eum figurabant; nam quia agnus, maximè pro Phase Exod.* 12. immolandus eum singulariter figurabat, ille Is. 53. v. 7. *Agnus coram tondente se obmutescens*, & Joan. 1. v. 29. *Agnus qui tollit peccatum mundi, nominatur.* Quia eum mons Sion, in quo ædificatum erat templum Dei, ut & in illo (Ephes. 2. v. 20.) Ecclesia, præsignabat; ille Is. 2. v. 2. *præparatus Mons domus Domini in vertice montium* vocitatur. Quia illum Propheta Dan. 2. v. 35. adumbratum in figura lapidis, qui *factus est mons magnus, & implevit universam terram* conspexerat, ille Ps. 117. v. 22. *Lapis quem reprobaverunt ædificantes, qui factus est in caput anguli*, appellatur. Similia sunt & alibi. Cur ergo Messias non debuisset Jesus vocari, quia hoc nomine ante eum & alij vocitati erant, qui singulariùs illum figurabant?

IV. Ante prædicationem Messiæ debuerat quidam præcursor venire, ut homines ad eam præpararet, Is. 40. v. 3. *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* Ac Malach. 3. v. 1. *Ecce*

Marginal notes: * Dibre Haiamim. * Veelle Semoth. M. * Beresith. * Veelle Semoth. N.

ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et ipse Messias Spiritu S. repletus & unctus, debuerat, ad prædicandam indulgentiam seu remissionem peccatorum venire, non forinsecusq; ast cor inspiciendo & scrutando judicare, & arguere; Is. 11. v. 3. & 4. *Et replebit eum Spiritus timoris Domini. Non secundùm visionem oculorum judicabit, neq; secundum auditum aurium arguet: sed judicabit, in justitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansvetis terræ.* Et Is. 52. v. 13. *Ecce intelliget* (secreta cordium, technas & captiones scribarum & pharisæorum, ac omnia alia) *Servus meus, exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valdè.* Et Is. 61. v. 1. & 2. *Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansvetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem: & prædicarem annum placabilem Domino.* Debuerat quoq; novam Legem sancire, ac veterem abrogare, ut novus Legislator post Moysen, ut ostendo *Art. XX. XXI. & sqq.* Et pro confirmanda cælesti sua doctrina multa magnaq; miracula facere, præsertim cæcos illuminando, surdos & mutos sanando, claudos erigendo, mortuos ad vitam revocando, famelicos, multiplicatis miraculosè panibus satiando; Is. 35. v. 4. & sqq. *Deus ipse veniet, & salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingva mutorum.* Et Is. 51. v. 4. *Citò veniet gradiens ad aperiendum,* (i. e. Messias, qui ex citt. jam hic Is. 61. v. 1. prædicavit captivis indulgentiam, & clausis apertionem) *& non interficiet* (vivificando etiam jam mortuos) *usq; ad internecionem, nec deficiet* (multiplicatus divinitus) *panis ejus.* Insuper Messias debuerat tempestates maris sedare, ac super fluctus ejus ambulare; Ps. 88. v. 10 *Tu dominaris potestati maris: motum autem fluctuum ejus tu mitigas.* Et ibid.

v. 26.

v. 26. *Ponam in mari manum ejus, & in fluminibus dexteram ejus.* Et Zach. 10. v. 11. *Transibit in maris freto, & percutiet in mari fluctus.* Quæ & ipsi judæi ad litteram expectant, quasi portenta futura & facienda à suo Messia, teste Corn.* *At* hæc omnia sunt in D. Jesu impleta. Præcucurrit enim manifestationem & prædicationem ejus S. Joannes Baptista, prædicando baptismum pænitentiæ, Adventumq; ejus nuntiando; Matt. 3. v. 1. Mar. 1. v. 4. Luc. 3. v. 3. qui se etiam dixit esse vocem clamantis in deserto Joan. 1. v. 23. Et quem ipse Christus dixit fuisse illum Angelum á Malachia prædictum, Matt. 11. v. 10. Ipse quoq; D. Jesus Luc. 4. v. 1. fuit *plenus Spiritu Sancto.* Hinc ibid. v. 16. & sqq. in Synagoga Nazareth illud Is. 61. *Spiritus Domini super me* &c. de seipso explicavit dicens: *Hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris.* Prædicavit indulgentiam & remissionem peccatorum; Mar. 1. v. 14. & 15. *Venit Jesus in Galilæam, prædicans Evangelium regni Dei, & dicens: Quoniam impletum est tempus, & appropinquavit regnum Dei: pænitemini, & credite Evangelio.* Imò totum ejus divinum Evangelium omnem virtutem veritatemq; docet, & ad pænitentiam, seriamq; emendationem incitat. Fecit innumera stupendaq; miracula, sanando cæcos, surdos, claudos, & mutos, resuscitandoq; mortuos, ut totum clamat Evangelium; ac multiplicatis panibus divina sua virtute quinq; millia hominum, Matt. 14. v. 19. Mar. 6. v. 41. Luc. 9. v. 14. Joan. 6. v. 11. & sqq. ac post, quatuor millia, Matt. 15. v. 34. & Mar. 8. v. 5. satiavit. Sedavit quoq; tempestatem magnam exortam in mari; Matt. 8. v. 26. Ac super fluctus maris ambulavit; Matt. 14. v. 25. & Mar. 6. v. 48.

* in Zach. 10. v. 11.

P.

Q.

V. Messias debuerat venire pauper, inops, & despectus; Gentesq; judæis præferre, easq; omnes ad se convertere;

tere; Gentes illuminare, judæos verò excæcare *Art. IX. X. XI.* Debuerat instituere Sacerdotium & Sacrificium Melchisedechianum incruentum, abrogatô sacerdotiô Aaronicô, cruentisq; ejus sacrificijs, *Art. XVIII.* & *XXIV.* Debuerat venire in Sion asinæ, & pullo ejus insidens, Zach. 9. v. 9. *Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi Justus, & Salvator; ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.* Debuerat pati, mori, à mortuis tertia die resurgere, in cœlum ascendere, Spiritum S. in Apostolos, & ipsos Apostolos ad prædicandum, in mundum universum mittere, *Art. XIII. XIV. XV. XVI. & XVII.* Venturus demum erat ad extremum judicium *Art. XXXIII.* Hæc autem omnia in D. JESU à Nazareth sunt ad ungvem impleta. Ille enim fuit pauper, inops, ac à superbis & divitibus scribis & pharisæis despectus, ut toties legitur in Evangelio, & signanter Luc. 16. ubi paupertatem commendans, avaritiamq; condemnas cùm diceret, quòd nemo possit Deo servire, & mammonæ, statim ibid. v. 14. subditur: *Audiebant autem omnia hæc pharisæi, qui erant avari: & deridebant illum.* Prætulit Gentes judæis Matt: 8. v. 11. & 12. dicens. *Multi* (ex Gentibus) *ab oriente, & occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob in regno cœlorum: filij autem regni* (i. e. judæi) *ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium.* Et Matt. 21. v. 43. principibus sacerdotum, & senioribus populi dixit: *Dico vobis quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur Genti facienti fructus ejus.* Hinc adducebat parabolas, de homine rege *qui fecit nuptias filio suo* Matt. 22. ac de homine quodam, qui *fecit cœnam magnam* Luc. 14. ubi dum invitati, h. e. judæi, facti sunt his indigni, introducti sunt illuc pauperes, de-

biles, cæci & claudi, i. e. Gentes. Convertit quoq; ad se omnes Gentes, præcipiens Apostolis Matt. 28. v. 19. *Docete omnes Gentes.* Et Luc. 24. v. 47. dicens, quòd *oportebat prædicare in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes Gentes.* Has Gentes in Ipsum credentes, illuminavit, judæosq; incredulos excæcavit; nam Joan. 12. v. 46. Ipse dixit: *Ego Lux in mundum veni: ut omnis, qui credit in me in tenebris non maneat.* Et ibid. v. 39. & 40. de judæis dicitur: *Propterea non poterant* (in D. Jesum) *credere, quia iterum dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum: ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & sanem eos.* Hinc dum Joan. 9. v. 39. cæco nato, jam à se illuminato D. Jesus diceret, quòd in judicium in hunc mundum venerit, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant, & audientes hæc quidam ex pharisæis quærerent: *Numquid & nos cæci sumus?* ille, v. 41. respondit: *Si cæci* (puta physicè) *essetis, non haberetis peccatum. nunc verò dicitis: Quia videmus. Peccatum vestrum manet.* Instituit demum D. Jesus Sacerdotium & Sacrificium Melchisedechianum, loco sacerdotij, & sacrificij Aaronici, Matt. 26. v. 26. & sqq. Mar. 14. v. 22. & sqq. Luc. 22. v. 19. & 20. Die Palmarum venit in Sion & Jerusalem sedens super asinam, & pullum filium subjugalis, Matt. 21. v. 1. & sqq. Marc. 11. v. 1. & sqq. Luc. 19. *à* v. 29. Est passus, mortuus, tertia die resurrexit à mortuis, ascendit in cœlum, misit Spiritum S. in Apostolos, & Apostolos ad prædicandum, in universum mundum; ut omnia Evangelia, Actus Apostolorum, Apostoli in suis Epistolis, totusq; mundus Christianus testatur. Venturus est ad extremum judicium, ut Matt. 25. v. 31. & alibi sæpe admonet. Quæ ergo his potuerant esse palpabiliores & evidentiores notæ

S.

T.

ac

ac characteres, quòd Dominus noster Jesus à Nazareth, sit verus Messias?

Contra hæc judæi nihil possunt palam objicere; rei evidentiâ, totiusq; mundi consensu redarguti; tamen tacitè remurmurant, hæc, & maximè miracula Christi, esse in gratiam sui Magistri, ab Evangelistis conficta. *At* quæ major potest esse stultitia, & impudentia contra consensum universi orbis, hæc vel leviter, in mentem inducere? Ut tamen hæc summa judæorum fatuitas magis adhuc pateat, Christum verè fecisse miracula, illaq; non esse ab Evangelistis conficta. *Ostendo imò.* Ex testimonijs capi- U.
talium Christi, & Christianorum, hostium, nempe Paganorum, judæorum, Machometanorum, imò & dæmonum, à Christo facta esse miracula (de quibus maximè adversarij fingunt se dubitare) asserentium. *Pagani* id asserunt. I. Pilatus judex Christi iniquus * Claudio Tyberio Imperatori scribens, sententiam à se, contra Christum latam, deplorat; & subnectit, plura ab eo facta esse miracula; ut quòd leprosos mundaverit, paraliticos sanaverit, è corporibus dæmones expulerit, mortuos resuscitaverit, ventis imperaverit, super aquas siccis vestigijs ambulaverit. Postq; addit summum ejus miraculum, gloriosam nimirum à mortuis resurrectionem. *II.* Claudius Tyberius Cæsar, hîs auditîs, postq; diligentem investigationem, quòd vera sint; perspectîs, * D. Jesum inter deos suos retulit, statuamq; illius, inter statuas aliorum deorum erigere voluit, licet (taliter Sapientiâ Divina disponente, cùm recenseri vivum Deum & verum, inter fallos, ligneosq; & lapideos, W.
potiùs foret contumelia quàm gloria) quia id fecerat nesciente ac inconsulto Senatu, hoc decretum illius, cassatum, & annullatum à Senatu fuit. Tamen hîs non atten-

* *teste Egesippo in Anacephaleosi. Et Baronio Ann. Chr. 34.*

* *refert Tertullianus in Apologetico.*

tis, vetuit ille, ne quispiam quemcunq; Christianum, ob Fidem illius in Christum, quoquô modô molestare auderet; quæ lex viguit stante vita Tyberij. *III.* Miracula Christi tantam meruêre fidem, ut * Adrianus Imperator omnia templa in honorem Christi dedicaret, & ut postea extruerentur absq; idolis, & extructa cum idolis diruerentur decerneret; licet huic ejus decreto augures restiterint, ac ne ad effectum deduceretur, impediverint. *IV.* Alexander Severus * credens Christum verè patrasse miracula, in oratorio suo, imaginem ejus servabat, eam venerans, ac coram illa singulis diebus procumbens; quamvis ex superstitione ethnica, etiam icones Apollonij Tyanei celebris magi, Abrahæ Patriarchæ, ac Orphei vatis, pari veneratione coluerit. *V.* Julianus apostata, persecutor Christi, & Christianorum, truculentissimus, agnoscit miracula Christi, quamvis ea stultè postponat * dicens: *Quo* (Jesus) *vixit tempore, nullum opus memoratu dignum fecit, nisi quis claudos & cæcos curare, & dæmones adjurare, in Bethsaida & Bethania castellis, opus esse maximum putet.* Et infra ibid. latrat: *Cùm autem populus ille* (Israël) *duri cordis, & lapideæ cervicis, obedivit Moysi? Jesus autem, qui spiritibus imperabat, & super mare ambulabat, & dæmonia exigebat, & sicut vos dicitis, cælum & terram fecit* (*non enim hæc ausus fuit aliquis ex discipulis illius dicere, præterquam solus Joannes, idq; neq; manifestè, neq; apertè, sed dixisse concedatis*) *num potuit ad salutem suorum amicorum, & consangvineorum* (qui etiam Joan. 7. v. 5. non credebant in eum) *voluntatem mutare.* En hic perditus apostata volens, nolens, Christum patrasse miracula confitetur, licet eum esse Creatorem cæli & terræ, proindeq; & Deum, impiè neget. *Judæi* quoq; id fatentur. Nam *I.* Flavius Josephus judæus, celebris

X.

historicus,

* *teste. Lamprido. in vita severi.*

* *scribit idem Lamprid. in Alexandro.*

* *apud. T. Cyril. Alexandrin. l. vi. contr. Iulianum.*

historicus, brevi post Christum vivens, infidelitate sua non obstante, fide historica, illiusq; temporis scientiâ victus, hoc insigne testimonium de D. Jesu miralis ac sanctitate edidit * dicens: *Fuit autem eisdem temporibus Jesus, sapiens Vir, si tamen Virum eum nominare fas est. Erat enim mirabilium operum effector, & Doctor hominum eorum, qui libenter quæ vera sunt audiunt; & multos quidem judæorum, multos etiam ex Gentibus sibi adjunxit. Christus hic erat.* Et post pauca, ubi Christi crucifixionem mortemq; descripserat, subdit: *Non defuerunt hi, qui ab initio eum dilexerunt. Apparuit enim eis tertia die iterum vivus, secundùm quod divinitus inspirati Prophetæ, vel hæc, vel alia, de eo innumera miracula prædixerant.* Refert etiam D. Hier. * hoc testimonium ejus, verbis aliquantisper immutatis, ast eodem planè sensu remanente. *II.* Ipsimet Thalmudistæ *in libello de Jesu Nazareni generatione* * fatentur, quòd D. Jesus *leprosos mundavit, & claudum ex utero matris suæ, stare fecit, & mortuum suscitavit, & multa alia*, quæ fieri non poterant nisi virtute Divina. *III.* Etiam illi idem confirmant, qui *l. Maila Imperque*, miracula à D. Jesu facta esse non negant, ast quod ea, vel per magiam, quam in Egypto, puer manens, didicerat, vel virtute verbi *Sem. hammephoras*, quod furtim ex Templo Jerosolimitano abstulerat, patrata ab illo fuerint, æquè stultè, ac blasphemè confingant. *Machometani.* Nam Machomet in Alcorano, *tit. Abodaz*, Jesum Christum Dei virtutem, Sapientiam, Animam, Flatum, Spiritum, Verbumq; afflatu quodam divino, ex Maria Virgine perpetua natum, appellat; aitq; Ipsum suscitasse mortuos, aliaq; plura miracula divinitus effecisse, & cunctis Hebræorum Prophetis sublimiorem esse. Et mox Deum inducit, sic loquentem: *Cùm Prophetas alios alijs præfecerimus, eosq; allocuti fuerimus,*

* *l. 18. Antiqu. c. 6.*

Y.

* *l. de scriptor. Ecclesiasticis.*

* *teste Lyran. l. contr. perfid. judæorum.*

Z.

fuerimus, Christo MARIÆ filio animam nostram propriè conferentes, vim, atq; virtutem, præ cæteris præbuimus. Hinc quotiescumq; Evangelium nominat, toties illud, *librum lucidum* vel, *lumen testamenti* vocat. Ac inde venit, quòd * Machometani, qui sepulchrum Machometi invisunt, nisi quoq; sepuchrum Christi inviserint, pro nondum plenè purificatis habentur; qui verò apud illos *JESU* vel *MARIÆ* Nomen, minus reverenter, multò magis irreverenter commemorat, severissimè, idq; passim morte, punitur. *Dæmones* demum D. Jesum verè fecisse miracula sunt testati. Nam * Apollo Milesius, seu dæmon in idolo illo absconsus, de Christo, quis? & qualisnam ille fuerat? interrogatus, respondit: *Mortalis erat Corpore, Sapiens, prodigiorum Effector.* Ut quoq; refert Porphirius, tunc adhuc ethnicus, *l. de responsis*, dum Hecatem paganorum deam, de Anima Christi quidam interrogasset paganus? dæmon in idolo illo respondit: *Viri pietate præstantissimi est Anima illa, hanc colunt à rigiditate alienam; Hic Christus pius in cælum ascendit.* En magnum miraculum dæmon hìc Christo attribuit, i. e. admirabilem ejus Ascensionem in cælum. Non sunt ergo miracula Christi ab Evangelistis conficta, ast ab eo verè patrata, cùm tales ac tantos testes ex capitalibus quoq; inimicis habeant, qui, quantumvis inviti, hanc, toti orbi exploratam, veritatem fatentur. Tamen insuper hoc

* *teste Gretio, l. 2. n. 5.*

* *teste Gonet, de Virt: Theol. disp. 1. n. 256.*

Aa.

Ostendo 2do rationibus urgentissimis. *I.* Evangelistæ conformissimè & accomodatissimè ad prophetias de Messia factas, miracula, & gesta D. Jesu descripserunt, velut enumerando conditiones Messiæ, in ijsdem descriptas, easq; D. Jesum habuisse ostendo: Ergo ea non finxerunt; erant enim idiotæ, piscatores & publicani, Scripturæ ac prophe-

tiarum ignari; proinde, si talia gesta, & miracula, D. Jesu non fuissent, illa sic accommodatè ad prophetias, de Messia factas, fingere non potuissent. Sicut aliquis rabbinus Regulæ, & Vitæ Fratrum Minorum, consequenterq; obligationum & conditionum veri Fratris Minoris, prorsus ignarus, non posset fingere, aliquem ut Fratrem Minorem vixisse, obligationesq; ac conditiones illius implevisse, nisi ille sic revera vixisset. *II.* Si Evangelistæ gesta, & miracula D. Jesu finxissent, tunc vel omnia finxerunt, vel non omnia? Si omnia: ergo & hoc, quòd ille solvebat sabbatum, quòd pauper, & despectus fuerat, quòd sit Crucifixus & mortuus &c. quibus tamen Judæi firmissimè credunt. Si autem non omnia: ostendant ergo nobis authenticîs instrumentîs, vel rationibûs irrefragabilibûs, quænam, fixerint? id enim nudè dicere non sufficit, ast illis incumbit falsitatem probare, qui, contra consensum universi orbis audent eam objicere. *III.* Eôdem, quia æquè futilî, fundamentô, aliquis posset negare, Cyrum, Alexandrum magnum, Pompeium, Julium Cæsarem, Octavianum Augustum &c. tot gentes vicisse; Moysen divinitus Ægyptios, ac Chananæos Josue profligasse; Moysen in monte Sinai miraculosè à Deo Legem accepisse; ac Prophetas, ut Eliam, Eliseum, aliosq; miracula patrasse, futura prædixisse, & occulta vidisse. *IV.* Si Evangelistæ gesta & miracula D. Jesu confinxissent, quarenam ergo tot scribæ & pharisæi, in Lege, doctrinisq; varijs peritissimi, videndo falsitates venumdari, totum mundum credere, Legemq; Moysaicam aboleri, falsitates illas scriptis suis non detexerant? quare non comparuit aliquis magnanimus Phinees, Moysaicæ Legis zelator (ut antea Num. * 25. v. 7. contigit) ad stringendum, si non gladium, saltem

Bb.

Cc.

* Vaiedabber.

tem calamum, contra tam aperta, & in opprobrium gentis suæ concinnata mendacia? maximè quia Evangelistæ non scripserant ea, quæ facta sunt ante diluvium, uti Moyses scripsit, cui tamen & judæi justè credunt; ast ea quæ temporibus suis sunt facta, ac in recenti adhuc hominum memoria fuerant. Quæ etiam ob hoc, si falsa fuissent, convinci facillimè falsitatis possent. Nullus tamen id fecit, imò plures ex illis, ut Simeon, Nicodemus, Gamaliel, Saulus &c. Christo manus dederunt. *V.* Quia si de miraculis D. Jesu falsa Evangelistæ scripsissent, ac gesta illius

Dd. confinxissent, quomodo posset fieri, ut his falsitatibus totus mundus, cum plurimis sapientissimis Philosophis & Sophistis, (qui gloriæ sibi ducebant, omnes novitates, & maximè fallas, scire retundere) tam firmiter & tam citò crederet, maximè cùm doctrina Christi, sit longè lumen rationis transcendens, carniq; & sensualitati contraria. Certè est omnino impossibile, ut idiotis aliquibus, nunc v. g. Cracoviam venientibus, nugasq; meras, & fabulas, quas nulla possent ratione probare, prædicantibus, tota Cracovia sic firmiter crederet, ut potiùs mortem, quantumvis durissimam, pro his oppetere, quàm illa non credere eligeret. Cùm ergo non una tantùm civitas, non una gens & regnum, ast integer orbis, Evangelistis gesta & miracula D. Jesu referentibus, subitò ferè & tam firmiter credidisset, ut etiam pro his tot milliones fidelium, dira & horrenda martyria subire non dubitaverint, sequitur, quòd hæc Evangelistæ non confinxerint, ast potiùs vera esse clarissimis & evidentissimis documentis ostenderint. Hincq; pono dilemma: vel conceditur Christum (i-

Ee. dem dic de Apostolis Fidem Christi prædicantibus) miracula patrasse, vel non conceditur? si conceditur, manet

net nostrum intentum. Si non conceditur? Ergo est summum miraculum, quòd absq; Christi (Apostolorumq;) miraculis, totus mundus in idololatria varijsq; sceleribus inhabituatissimus, per propositionem eorum quæ sunt carni & sangvini contraria, sensibusq; ipsis, imò quasi & rationi repugnantia sic crediderit firmiter, & adusq; credat constanter. Quia verò contra rationem est hoc secundum dicere necesse est asserere, quòd miracula D. Jesus patraverit. Quid ergo stultizant judæi?

Accedunt dicta aliquorum rabbinorum D. Jesum à Nazareth esse verum Messiam confitentium. Nam Flavius Josephus hìc *litt.* Y. citt. de D. Jesu ait: *Christus hic erat.* De eodem, totum edidit libellum R. Samuel, ad alium scribens rabbinum, ac Messiam D. Jesum indigitans; at hic libellus manibus omnium ferè teritur. Et R. Moyses *l. judicum ordinarior.* * dicit: *Jesus Nazarenus visus est esse Messias, & interfectus est per domum judicij; & ipse fuit causa, & promeruit, ut destrueretur Isràël in gladio.* Hic rabbi, quamvis rectè dicat D. Jesum Nazarenum occisum, causam fuisse excidij Jerosolomitici, non rectè tamen dubitat, illum fuisse Messiam, dicens: *Jesus Nazarenus visus est esse Messias.* Sequitur enim, quòd, si occisio D. Jesu, Jerosolimitani excidij, erat causa, D. JESUS erat verus Messias, occisio namq; Christi causa talis excidij esse debuerat, ex Dan. 9. v. 26. *Occidetur Christus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo.* &c.

* *apud Lyran l. cont. perfid. jud.* A.

ARTICULUS XIII.

Quòd Lex, & Prophetæ, prædixerant totam Passionem Domini JESU, cum omnibus ferè ejus circumstantijs.

CHristum Crucifixum esse (1. Cor. 1. v. 23.) *judæis qui-*

dem scandalum, gentibus autem stultitiam, omnes fideles novimus, cæcitatq; ipsorum indolemus, videntes quòd *inde contra eum homo scandalum sumpsit, unde ei ampliùs debitor fieri debuit*, ut inquit S. Greg. Papa * Videant ergo hi excæcati quam exactè Lex & Prophetæ totam Passionem D. Jesu prædixerint, cum omnibus ferè circumstantijs. Nam

* Hom. 6. in Evang.

B.

I. Quòd D. Jesus, nasciturus, non erat locum in diversorio habiturus, eratq; natus in præsepio reponendus, inter bovem & asinum, prædixit Isaias & Habacuc, ut visum *Art. XII. litt.* E.

II. Quòd D. Jesus erat despectus & pauper per totam Sanctissimam vitam suam victurus, quod est etiam unum ex circumstantijs Passionis ac abjectionis illius, prædixerunt plures Prophetæ, *Art. IX.* addct. & maximè Jeremias ibid. *litt.* G. allatus & explicatus, dum affectuosè ait: *Expectatio Isràël, Salvator ejus in tempore tribulationis: quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum? quare futurus es velut vir vagus, ut fortis qui non potest salvare?*

III. Quòd D. Jesus in infantia ab Herode infanticida persequendus, & in Ægyptum fugiturus erat, quòdq; pro illo plurimi infantes Bethlehemitici occidendi fuerant, dicit ipse Ps. 128. v. 1. & 2. *Sæpe expugnaverunt me* (Herodes cum impijs consiliarijs suis & satellitibus) *à juventute mea, dicat nunc Isràël: Sæpe expugnaverunt me à juventute mea: & enim non potuerunt mihi.* Et Is. 19. v. 1. *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur simulacra Ægypti à facie ejus.* Ubi per nubem levem, intelligitur tum Caro Christi de Spiritu S conceptà, tum SS.ma Virgo, nullo concupiscentiæ, aut conjugij onere, prægravata, cujus ulnis Christus puer in Ægyptum

C.

gyptum delatus, deorum inibi simulacra confregit. Sic D. Hier. & alij Patres, à Corn. addct. * Et Jer. 31. v. 15. *Vox in excelso audita est lamentationis, luctus, & fletus Rachel plorantis filios suos, & nolentis consolari super eis,* (quia occisi, & mortui) *non sunt.* Plura super hoc Corn. * *in hunc locum.*

IV. Quòd scribæ & pharisæi contra D. Jesum erant ex hoc capitale odium concepturi, quòd scelera eorum argueret, hypocrisimq; illis exprobraret. Ps. 37. v. 21. *Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatem.* Et Ps. 108. v. 3. & sqq. *Locuti sunt adversum me lingva dolosa;* (proponentes varias quæstiones captiosas, ut aliqnoties, & maximè Matt. 22. v. 16. contigit) *& sermonibus odij circumdederunt me:* (dicendo Matt. 1. v. 24. me in Beelzebub, principe dæmoniorum, dæmonia eijcere, Joã. 8. v. 48. Samaritanum esse, & dæmonium habere, hominem à Deo non esse, & peccatorem esse Joan. 9. v. 16. & 24. ac alia plura) *& expugnaverunt me gratis. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam: Et posuerunt adversum me mala pro bonis: & odium pro dilectione mea.* Et Psal. 119. v. 7. *Cum loquebar illis,* (arguendo hypocrisim, criminaq; eorum) *impugnabant me gratis.* Et Psal. 138. v. 22. *Perfectô odiô oderam illos: & inimici facti sunt mihi.* D.

V. Quòd judæi doctrinam D. Jesu contempturi & blasphematuri erant. Is. 1. v. 4. *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis: dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt* (Christum) *Sanctum Israël.* Et Is. 5. v. 24. *Abjecerunt enim Legem Domini exercituum, & eloquium Sancti Israël blasphemaverunt.* Et Jer. 5. v. 3. *Renuerunt accipere disciplinam: induraverunt facies suas supra petram & noluerunt reverti.* Et Jer. 7. v. 28. *Hæc est gens, quæ non audivit vocem Domini Dei sui, nec recepit* (Evangelicam) *disciplinam:*

plinam: perijt fides, & ablata est de ore eorum. Et Jer. 32.
E. v. 33. *Verterunt ad me terga & non facies: cùm docerem eos diluculo*, (Joan. 8. v. 2. veniens in templum) *& erudirem.*

VI. Quòd contra D. Jesum judæi dolos & fraudes excogitaturi erant, ut eum quoq; modo perderent. Ps. 30. v. 14. *In eo dum convenirent simul adversum me, accipere animam meam consiliati sunt.* Et Ps. 34. v. 20. *Mihi quidem pacificè loquebantur:* [appellando me Magistrum veracem, qui viam Dei in veritate doceo, ut factum Matt. 22. v. 16.] *& in iracundia terræ loquentes, dolos tota die cogitabant.* Et Ps. 37. v. 13. *Vim faciebant qui quærebant animam meam. Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.* Et Ps. 139. v. 6. *Qui cogitaverunt supplantare gressus meos: absconderunt superbi* (scribæ & pharisæi) *laqueum mihi. Et funes* (captiosarum interrogationum, an v. g. liceat homini dimittere uxorem suam quacumq; ex causa? Matt. 19. v. 3. an debeat dari tributum Cæsari? Matt. 22. v. 17. an sit lapidanda adultera? Joan. 8. v. 5. &c.) *extenderunt in laqueum: juxta iter scandalum posuerunt mihi.* Et Prov. * 1. v. 11. & 12. *Insidiemur sangvini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra: deglutiamus eum sicut infernus viventem.*

* Miste.

F.

VII. Quòd D. Jesus erat se absconsurus à judæis, eum in templo Joan. 8. v. 59. blasphemantibus, & lapidare volentibus. Ps. 26. v. 5. *Abscondit me in tabernaculo suo: in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.* Et Ps. 54. v. 13. *Si is qui oderat me,* (scriba, & phariseus) *super me magna locutus fuisset: abscondissem me forsitan ab eo.* Et Is. 59. v. 2. *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis,* Et Mich. 3. v. 4. *Abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequi-*

ter

ter egerunt in adinventionibus suis. Figura hujus erat Jeremias cum Baruch, quos dum Joakim rex Juda comprehendi jussisset, *abscondit eos Dominus.* Jer. 36. v. 26.

VIII. Quòd contra D. Jesum principes sacerdotum & scribæ concilium erant inituri, ut eum morti traderent. Prævidit id Patriarcha Jacob Gen. * 49. v. 6. execratus consilium Simeon, ex quo scribæ, & Levi; ex quo sacerdotes, (teste Corn. hic) sunt geniti, ac dicens: *In consilium eorum* (quod futurum erat contra D. Jesum) *non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea: quia in furore suo occiderunt Virum.* i. e. D. Jesum, qui Zach. 6. v. 12. est *Vir Oriens.* Et David Ps. 2. v. 2. *Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus.* Et ipsemet Christus Ps. 21. v. 17. conqueritur: *Concilium malignantium obsedit me.* Et Ps. 118. v. 23. *Sederunt principes, & adversum me loquebantur.* Figura hujus fuit Jeremias c. 11. v. 19. dicens: *Cogitaverunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem ejus,* (i. e. lignum Crucis in Carnem Christi, de qua ille Joan. 6. v. 52. dixerat: *Panis, quem ego dabo, Caro mea est.*) *& eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius.*

* *Beresith.*

G.

IX. Quòd Judas Iscariotes, dolosus ac iniquus D. Jesu discipulus, proditurus erat eum ad Passionem & Mortem. Conqueritur ipsemet D. Jesus Ps. 40. v. 10. *Homo pacis meæ, in quo speravi: qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Et Ps. 54. v. 13. & sqq. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique . . . Tu verò* (Juda Iscariotes) *homo unanimis,* (qui cum alijs conjunctus eras Apostolis *) *dux meus* (ad prædicandum cum cæteris missus) *& notus meus: Qui simul mecum* (tum in ultima Cœna, tum alibi) *dulces capiebas cibos.* Hujus figura fuit

H.

* *sic locum hunc* D. Hieron. *explicat.*

impius

* Samuel. impius Doeg, qui 1. Reg. * 22. v. 9. & 10. reprobo Saul prodiderat in mortem innocentem Achimelech Pontificem, ut & Judas D. Jesum.

X. Quòd idem Judas venditurus erat D. Jesum pro triginta argenteis. Amos 2. v. 6. *Hæc dicit Dominus: super tribus sceleribus Israël, & super quatuor non convertam eum: pro eo quòd vendiderit pro argento Justum.* Et Zach. 11. v. 12. & 13. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: Projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis.* Hic in addꝰ. Amos innuitur, quòd universus Israël quatuor scelera commiserit, & prima tria à Deo sunt ei dimissa, quartum verò nequaquam, scil. venditio D. Jesu pro triginta argenteis. Porro probabiliter *1mum.* scelus Israël fuit vituli aurei in deserto adoratio. *2dum.* Sub Jeroboam, alijsq; regibus Israël universalis veri Dei derelictio, ac vitulorum aureorum (quos impius ille in Bethel & Dan. 3. Reg. * 12. v. 29. posuerat) pro dijs agnitio. *3tium.* Prophetarum contemptus, persecutio ac occisio. *4tum.* reliquis omnibus enormius ac truculentius, i. e. probrosa Christi venditio ac crudelis interemptio. Et hinc patet quod hoc quartum Israëlitarum scelus non fuerit venditio Joseph in Ægyptum, ut judæi ineptiunt; hæc enim, non quartum, ast primum eorum scelus erat, nec fuerat universale omnium, [ut hoc quartum scelus Israël esse debuerat, ut constat ex universali pœna pro eo inflicta) nam nec Benjamin nec Ruben cum alijs fratribus eum vendiderant; imò Ruben Gen.* 37. v. 21. *nitebatur liberare eum de manibus eorum*, ac vendito illo ibid. v. 30. lamentabatur dicens: *Puer non comparet, & ego quo ibo?*

I.

* Malachim.

* Beresith.

XI. Quòd D. Jesus ante comprehensionem suam erat in

in montem Oliveti egressurus, in ibiq; tristis & conturbatus Patrem oraturus, nec tamen ut calix Passionis ab illo transiret impetraturus. Zach. 14. v. 4. *Stabunt pedes ejus in die illa super montem Olivarum, qui est contra Jerusalem ad orientem.* Per quod sub typo significatur, quód * Christus Deus factus Homo erat staturus & versaturus in monte Oliveti, ibiq in oratione pernoctaturus, Apostolos docturus, & Passionem inchoaturus. Et hoc in seipso figurabat David, de quo 2. Reg. * 15. v. 30. dicitur: *Porro David* (dum eum persequebatur Absalom) *ascendebat clivum Olivarum, scandens, & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite.* Et Ps. 54. v. 3. *Contristatus sum in exercitatione mea: & conturbatus sum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris.* Et Psal. 21. v. 2. & 3. *Deus Deus meus respice in me: quare me dereliquisti? longè à salute mea verba delictorum meorum, Deus meus clamabo per diem, & non exaudies:* (ut scil. Passionis calix à me transiret) *& nocte, & non ad insipientiam mihi.* Quòd autem de ipso id David non dicit, ostendi jam *Art. IX, lit.* B & sqq. **K.**

* ait Cornel. in hunc loc.

XII. Quod etiam inibi D. Jesus agonizaturus erat, & sangvinem sudaturus. Ps. 30 v. 11. *Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Infirmata est in paupertate virtus mea: & ossa mea conturbata sunt.* Et Ps. 76. v. 4. & 5. *Exercitatus sum: & defecit spiritus meus. Anticipaverunt vigilias oculi mei: turbatus sum, & non sum locutus.* Et Ps. 141. v. 3. & 4. *Effundo* [in horto Gethsemani) *in conspectu ejus orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuntio. In deficiendo ex me spiritum meum.* Et Is. 63. v. 2. & sqq. *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcavi solus - - - - Et aspersus est sangvis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta* **L.**

mea

mea inquinavi. Dies enim ultionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit. Hæc dici de Christo, ad Passionem suam, & redemptionem nostram accedente, patet ex addct. verbis ultimis; debereq; intelligi de sudore ejus sangvineo quem in horto passus fuerat, advertit Mancinus * cùm enim ad flagellationem, coronationem, & crucifixionem, fuerat suis vestimentis exutus, non est tunc ita aspersus sanguis super vestimenta ejus, ut omnia indumenta illius inquinaret, ast dum Luc. 22. *factus in agonia, prolixiùs orabat. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sangvinis decurrentis in terram*, factum est id.

* *in Passione D.N.J.* C. l. IV. Dissert. III punct 2 n.2.

M.

XIII. Quòd Judas proditurus erat D. Jesum judæis, salutando & osculando eum. Præfiguratum id fuit in Joab doloso proditoriè occidente Amasam 2. Reg.* 20. v. 9. & 10. ubi legitur: *Dixit itaq; Joab ad Amasam: salve mi frater. Et tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum, - - - qui percussit eum in latere, - - - & mortuus est.* Et in perduelle contra David patrem suum Absalom, nam 2. Reg. 15. *cùm accederet ad eum homo ut salutaret illum, extendebat manum suam, & apprehendens, osculabatur eum.* Hinc D. Jesus dolosè à Juda salutatus & osculatus, dicere poterat illud Ps. 54. v. 22. *Molliti sunt sermones ejus super oleum: & ipsi sunt jacula.* Et illud Ps. 61. v. 5. *Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant.* Et illud Prov. * 27. v. 6. *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.*

* *Samuel.*

* *Misle.*

XIV. Quod D. Jesus comprehendendus erat à judæis. Ps. 21. v. 14. *Circumdederunt me vituli multi: tauri pingves obsederunt me.* Et v. 17. *Circumdederunt me canes multi.* Ubi nomine vitulorum, & taurorum, principes sacerdotum & pharisæos intelligit, qui fuerant divitijs terrestribus, ac mundanis prosperitatibus impingvati, & ad quos

N.

Amos

Amos 4. v. 1. dicitur: *Audite verbum hoc vaccæ pingves.* Et nomine canum, tum eosdem, tum rabidos milites Christum captivantes. Et Thren. * 4. v. 20. *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris: cui diximus: in umbra tua vivemus in Gentibus.* Hoc de Sedecia ultimo rege Juda, à Nabuchodonosor capto [quidquid dicant judæi) nequit intelligi, quasi hic Jeremias illius captivitatem defleret. Nam Sedecias captus est non pro peccatis alienis, ast suis; erat enim impius, *fecitq; malum in oculis Domini Dei sui, nec erubuit faciem Jeremiæ Prophetæ, loquentis ad se ex ore Domini*, ut de eo 2. Paral. * 36. v. 12. dicitur. Nec erat spiritus oris Jeremiæ, quia nec loquebatur per illum, imò nec eum audiebat. Nec sperabat Jeremias, quòd in umbra (h. e. protectione) illius victurus esset in Gentibus nam prædixerat pluries & præsertim Jer. 21. v. 7. Sedeciam à Nabuchodonosor occidendum, dicens nomine Dei: *Dabo Sedeciam regem Juda, & servos ejus, & populum ejus - - - in manu Nabuchodonosor - - - & percutiet eos in ore gladij.*

* Echa, i. e. Quomodo vel, Kinoth i e. Lamentationes.

* Dibre Haiamim.

O.

XV. Quòd D. Jesu comprehenso Apostoli erant eum relicturi, fugituri, ac dispergendi. Job. 6. v. 13. *Ecce non est auxilium mihi in me, & necessarij quoq; mei recesserunt à me.* Et v. 15. *Fratres mei præterierunt me, sicut torrens qui raptim transit in convallibus.* Et Ps. 87. v 9. *Longe fecisti notos meos à me: posuerunt me abominationem sibi. Traditus sum, & non egrediebar: oculi mei langverunt præ inopia.* Et Zach. 13. v. 7. *Percute Pastorem, & dispergentur oves,* Cujus [figura fuit Sedecias rex Juda à Chaldæis captus, de quo 4. Reg. * 25. v. 5. dicitur: *Persecutus est exercitus Chaldæorum regem, comprehenditq; eum in planitie Jericho: & omnes bellatores, qui erant cum eo, dispersi sunt, & reliquerunt eum.*

* Malachim.

XVI. Quòd traditor Judas, D. Jesu comprehenso, desperabundus, debuerat laqueô interire, damnari, ac ex Collegio Apostolorum excidere. Ps. 34. v. 8. *Veniat illi laqueus, quem ignorat: & captio, quam abscondit, apprehendat eum: & in laqueum cadat in ipsum.* Et Ps. 108. v. 6. & sqq. *Constitue super eum peccatorem: & diabolus stet à dextris ejus. Cùm judicatur, exeat condemnatus: & oratio ejus fiat in peccatum. Fiant dies ejus pauci: & episcopatum ejus accipiat alter.* Et erat hujus figura impius Achitopel, qui perduellis in pium regem suum David effectus, & post desperatione adactus, laqueô se strangulavit, *& suspendiô interijt,* ut legitur 2. Reg. * 17. v. 23.

P.

* Samuel.

XVII. Quòd principes sacerdotum & pharisæi, contra D. Jesum jam captum, quæsituri erant fallos testes. Ps. 26. v. 12. *Insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est inquitas sibi.* Et Ps. 43. v. 11. & 12. *Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me. Retribuebant mihi mala pro bonis:* (dum scil. eorum infirmos, cæcos, claudos, surdos curabam, mortuos suscitabam, &c.) *sterilitatem animæ meæ.* Et Ps. 53 v. 5. *Alieni insurrexerunt adversum me, & fortes quæsierunt animam meam: & non proposuerunt Deum ante conspectum suum.* Et insignis est hujus rei figura innocens Naboth 3. Reg. * 21. v. 13. cui vineam volens eripere impia Jezabel & Achab *adductis duobus viris filijs diaboli, fecerunt eos sedere contra eum: at illi, scilicet ut viri diabolici, dixerunt contra eum testimonium coram multitudine: Benedixit* (i. e. meledixit) *Naboth Deum & regem.* Idem ferè cum D. Jesu est factum. Vineam ejus, nempe Ecclesiam (de qua ille, quasi ad hanc figuram alludens, Matt. 21. v. 33. proposuit parabolam) scribæ & pharisæi iniquè occupare volentes, ita scil. ut ipsi tantùm cum sua synagoga, & non etiam

* Malachim.

Q.

etiam omnes Gentes, sint populus Dei, ipsumq; D. Jesum, ut heredem vineæ occidere intendentes, juxta citt. Matt. 21. v. 38. *Hic est heres, venite, occidamus eum, & habebimus hereditatem ejus*, statuernnt contra hunc inocentem figuratum Naboth falsos testes, accusantes eum blasphemiæ quòd se Filium Dei, ac æqualem Deo, dixerit.

XVIII. Quòd D. Jesus coram ijsdem principibus, & alibi, erat colaphis cædendus, & facies ejus conspuenda. Job. 16. v. 11. *Aperuerunt super me ora sua,* (dicentes cum Malcho Joan. 18. v. 22. Sic respondes pontifici?) *& exprobrantes percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis.* Et Is. 50. v. 6. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me.* Ubi pro ly: *Genas meas vellentibus.* LXX. vertunt: *Et genás meas* (dedi) *ad alapas.* Et Thren. * 3. v. 30. *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobrijs.* Cujus rei figura fuit Michæas Propheta à Sedecia pseudopropheta in maxillam percussus 3. Reg. * 22. v. 24. *Accessit autem Sedecias filius Chanaana, & percussit Michæam in maxillam.* Et Job. c. 30. v. 10. dicens: *Et faciem meam conspuere non verentur.*

R.

*Echa, vel Kinoth.

* Malachim.

XIX. Quòd D. Jesus tradendus erat à sacerdotibus & pharisæis ethnico judici Pilato. Job c. 16. v. 12. in persona D. Jesu (ipsi enim soli nunquam id factum, ut & alia, de quibus jam dixi) conqueritur: *Conclusit me Deus apud iniquum*, (i. e. Pilatum, qui fuerat & ethnicus, & judex iniquus) *& manibus impiorum* (Pilati & Herodis) *me tradidit.* Et Ps. 87. v. 9. *Traditus sum, & non egrediebar.* Et Jer. 12. v. 7. & 8. *Reliqui domum meam*, (synagogam, traditus ethnico ab ea) *dimisi hereditatem meam: dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus.* Et figura fuerat David,

S. vid, quem proprius rex ejus Saul 1. Reg. * 18. v. 25. *cogitabat tradere in manus* Philistinorum ethnicorum, sicut judæi in manus ethnici Pilati tradiderunt D. Jesum.

XX. Quòd judæi coram Pilato contra Jesum erant clamâturi: *Crucifige, crucifige eum.* Ps. 21. v. 14. *Aperuerunt super me os suum,* (clamando: crucifige) *sicut leo rapiens & rugiens.* Et Jer. 12. v. 8. *Facta est mihi hereditas mea* (judæa) *quasi leo in silva:* (fera nempe in me & sæva) *dedit contra me vocem,* (clamans ut crucifigar) *ideo odivi eam.* Et figura fuit Jeremias Jer. 38. quem cùm audissent Saphatias filius Mathan, & Gedelias filius Phassur, & Juchal filius Selemiæ, & Phassur filius Melchiæ, ex nomine Dei, vera contra Jerusalem prophetantem, quòd scil. capienda & destruenda sit à Chaldæis, v. 4. Sedeciæ regi dixerunt: *Rogamus ut occidatur homo iste: de industria enim dissolvit manus virorum bellantium - - - - loquens ad eos juxta verba hæc: siquidem homo iste non querit pacem populo huic, sed malum.* Pariter dum D. Jesus scribis & pharisæis veritatem diceret, omnibusq; regnum Dei prædicaret, discredulis æternam perniciem, ac ipsimet impiæ Jerosolimæ desolationem, & vastitatem extremam prædiceret, audientes hæc
T. illi. clamaverunt coram Pilato, ut crucifixus moreretur, dicentes Luc. 23 v. 5. *Commovet populum, docens per universam judæam, incipiens à Galilæa usq; huc.*

XXI. Quòd D. Jesus taciturus erat coram Pilato, Herode, & alibi. Ps. 37. v. 13. & sqq. *Qui inquirebant mala mihi* (Caiphas, Pilatus, Herodes) *locuti sunt vanitates: & dolos tota die meditabantur. Ego autem tanquam surdus non audiebam: & sicut mutus non aperiens os suum. & factus sum sicut homo non audiens: & non habens in ore suo redargutiones.* Et Ps. 38. v. 2. & 3. *Posui ori meo custodiam, cum consisteret*

peccator

peccator adversum me. Obmutui & humiliatus sum, & silui a bonis. Et in eod. Ps. v. 10. *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti.* Et erat hujus figura pius rex Ezechias, qui 4. Reg. * 18. impio Rabsaci, Deum verum atrociter blasphemanti, & ipse nil prorsus respondit, & populo præcepit ut taceret, nec quidquam ei responderet. *Malachim.* U.

XXII. Quòd Herodes tacentem D. Jesum erat cum exercitu suo spreturus, & pro fatuo habiturus. Job. 19. v. 18. *Stulti quoq;* (i. e. Herodes, & exercitus) *despiciebant me, & cum ab eis recessissem* (remissus ad Pilatum) *detrahebant mihi.* Et Ps. 38. v. 9. *Opprobrium insipienti* (Herodi) *dedisti me. Obmutui, & non aperui os meum.* Et Ps. 68. v. 8. *Propter te sustinui opprobrium: operuit confusio faciem meam.* Et Ecclæ * 10. v. 3. *In via stultus* (Herodes) *ambulans, cùm ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.* Figura impij Herodis fuit impius quoq; rex Achis, qui Davidem reputavit insanum: 1. Reg. * 21. v. 14. ad servos suos dicens: *Vidistis hominem insanum: quare adduxistis eum ad me.* Similia dixit Herodes de D. Jesu. *Coheleth.* *Samuel.*

XXIII. Quòd D. Jesu Barabbas latro à judæis erat præferendus. Conqueritur ipsemet D. Jesus Jer. 2. v. 11. *Si mutavit gens deos suos, & certè ipsi non sunt dij: populus verò meus mutavit gloriam suam* (me, scil.) *in* (Barabbam) *idolum.* Statimq: v. 12. & 13. subdit: *Obstupescite cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ,* (pro Messia non agnoscendo, imò ad crucem deposcendo) *& foderunt sibi cisternas,* (Barabbam dimittendo) *cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Figura erant horum, ingrati in Gedeonem liberatorem suum Sichimitæ, qui Judic. * 9. Abimelech tyrannum & fratricidam, W. *Sophetim*

dam, in regem sibi elegerunt, neglectis, imò & neci traditîs, septuaginta filijs Gedeonis, ut eis ritè exprobrat Joatham ibid, v. 16. dicens: *Nunc igitur* (judicate) *Si rectè & absq; peccato constituistis super vos regem Abimelech, & bene egistis cum Jerobaal,* (i. e. Gedeon) *& cum domo ejus, & reddidistis vicem beneficiis ejus.*

XXIV. Quòd D. Jesus erat flagellandus Ps. 34. v. 15. *Adversum me lætati sunt, & convenerunt: congregata sunt super me flagella, & ignoravi.* Cur me scil. tam dirè flagellarent? Et Ps. 37. v. 18. *Ego in flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper.* Et Ps. 65. v. 11. *Induxisti nos* (ait Christus) *in laqueum,* (dum fui funibus ad columnam ligatus) *posuisti tribulationes in dorso nostro:* (dum in dorso meo diros dolores ex atroci flagellatione sustinui) *imposuisti homines* (i. e. judæos exultantes, & insultantes) *super capita no-*
X. *stra.* Et Ps. 72. v 14. *Fui flagellatus tota die,* (hæc enim D. Jesu flagellatio fuit tam atrox, quasi tota die durasset) *& castigatio mea in matutinis.* Et Ps. 128. v. 3. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores: prolongaverunt iniquitatem suam.* Cujus figura fuit Isaias, qui Is. 50. v. 6. dicit: *Corpus meum dedi percutientibus.* LXX. vertunt: *Dorsum meum dedi ad flagella.*

XXV. Quòd D. Jesus erat dolorosè & contumeliosè spinis coronandus. Ps. 31. v. 4. *Die ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Revera super Christum tempore Passionis ejus die ac nocte (cùm & in nocte qua comprehensus, & in die qua est crucifixus & mortuus, multa erat passus) gravata est manus Dei Patris, ille enim Is. 53. v. 8. dicit: *Propter scelus populi mei percussi eum.* Et conversus ille fuit ad nos copiosè redimendos, *dum* in Sacratissimo Capite ejus

configitur

configitur spina, tempore diræ & contumeliosæ coronationis. Et Ps. 34 v. 16. *Dissipati sunt, nec compuncti, tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione*: (tanquam histrionem, & regem ludicrum, spinis coronatum, me salutando, & dicendo: Ave Rex judæorum) *frenduerunt super me dentibus suis.* Cujus rei figura fuit in illo ariete quem Gen. * 22. v. 13. Abraham vidit inter vepres hærentem cornibus, obtulitq; pro Isaac, ut & D. Jesus, spinis coronatus, est pro nobis in Cruce immolatus. Et in illa parabola, quam Joathan filius Jerobaal, i. e. Gedeon, Jud. * 9. v. 14. proposuerat, ubi ligna constituerunt sibi regem, rhamnum, spinam sic dictam, (ex qua etiam, secundùm aliquos * judæi Christi coronam confecerunt) ast non impunè, nam exivit ignis de rhamno & devoravit cedros Libani; ut & hic exivit ignis de Christo spinis coronato, i. e. dira Dei vindicta, & devoravit infideles ac superbos judæos.

Y.

* *Beresith.*

* *Sophetim.*

* *ut Celsium Rogi-nium l. 5. c. 9. & alios.*

XXVI. Quòd D. Jesus condemnandus erat ad mortem. Ps. 93. v. 21. *Captabunt in animam Justi: & sangvinem innocentem condemnabunt.* Et Is. 53. v. 8. *De angustia, & de judicio* (i. e. de angusto, seu injusto judicio Pilati *) *sublatus est.* Et Is. 57. v. 1. *Justus perit, & non est qui recogitet in corde suo: & viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat: à facie enim malitiæ collectus est Justus.* Et Ezech. 22. v. 6. *Ecce Principes Isräel singuli in brachio suo fuerunt in te* [Jerusalem] *ad effundendum* (Christi, ut & Prophetarum) *sangvinem.* Et Sophon. 3. v. 3. *Principes ejus in medio ejus quasi leones rugientes*: (Crucifige, crucifige eum) *judices ejus lupi vespere, non relinquebant in mane.* Figura erat in innocente Zacharia Sacerdote, qui quod peccata Joas regis Juda populiq; ejus argueret, impiô ejus imperiô seu decretô

* *sic Origenes & alij.*

Z.

* Dibre Haiamim. decretô 2. Paral. * 24. v. 21. condemnatus fuit ad mortem.

* Beresith. *XXVII.* Quòd D. Jesus proprijs humeris bajulaturus erat Crucem suam. Gen. * 49. v. 15. de Issachar Prophetat Patriarcha Jacob: *Supposuit humerum suum ad portandum.* Ubi per *Issachar* (qui interpretatur, *merces*) secundùm D.

* citt. hìc à Corn. Ambros. * intelligitur Christus, *qui est merces nostra*, & qui *subjecit humerum suum ad laborandum, subijciens se Cruci, ut nostra peccata portaret.* Hæc ille. Et Is. 9. v. 6. de D. Jesu dicitur: *Factus est Principatus super humerum ejus:* i. e. Crux,

* Plures PP. à Cornel. hìc addct. * quam ille in humeris suis portavit, tanquam insigne ac sceptrum regni sui, nam Ps. 95. v. 10. ubi habet vulgata: *Dicite in Gentibus quia Dominus regnavit*; LXX. vertunt: *Dicite in nationibus quia Deus regnavit à ligno.* Et Is. 53.

Aa. v. 4. *Verè langvores nostros ipse tulit, & dolores nostros* (scil. crucem nobis potiùs pro nostris debitam sceleribus) *ipse portavit.* Hinc D. Jesu Crucem bajulanti, inscribi posset illud Is. 63. v. 9. *In dilectione sua, & in indulgentia sua ipse redemit eos, & portavit eos, & elevavit eos cunctis diebus sæculi.*

* Beresith, Et figura hujus fuit Isaac qui Gen. * 22. v. 6. ligna holocausti super quibus immolandus erat, humeris suis portabat. Ac Eliacim Sacerdos, cui Is. 22. v. 22. dicitur. *Dabo clavem domûs David super humerum ejus.* Crux enim est clavis Christi, qua nobis ille cœlum aperuit, & quam super humerum suum portavit. Ait Procop. *

* in hunc locum. *XXVIII.* Quòd D. Jesus erat suspendendus in cruce, judæiq; erant, id visuri, & tamen in incredulitate sua

* Elle Haddebarim. perstituri. Deut. * 28. v. 66. *Et erit Vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte & die, & non credes Vitæ tuæ.* Puta Christo, qui Joan. 14. v. 6. est *Via, & Veritas, & Vita.* Et Job in Persona Christi (non enim dicere id propriè pote-

rat

rat in persona sua, sine nota desperationis, magnæq; impatientiæ) c. 7. v. 15. ait: *Elegit suspendium* (in Cruce) *anima mea*, (nam oblatus sum, quia ipse volui) *& mortem ossa mea.* Et Ps. 142. v. 6. *Expandi manus meas* (distentas in Cruce) *ad te anima mea sicut terra sine aqua tibi.* i. e. siti æstuans, qualis erat D. Jesu Crucifixi. Et Is. 65. v. 2. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.* Figura erat serpens æneus Num. * 21. v. 9. à Moyse pro signo positus, quem cùm percussi ab ignitis serpentibus aspicerent, sanabantur. Bb. * Vaiedabber

XXIX. Quòd D. Jesus cum latronibus erat computundus, clavis in cruce figendus, manusq; ac pedes illius perforandi. Is. 53. v. 12. *Et cum sceleratis reputatus est.* Et Ps. 21. v. 17. & 18. *Foderunt manus meas & pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea.* Et Zach. 13. v. 6. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.* Scil. in gente judæorum, ab Abraham, Isaac, & Jacob procedentium, qui Patriarchæ utiq; Deum, & futurum Christum ejus, cordintimè diligebant. Figura hujus Psalmista, qui Ps. 118. v. 120. Cc. dum, juxta hebr. & vulgatam dicit: *Confige timore tuo carnes meas.* LXX. propheticè verterunt: *Confige clavis carnes meas.* Q. d. ut D. Hier. * explicat: *Cruci tuæ configens omnes concupiscentias carnis, tibi convivere, tibi commori, tibi consepeliri paratus sum, ut in futuro tibi consurgere merear.* * in hunc locum Psal.

XXX. Quòd judæi D. Jesum Crucifixum erant irrisuri & subsannaturi; eum felle & aceto potaturi; quòd milites erant vestimenta ejus inter se divisuri, & super vestem ejus inconsutilem sortes missuri; quòdq; ipse erat pro suis crucifixoribus oraturus. Ps. 21. v. 8. & 9. *Omnes*

videntes me, deriserunt me: locuti sunt labiis, & moverunt caput. Speravit in Domino eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum. En ipsissima subsannatio, qua subsannaverunt D. Jesum Crucifixum judæi, Matt. 27. v. 39. & sqq. ut legitur: *Prætereuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua - - - - Confidit in Deo: liberet nunc, si vult eum.* Et Ps. 68. v. 22. *Dederunt in escam meam fel: & in siti mea potaverunt me aceto.* Et Ps. 21. v. 18. & 19. *Ipsi verò considera-verunt & inspexerunt me: diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Et Is. 53. v. 12. *Ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit.* Figura fuit in sangvine Abel, cujus vox Gen. * 4. v. 10. clamabat ad Deum de terra; licet nos habeamus *Mediatorem Jesum, & sangvinis aspersionem meliùs loquentem* (quia non vindictam, ast misericordiam) *quàm Abel.* Hebr. 12. v. 24.

Dd.

* *Beresith.*

XXXI. Quòd D. JESUS spontaneè erat moriturus; quòdq; illi post mortem latus lanceâ transfigendum fuerat. Ps. 39. v. 9. *In capite libri scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam:* (patiendo. & moriendo pro homine) *Deus meus volui.* Et Is. 50. v. 5. & 6. *Dominus Deus aperuit mihi aurem,* (i. e. audire me fecit, seu, locutus est mihi) *ego autem non contradico: retrorsum non abij. Corpus meum dedi percutientibus &c.* Et Is. 53. v. 7. *Oblatus est quia ipse voluit.* Et Jer. 12. v. 7. *Dedi* (liberè & spontaneè) *dilectam animam meam in manu inimicorum ejus.* Et Zach. 12. v. 10. *Aspicient ad me, quem confixerunt: & plangent eum planctu quasi super unigenitum,* (mortuum) *& dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.* Figura hujus fuit Job patiens, qui Job 6. v. 9. & 10. ait: *Qui cœpit ipse me conterat: solvat manum suam, & succidat me. Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat, ne contradicam sermonibus Sancti.* Et Job 16.

Ee.

16. v. 14. *Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos, non pepercit,* (etiam jam mortuo) *& effudit in terra viscera mea.*

XXXII. Quòd in morte D. Jesu tenebræ erant futuræ; post illamq; Sepulchrum ejus venerandum. Is. 59. v. 9. & 10. *Expectavimus lucem,* (tam mysticam, nempe Messiam nos illuminaturum, quàm physicam, tempore mortis ejus *& ecce tenebræ*; tum morales, i. e. excæcatio, ob incredulitatem, tum physicæ, ob solis eclypsim) *& splendorem, & in tenebris ambulavimus. Palpavimus sicut cæci parietem, & quasi absq; oculis attrectavimus: impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui.* Et Jer. 15. v. 9. *Occidit ei sol, cùm adhuc esset dies: confusa est,* (Jerosolima ac Synagoga) *& erubuit.* Et Amos 8. v. 9. *Et erit in die illa, dicit Dominus Deus: occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis.* De Sepulchro verò, Is. 11. v. 10. *Ipsum Gentes deprecabuntur, & erit Sepulchrum ejus gloriosum.* Et Is. 57. v. 2. ubi habet vulgata: *Veniat pax, requiescat in cubiculo suo.* LXX. vertunt: *Erit in pace sepultura ejus.* Figura est in Sancto illo Propheta, cujus Sepulchrum, 4 Reg. * 23. v. 17. & 18. veneratus est pius Rex Josias, dirutis, destructisq; aliorum sepulchris.

Ff.

* *Malachim.*

XXXIII. Quòd Crux D. Jesu magnam venerationem erat habitura; ac propter fideles, fons omnis benedictionis, tutelæ, & prosperitatis futura. Is. 11. v. 10. *In die illa, Radix Jesse, qui stat in signum populorum,* (Christus scil. in Cruce exaltatus, ac quasi in vexillum erectus, *) *ipsum Gentes deprecabuntur.* Et Is. 49. v. 22. & 23. *Ecce levabo ad Gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum.* (i. e. vexillum Crucis Christi. *) *Et afferent filios tuos - - - vultu in terram demisso adorabunt te.* Figura hujus fuit Jacob,

* Corn. hic

* Idem.

* Beresith. de quo cùm Gen. * 47. v. 31. dicitur: *Adoravit Israel Deum, conversus ad lectuli caput*; LXX. vertunt: *Adoravit Jacob fastigium virgæ ejus*; scil. sceptri Joseph. Id autem typus erat Crucis D. JESU, nam hæc Crux (Ps. 109.
Gg. v. 2.) erat virga virtutis à Domino emissa ex Sion, ut in ea dominaretur Christus in medio inimicorum suorum. Et Gen. 48. v. 14. idem Jacob benedicturus Ephraim & Manasse, quasi Cruce ad id usus est *commutans manus*. Et
* Veelle Semoth. Moyses, qui Exod. * 17. v. 11. & sqq. manuum in modum Crucis elevatione superavit Amalec. Et Ezech. 9. v. 4. & 6. viri gementes, *Thau*, signati, per hoc erant à nece
* Teste D. Hier. in hunc loc. & alijs. immunes. Litera enim *Thau* apud priscos hebræos * ante Esdram, habuit Crucis figuram, sic enim scribebatur T, & usq; post captivitatem Babilonicam mutata ab Esdra in ת dum nempe ille novas literas judæis adinvenerat, ac veteres Samaritis reliquerat. Hinc loco hujus Ezech. *Signa thau super frontes virorum gementium*, Syrus * legit: *Signa Crucem super* &c.
* Corn. hic

Dices imò. contra *n.* X. de venditione D. Jesu à Juda pro triginta argenteis: Illam prophetiam Amos 2. non posse Christo aptari; ibi enim dicitur, quòd venditio Justi pro argento quartum scelus Israëlis, non autem Judæ fuerit, (jam enim supra dictum fuit de quatuor sceleribus
Hh. Judæ) Christus autem, non erat venditus ab Israël, ast à Juda, scil. à judæis Judæam tunc & Jerusalem incolentibus; cùm Israël, scil. decem tribus, jam tunc judæam & Jerusalem non incoluerant, ast in perpetuam captivitatem
* Malachim. à Salmanasar rege Assyriorum 4. Reg. * 16. v. 6. ductæ fuerant. Imò judæi Christum non vendiderunt, ast à Juda Iscariot emerunt. *Resp.* Falsum hìc assumi. *Tumq*; Juda potest rectè vocari Israël, licet non è contra: Israël, Juda;

da; quia etiam Juda ortus est ex Isràël, i. e. Jacob. Hinc Deus ipse Is. 48. v. 1. Judam appellat Isràël, dicens: *Audite hæc domus Jacob. qui vocamini nomine Isràël, & de aquis Juda* (i. e. stirpe sive tribu, ut vertit Chald.) *existis: Tumq;* Plures ex alijs tribubus tribui Juda se junxerant, judæamq; ac Jerusalem incolebant, & judæi appellati fuerant, ut etiam de hoc jam innui *Art. IV. lit. V. & W.* Nam certum est Levi & Benjamin tribui Juda perpetuò adhæsisse; ac 2. Paral. 30. v. 11. dicitur: *Quidam viri ex Aser, & Manasse, & Zabulon, acquiescentes consilio,* (regis Ezechiæ, ad veri Dei cultum reducere eos cupientis) *venerunt Jerusalem.* Tobias quoq; (cujus librum, licet non ut Script. saltem ut meram historiam judæi inficiari non possunt) Tob. 14. v. 6. prophetat: *Fratres nostri, qui dispersi sunt à terra Isràël, revertentur ad eam.* Cur ergo hi non poterant dici Isràël? *Tumq;* Quamvis in præcedentibus aliud quartum Juda peccatum numeretur, scil. quòd abjecerit Legem Domini, & mandata ejus non custodierit; hoc tamen non officit. Peccatum enim quòd solus Judas commiserat, solius Juda esse dicitur, at peccatum, quod & Judas, & totus Isràël perpetraverat, non peccatum solius Juda, ast totius Isràël dici debuerat. Porro totus Isràël Christum vendiderat, aliqui enim eum vendiderant, directè & propriè ad venditionem concurrendo, ut tribus Juda, Levi, Benjamin, & illi, qui ex alijs tribubus se illis adjunxerant, Jerusalemq; inhabitaverant; aliqui autem huic venditioni consentiendo, eam laudando & approbando, cùm scilic. post de ea, jam facta, audierant. *Dixi* quòd Isràël D. Jesum vendiderat, non autem tantum (ut hìc obijcitur] emerat; nam & Judas Iscariot ex Isràël, quia de tribu Simeon (secundùm aliquos) oriundus erat, qui physice eum vendide-

vendiderat, & ut D. Jesus venderetur reliqui judæi opem & consilium Judæ præbuerunt, proinde non minùs illi eum, imò magis quam Judas vendiderunt. Nam utiq; David Uriam Hethæum in ipsa sua persona non occiderat, ast tantùm ut gladiô Ammonitarum occideretur, consensum, jussionem, auxiliumq; præbuerat, & tamen ad eum 2. Reg. * 12. v. 9. Nathan dicit: *Uriam Hethæum percussisti gladiô.* Et Salomon, ipse in persona sua, fana idolorum non ædificaverat, & tamen 3. Reg. * 11. v. 7. dicitur: *Ædificavit Salomon fanum, Chamos idolo Moab - - - & Moloch idolo filiorum Amon;* quia scil. ad id consensum, auxiliumq; adhibuit. Imò uterq; rex ille graviùs deliquit id jubendo, quàm alij exequendo, si enim id illi non juberent, hi exequi non possent.

* *Samuel.*

* *Malachim.*

LI. *Dices 2dò* contra *n.* XXVIII. de D. Jesu pendente in Cruce. Illud Deut. 28. *Erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ*, sic debet (secundùm aliquos interpretes, Catholicos quoq; *) exponi: vita tua erit periculo semper exposita, & quasi indubio suspensa, & non credes, seu non fides vitæ tuæ, ast de ea tuenda desperabis. Proinde hoc D. Jesu in Cruce pendenti accomodari non potest. *Resp.* Cum D. Augustino, (quem longè præpono, interioribus eo interpretibus) qui Fausto Manichæo, idem, ut hìc objicienti, respondendo dicit * *Hinc est illud, cujus ambiguitate Faustus fallitur. Videbis vitam tuam pendentem, & non credes vitæ tuæ. Quæ verba & aliter pôsse intelligi, potest aliquis dicere, de Christo autem non posse intelligi, nec Faustus ausus est dicere, nec quisquam prorsus audebit, nisi qui negaverit aut Christum esse vitam, aut judæis visum non esse pendentem, aut eos illi non credidisse. Cúm verò & ipse dicat: Ego sum vita: & eum pependisse constet ante*

* *Tirin. in hunc loc.*

* *l. contra Faustum, c. 22.*

oculos non ei credentium judæorum, *non video cur dubitare debeamus id etiam de Christo scripsisse illum*, (i. e. Moysen) *de quo Christus ait: Ille enim de me scripsit.* Ait S. Doct. Hinc falsum est quòd id scripserit Moyses de vita judæorum semper periculo exposita, & in dubio quasi suspensa, non autem de Christo, ante oculos eorum in Cruce pendente. Mm.
Tumq; Moyses quæcumq; scripsit, de Christo scripsit. Hinc dum Faustus * quæreret, & diceret: *Tu me doce*, *quid me fortè legentem præterierit de Deo ac Domino nostro memoratum in scriptura Moysi?* D. August. respondit: *Totum te preterijt*, *quia totum illud de Christo scripsit.* Unde & Christus Joan. 5. v. 46. loquens judæis indistinctè dicit: *De me enim ille* (i. e. Moyses) *scripsit*; non autem hæc & illa scripsit. Et 1. Cor. 10. v. 11. dicitur: *Omnia in figura contingebant illis. Tumq;* Si id de vita judæorum in suspenso posita non verò de Christo in Cruce diceretur, non deberet addi ly: *Ante te*, vel (ut Tertull. * legit: *Ante oculos tuos*, ast suffecisset dicere: *Erit vita tua pendens*; ut quoq; dum de periculo vitæ Jacob, si non recepisset salvum Benjamin, ex Ægypto reducem, Judas filius ejus Gen. * 44. v. 30. diceret, dixit tantùm: *Cùm anima illius ex hujus anima pendeat*, non addens (ut prorsus superfluum, & impertinens) ly: *Ante eum*, vel: *Ante oculos ejus.* Cum ergo in textu nostro addit (utiq; non sine mysterio) Moyses ly: *Ante te*, sive: *Ante oculos tuos*, sequitur, quòd non loquatur de vita judaica in periculo constituta, ast de Christo in Cruce pendente, à judæis viso, & irriso. Et datô, quòd de periculo vitæ judæorum illud diceret, non obstat, ut idipsum, etiam litteraliter, de D. Jesu in Cruce pendente dictum esse putetur. Idem enim textus Script. in pluribus, etiam litteralibus, sensibus, usurpari potest. Nn.

* ibid. c. 14.

* l. contra jud. 11.

* Beresith.

Dicitur

* *Miske.* Dicitur enim Prov. * *22.* v. 20. de doctrina Divina: *Ecce* * in titulo *Ps. 96.* *descripsi eam tibi tripliciter.* Quod adducens D. Hier. * ait: *Non enim nocet, si eandem rem duobus, & tribus modis intelligamus.*

Dices 3tiò. contra n. XXIX. de D. Jesu Cruci clavis fixo: In illo Ps. *21.* in hebr. non legi: *Foderunt manus meas, & pedes meos*, ast: *Sicut leo manus & pedes.* Nam non est ibi כארו *kaaru*, seu, *karu*, i. e. *Foderunt*, ast כארי *kaari*, i. e. *Sicut leo.* *Resp.* Futilem esse & frivolam hanc evasionem judaicam. *Tumq;* LXX. Interpretes, consequenter & antiqui Rabbini, non legerunt hìc *kaari*, nempe: *Sicut leo*, ast *kaarù.* seu *karu*, h. e. *Foderunt.* Imò D. Hier. * in hebraismo peritissimus hunc locum ex hebræo sic vertit: *Fixerunt manus meas & pedes meos. Numeravi omnia ossa mea: quæ ipsi respicientes viderunt in me.* Ergo recentiores rabbini Crucifixionem Christi exosam habentes, utpote (Philip. *3.* v. 18.) *inimici Crucis Christi, quorum finis interitus*, hunc tam clarum textum falsificaverunt, pro *kaaru*, perfidè substituentes *kaari*, i. e. pro *Foderunt*, ly: *Sicut leo*, commutando tantùm (ut facile potuerunt, prout intuenti patet) ו *Vau*, (seu, ut illi nunc dicunt) *Wuw*, scil. V. in *Jod*, seu *Juid*, nempe I. *Tumq;* Si hìc legatur: *Foderunt*, omnia sunt connexa, & concordant, si autem legatur: *Sicut leo*, omnia sunt distortissima; quid enim pertinet ad leoninam manuum & pedum fortitudinem, quôd hic qui loquitur sit vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis; quòd omnes videntes eum deriserunt: locuti sint labijs, & moverunt caput; quòd omnia ossa ejus dinumeraverunt, & vestimenta ejus sibi diviserunt, superq; vestem ejus sortem miserunt. &c. Si autem legatur: *Foderunt*, i. e. Cruci affixerunt, omnia ritè concordant.

* in *Psalmos juxta hebraicam veritatem.*

concordant. *Tumq;* Is qui hìc loquitur, non dicit se fortem ut leonem, aſt ad extremam debilitatem, & exanitionem redactum, v. 15. & 16. inquiens: *Sicut aqua effusus sum: & dispersa sunt omnia ossa mea. Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei. Aruit tanquam virtus mea, & lingva mea adhæsit faucibus meis: & in pulverem mortis deduxisti me.* Quomodo ſtatim v. 17. diceret, quòd manus ejus ſint ſicut leo, & pedes? Pp.

Accedit mirabilis de Paſſione & Morte D. Jeſu prædictio R. Oſea * qui flens dicebat: *Væ illis, væ illis, væ illis iniquis, & impijs homicidis Isràël, ob quorum amorem, ut peccatum eis dimittat Deus, mittet Filium Sanctum suum, & carnem humanam induet. Væ illis, quia propter pravas suas actiones rebelles erunt huic Messiæ: nec respicient dicta quibus imperabit ut mundentur aqua mundationis ad expianda peccata sua: nec incedent in vijs Deo gratis, nec facient ejus voluntatem; sed ingenti iracundia perciti illum occident.*

* apud Ga latin. l. 4. c. 18. Et Corn in Dan. 9. v. 26.

ARTICULUS XIV.

Quòd judæi stolidissimè, & manifestè contra rationem explicent clarissimam prophetiam de Passione D. JESU positam Is. 53. per totum Caput. A.

ID præ cæteris Prophetis peculiare habet Iſaias, ut in prophetia ſua magis videatur Evangeliſtam agere quàm Prophetam, meritoq; ob id à Patribus, & ſignanter D. Hier. * non ſolum *Propheta, sed Evangelista, & Apostolus* appelletur. Maximè verò ſuo c. 53. Paſſionem D. Jeſu cum omnibus ferè ſuis circumſtantijs & adjunctis ita clarè & expreſsè deſcripſerat, quaſi eam oculis ſuis ſpectaſſet, &

* in Proemio super Isaiam, ad Eustochium Virg.

non tam prophetiam rerum futurarum, quàm historiam præteritarum conscripsisset. Hinc huic ejus Capiti titulus
* *ait Cornel. hic.* posset præfigi * *Passio D. N. JESU Christi, secundùm Isaiam.*
Dicit ergo. *Quis credidit auditui nostro? & Brachium Domini cui revelatum est?* Q. d. Adèó hæc sunt mira, nunquam antea audita vel visa, omnemq; creatam intelligentiam transcendentia, quæ futura esse prædico, quòd scil. Brachium Domini, h. e. Virtus, & Fortitudo, seu Filius, Dei, debeat revelari & incarnari, sicq; in carne assumpta, nedum visibiliter apparere ast & pati, quòd plurimi sunt his discredituri, eaq; pro absurdis & paradoxis
B. habituri. *Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti.* Q. d. Orietur ille sicut virgultum quoddam exiguum, ac radix tenella, ex Matre non aliunde, ast ex cœlesti tantùm rore scil. Spiritu S. fæcunda, eaq; paupercula, misella, & contempta; ac crescet, annis 30. coram hominibus nihil magnificum illustreq; præseferens, pauper, humilis, abjectus, quasi fabri filius. *Non est species ei, neq; decor: & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum.* Q. d. D. Jesus, quem ego & alij cordintimè desideravimus, ut Is. *16.* v. *1.* Is. 45. v. *8.* Is. *64.* v. *1.* & alibi, apparebit pauperrimus, & humillimus, omnē fastum mundanum & ostentationem contemnens, ita ut hominibus divitibus simulq; superbis, nihil in eo oculis dignum videatur. *Despectum, & novissimum virorum, Virum dolorum, & scientem infirmitatem.* Q. d. Videbimus eum insuper tempore Passionis illius, contumelijs, despectibus, doloribusq; repletum, ut vilissimus inter omnes homines,
C. Barabbæ quoq; latroni postpositus, ipsâq; vitâ indignus judicetur. Sitq; Vir dolorum, & sciens experimentativè infirmitatem, seu probans reipsa omnis generis afflictiones,

oblocutiones,

oblocutiones, contemptus, ærumnas, cruciatus, ita ut nec in infantia & pueritia, nec in juventute, miserijs, doloribus, malevolorumq; insid'js, ac persecutionibus careat. *Et quasi absconditus vultus ejus & despectus, unde nec reputavimus eum.* Q. d. Erit D. Jesu vultus quasi absconditus, dum videbitur tantùm ejus Humanitas latebitq; Deitas. Erit insuper absconditus, & despectus tempore diræ Passionis, dum Mar. 14. v. 65. faciem ejus velabunt, colaphis eam cædent, & conspuent. Et ob id ille, non pro Messia Salvatore, ast pro homuncione vilissimo, & abjectissimo, seipsum (Matt. 27. v. 42.) salvare non potente, à superbis & perfidis reputabitur. *Verè langvores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Q. d. Dolores & supplicia quæ nobis pro nostris debebantur peccatis ipse in se suscipiet, fietq; (Rom. 8. v. 3.) in similitudinem carnis peccati, patiens dira tormenta & mortem, pro nostris, acsi pro suis peccatis. *Et nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum.* Q. d. Putabunt pleriq; excæcati & maligni, quòd ille, his omnibus, ob demerita, & peccata sua punitus sit à Deo; & in hoc summè errabunt. *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus.* Q. d. Non propter peccata sua, quæ nulla habebit, quia (hìc infra) non faciet iniquitatem, nec invenietur dolus in ore ejus, ast propter nostra, affligetur, patietur, & morietur: disciplinamq; seu correptionem, quam, ut pacem haberemus, passuri eramus, ipse, ex sua Bonitate & Misericordia sustinebit pro nobis, pacificans (Coloss. 1. v. 20.) per Sangvinem Crucis, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. Cujus livore vulnerum nos sanabimur, quia peccato per diabolum D.

ſaucij è poteſtate illius eruemur, & juſtificabimur. *Omnes nos quaſi oves erravimus, unusquisq; in viam ſuam declinavit.* Q. d. Nullus noſtrum eſt à labe immunis, qui pro varietate adinventionum noſtrarum, quaſi bruta & muta animantia, à virtutis tramite deviavimus, in Deumq; deliquimus, ita ut (Matt. 18. v. 12.) bono paſtore perditam
E. ovem quærente unusquisq; noſtrum indigeret, & [Pſ. 118. v. 176.) cùm Pſalte, quòd erraverit ſicut ovis quæ perijt, dicere poſſit. *Et poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum.* Q. d. D. Jeſus patiens pro nobis & moriens, ex voluntate Patris ſatispati & ſatisfacere, pro peccatis noſtris in ſeipſum ſuſcipiet, nos enim puri homines, nec ſatispati pro illis potuimus, nec ſatisfacere. *Oblatus eſt quia ipſe voluit.* Q. d. Omnino ſpontaneè & liberè mori patiq; pro humano genere præelegit, impetentibus ſe quamvis poſſet) non reſiſtendo, quinimò ſe illis ſiſtendo, ac quem quærerent? (Joan. 18. v. 4. & 7.) interrogando; ut verificaret, quòd (Joan. 10. v. 18.) nemo tollat (eô invitô) animam illius ab eo, ſed ipſe ponat eam à ſeipſo, & poteſtatem habeat & ponendi, & iterum ſumendi eam. *Et non aperuit os ſuum: ſicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.* Q. d. Ad iniquos judices D. Jeſus adductus, cauſam ſuam non aget, & innocentiam non defendet, imò accuſatus, ac iniquè calumniatus, inſuperq; verberatus, vulneratus, colaphiſatus, conſputus, crucifixus, tanquam agnus innocens, dum mactatur, mirabiliter conticeſcet; ac judicibus
F. ſe interrogantibus, vel nihil prorſus, ut Herodi, vel vix aliquod verbulum, ut Caiphæ, & Pilato, reſpondebit, ut oſtendat, ſe velle pro homine ut innocentem victimam immolari, eſſeq; (Joan. 1. v. 29.) illum Agnum Dei, qui

tollit

tollit peccatum mundi. *De anguſtia, & de judicio ſublatus eſt.* Q. d. Damnabitur ad dirum Crucis ſupplicium, à judice Pilato, qui damnando illum anxiabitur, quod etiam judicium erit revera anguſtum, conſequenter iniquum, quia, & erit anguſtiæ ac oppreſſionis plenum, & quia ſine legitima cauſæ D. Jeſu cognitione & diſcuſſione, anguſto ac brevi tempore, nam intra aliquot horas, peragetur. *Generationem ejus quis enarrabit? quia abſciſſus eſt de terra viventium.* Q. d. D. Jeſu Generatio, maximè Divina, (proinde & Vita) eſt inenarrabilis & inæſtimabilis, & tamen ille ex infinita Miſericordia & Dignatione ſua, permittet vitam ſuam, abſcindi de terra, in humanitate aſſumpta. *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* Q. d. Ob ſcelera hominum abolenda & expianda crudeliter excruciabitur, & occidetur, ut (Dan. 9. v. 24.) prævaricationem conſummet ut finem peccato imponat, & iniquitatem deleat. *Et dabit impios pro ſepultura, & divitem pro morte ſua: eò quod iniquitatem non fecerit, neq; dolus fuerit in ore ejus.* Hebr. eſt: *Dabit impios ſepulchrum ejus.* Q. d. D. Jeſus, Crucifixus, mortuus, & ſepultus, impios, manentes impios, ut diabolum, mortem, homineſq; ſibi incredulos, occidet, in ſuoq; quodammodò ſepulchro ſepeliet, incredulos, hìc, & in æternum perdendo, diabolum profligando, mortemq; deſtruendo, erit enim (Oſee 13. v. 14.) Mors mortis, & Morſus inferni. In impijs verò, ad ſe converſis, impietatem interficiet & extingvet, transformando eos in pios. Fiet namq; Chriſtus, velut alter Samſon Judic. * 16. v. 30. morte ſua hoſtes interimens. Dabit quoq; ſeu efficiet, populum ſuum fidelem, divitem, locupletando eum cœleſtibus chariſmatibus, idq; pro morte ſua, i. e. ob meritum mortis ſuæ. Et hoc eò, quòd ab iniquitate & do-

G. *Sophetim

lo immunis cùm esset, innocens est occisus. *Et Dominus voluit conterere eum infirmitate.* Q. d. Præordinavit & decrevit, ut quà Redemptor, atrociter vulneratus & excruciatus in carne passibili, inexplicabilibûs doloribûs necaretur; prænuntiavit enim [Act. 3. v. 18.) Deus pati Christum suum. *Si posuerit pro peccato Animam suam, videbit semen longævum.* Q. d. Dum D. Jesus ponet vitam suam, hostiam pro peccatis hominum, videbit filios suos spirituales, i. e. fideles in eum credentes, plurimos per totum orbem diffusos, Hocq; semen erit longævum, hi enim fideles, usq; ad finem mundi, imò per totam æternitatem, in beata vita, durabunt. *Et voluntas Domini in manu ejus dirigetur.* Q. d. Beneplacitum, consiliumq; Dei, circa hominum redemptionem & salutem, per illum ad effectum suum deducetur. *Pro eo quòd laboravit anima ejus, videbit & saturabitur.* Q. d. Cùm summo & inconceptibili gaudio intuebitur D. Jesus, fructum ex labore suo, seu Passione perceptum, scil. tot animarum salutem, eaq; jucundabitur, & saturabitur. Hoc enim semper esurivit. Hinc Joan. 19. v. 28. clamavit in Cruce: sitio. *In scientia sua Justificabit ipse Justus Servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit.* Q. d. Per suam scientiam, tam activè sumptam, h. e. doctrinam, prædicationem, & Evangelium; tum passivè acceptam, scil. per cognitionem illius, & fidem in eum, quam fideles habebunt, charitati junctam, multos justos efficiet, & sicut bajulus portat pondus alterius, sic ille peccata eorum portabit, intercedendo & satisfaciendo pro illis, ne illi eis in æternum premantur. *Ideò dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia.* Q. d. Plurimi credent in eum, quia ego Deus Pater (Ps. 2. v. 8.) dabo illi Gentes hereditatem ejus, & possessionem ejus

H.

I.

terminos terræ. Ipseq; fortium, i. e. dæmonum, (qui in Script. appellantur fortes, ut Ps. 53. v. 5. Ps. 58. v. 4. Luc. 11. v. 21. & alibi) spolia, i. e. animas, ab eorum tyrannide ereptas, inter Apostolos dividet, ab eisq; conversas in varias Ecclesias particulares distribuet. *Pro eò quòd tradidit in morte animam suam, & cum sceleratis reputatus est.* Q. d. Et idcirco D. Jesus hæc omnia obtinebit, quòd ex nimia (Ephes. 2. v. 4.) charitate sua, pro redemptione hominum mori sustinuit, ita, ut cum duobus latronibus, quasi dux & coryphæus illorum, crucifixus fuerit. *Et ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit.* Q. d. Omnes, quantùm est ex se, redimet à peccatis, & morte æterna, omnes enim sunt multi; ita, ut insuper, pro crucifixoribus suis Patrem sit interpellaturus, Luc. 23. v. 34. dicens: *Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.* Similis est de Passione D. Jesu prædictio Sap. 2. Quia tamen hunc Librum judæi in Canone non habent, pro divinaq; eum Script. non reputant, (ut in Præfat. ad Lect. dixi) non adduco hìc eam; pius tamen Lector legat & intelligat, quæ inibi à v. 12. usq; ad v. 20. inclusivè, dicuntur. K.

Contra hæc quæ sunt adèò clara & perspicua, ut ea nisi planè exoculatus non videat, excæcati judæi, tenebras suæ perversitatis offundere volunt, varia, quantumvis ineptissima, quærentes effugia. Nam

Aliqui dicunt: Per vulnera, livores, contumelias, hìc apud Isaiam relatas, non Passionem D. Jesu signari, ast populi judaici præsentem captivitatem, afflictionem, & despectum notari, qui post eversam Jerusalem, per totum orbem dispersus, crudeliter à Christianis & Turcis tractatur. Quibus collatrat Calvinus, eadem, quæ & illi, effutiens, L.

* Teste Corn. in Is. 53. v. 8.

tiens.* At stolidè; & manifestè contra rationem. Tumq; Isaias hìc v. 1. dicit, hæc, quæ est narraturus, fore incredibilia: populum autem judaicum à Gentibus in captivitate affligi, non est incredibile, sæpe enim id contigit, nam utiq; hic populus, in Ægypto sub Moyse, ac in terra jam promissionis, sub judicibus, regibus, & ducibus suis, pluries, à varijs gentibus, graviter fuit opressus, & afflictus, ut in Lib. Judicum, Regum, Machabæorum, & alibi, legitur. *Tumq:* Ille qui hìc patitur, dicitur esse Desideratus à nobis; v. 2. *Et desideravimus eum.* Ergo est Messias, non autem populus judaicus captivitate pressus; solus enim Messias, non autem populus judaicus; est (Agg.2. v. 8. *Desideratus cunctis Gentibus*; & aliàs, quis esset tam delirus, qui desideraret hunc spurcum, graveolentem, fraudulentum, perfidum, sangvinarium, impium, omnibusq; reliquis hominibus, deteriorem, & despectiorem populum, qui etiam meritò, ab ipsomet DEO, Is. 49. v. 6. *fæces* hominum, dicitur. *Tumq*: Per totam hanc prophetiam, expressè dicitur, quòd innocens sit ille, qui patitur, & populus sit iste, propter cujus scelera patitur, ut cùm v. 5. dicitur, quòd sit vulneratus propter iniquitates nostras, attritus propter scelera nostra; v. 6. quòd omnes nos quasi oves erravimus, ac quòd posuerit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum; v. 8. quód propter scelus populi, sit percussus; v. 9. quòd ille ipse iniquitatem non fecerit, neq; dolus fuerit in ore ejus &c. Ergo hic qui patitur, non est populus judaicus, ast D. JESUS, qui (Dan. 9. v. 24.) *est Sanctus Sanctorum*, & (Hebr. 7. v. 26.) *Sanctus, innocens, impollutus*, ac qui, etiam propter scelera populi judaici patitur; qui etiam v. 3. appellatur novissimus virorum, & vir dolorum;

M.

rum non autem totus populus. *Tumq;* Ille qui hìc patitur, ſeu paſſurus prædicitur, talis eſſe futurus dicitur, qui v. 4. langvores, & dolores noſtros portavit; & v. 5. cujus livore ſanati ſumus; & qui v. 11. in ſcientia ſua juſtificaturus erat multos. Quomodo autem poteſt dici, quod populus judaicus, in hac ſua captivitate exiſtens, langvores, & dolores noſtros portaverit? quòd nos livore ſuo ſanaverit? quòd multos ſcientiâ ſuâ (quæ nulla eſt in eo) juſtificaverit? *Tumq;* Populus judaicus, eſt nunc horrendorum ſcelerum, fraudum, deceptionum, uſurarum, ac aliorum contractuum damnatorum plenus, [ut totus mundus per omnia experitur ſæcula) poteſtq; imò & debet dici de eis illud Pſ. 54. v. 12. *Et non defecit de plateis ejus uſura, & dolus.* Et illud Iſ. 1. v. 4. *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis*, & alia plura.* Non eſt ergo ille, qui hìc paſſurus prædicitur; hic enim v. 9. iniquitatem non fecit, nec in ore ejus dolus fuit. *Tumq;* De illo patiente v. 7. dicitur, quòd ad occiſionem ducetur; v. 10. quòd ponet pro peccato animam ſuam; v. 12. quòd tradet in mortem animam ſuam. Populo autem judaico id non quadrat; quia licet multi ex eo, ut perduelles, ſint á Tito, Hadriano, alijsq; occiſi, non tamen populus totus eſt deletus, ſinuntur enim judæi in multis regnis vivere, & ſordere. *Tumq;* De illo patiente v. 7. dicitur, quòd oblatus ſit, quia ipſe voluit; quod ſicut ovis, ad occiſionem ſit ductus, & quaſi agnus coram tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum. De populo autem judaico id non poteſt dici; ille enim in hanc captivitatem ductus eſt à Tito etiam armis repugnans, omninoq; invitus; ac non obmutuit, osq; ſuum, fremendo, & contradicendo, aperuit, * omnes illas tribulationes ſuas

N.

*Vide Art. XIX.

O.

* *Joſephus de Bello jud. & Egeſippo*

de Excidio Jerosolimitano, in pluribus locis. suas impatientissimè tolerans; quòd & modo in eis videmus, ad quamvis, etiam minimam, illatam illis injuriam dum statim se (si possunt) impatientissimè vindicant, vel (si non possunt) saltem aërem horrendis clamoribus turbant. *Tumq;* De eodem, v. 8. dicitur, quod generationem ejus nemo enarrare possit. At hoc judaico populo convenire nequit, scit enim totus orbis, eum ab Abraham, Isaac, & Jacob, secundùm carnem, descendere, generationesq; illorum in pluribus Script. locis recenseantur, ut Gen. * 46. v. 8. & sqq. in ingressu filiorum Israël in Ægyptum; Num. * 1. v. 5. & sqq. dum numerabantur in deserto Sinai; & maximè dum 1. Paral. * 1. & sqq. per tota decem capita, omnes generationes judaicæ descriptæ leguntur. Tum demum: quia ille cujus hìc Passionem Isaias descripsit, pro transgressoribus, seu inimicis suis, erat v. 12. rogaturus; ab hoc autem heroicismo populus judaicus est alienissimus, ille enim nedum pro inimicis suis non orat, ast etiam in suis Synagogis, & alibi, illis, qui non sunt de secta eorum, & maximè nobis Christianis, pluries in die, maledicit, ut innuam *in Append*, *lit.* E. Summa ergo est cæcitas & dementia, hanc tam claram prophetiam non de Passione D. Jesu, ast de afflictione judaici populi intelligere; impiusq; Calvinus, idem cum judæis blaterans, est nomine Christiano indignus. Hinc meritò Hunnius * scripsit librum hoc titulo: Calvinus judaizans. *Dices*, cum judæis: Illud quod hìc v. 8. legitur: Propter scelus populi mei percussi eum, non sic debet legi, ast sic: Propter scelus populi mei percussi eos. Q. d. Propter scelera Christianorum, & maximè odia eorum in judæos, percussi eos, scil. judæos, captivitate, ac reliquis omnibus miserijs, & afflictionibus, quibus premuntur in-

* Bereſith.

* Vaiedabber.

* Dibre Hamim.

P.

* teste Corn. in Is. 53. v. 8.

ter

ter Gentes dispersi. Et *ratio* est: (inquiunt) quia in hebr. non est: *Nega lo*, i. e. *Percussi eum*, ast: *Nega lamo*, i. e. *Percussi eos*. *Resp.* id frivolè, & contra rationem dici. *Tumq;* adhuc ante Christum LXX. legerunt, non: *Nega lamo*, i. e. *Percussi eos*, ast: *Nugga*, vel: *Nuggad, lamut*, i. e. *Percussus*, vel: *Ductus est ad mortem*, ut D. Hier. * docet. Similiter legunt Chaldæus, Vatablus, & alij: Ergo judæi hunc Script. locum corruperunt, legentes: *lamo*, pro *lo*, vel *lamut*; ut idipsum cum alijs quoq; textibus, quibus premebantur, fecerunt. *Tumq;* In hac prophetia omnia præcedentia certam, unamq; in individuo personam patientem designant, non autem totum populum, ut ostendi: Ergo falsum assumunt judæi. *Tumq;* Hoc est blasphemúm dicere, quòd Deus (cujus Ps. 110. v. 7. *Opera manuum veritas & judicium*) pro peccatis alterius, alterum puniat, qui peccatorum illius non est particeps; (sic enim blasphemè tribueretur Deo illa radicula & iniqua justitia, de qua nobis Polonis est proloquium: *In furto deprehensus faber ferrarius, & suspensus artifex claustrarius*) hinc ipse Deus Jer. 31. v. 29. & 32. dicit: *In diebus illis non dicent ultrà: patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt. Sed unusquisq; in iniquitate sua morietur.* Et Ezech. 18. v. 2. & sqq. *Quid est quòd inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Isráël, dicentes: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt? Vivo ego, dicit Dominus Deus, si fuerit ultra vobis parabola hæc in proverbium in Isráël. Ecce omnes animæ, meæ sunt: ut anima patris, ita & anima filij mea est: anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* En expresè protestatur Deus, quòd neminem innocentem, pro peccato alterius puniat; quomodo ergo audent blasphemare judæi, quòd De-

* *in hunc loc.*

Q.

R.

us justissimus eos ob peccata, non illorum, ast Christianorum, captivitate ærumnisq; affligat? *Tumq;* Deus bonus & justus, non solet punire, nec punit, injuriatos, ast injuriantes, imò injuriatos é tribulatione eripit, & in injuriantes, ad exemplum aliorum, vindicat. Hinc Ps. 33. v. 20. dicitur: *Multæ tribulationes justorum: & de omnibus his liberabit eos Dominus.* Et Deut. * 32. v. 43. canit Moyses: *Sangvinem servorum suorum ulciscetur: & vindictam retribuet in hostes eorum, & propitius erit terræ populi sui.* Falsissimum est ergo, quòd judæi dicunt, quôd nempe illos Deus, ob odia Christianorum in eos, hac captivitate, aliisq; pressuris & afflictionibus puniat, potius enim (si odiô haberemus illos, quôd est falsum, habemus enim odiô tantûm humanos errores, non homines) nos punire deberet. *Tumq;* Judæi blaterant, nos Christianos non esse populum Dei. Quomodo ergo, cum aliqua consequentia, hìc dicunt, quòd propter scelus populi sui, scil. Christiani, percusserit eos Deus? nisi forte confiteantur, (quod utinam facerent) nos esse populum Dei, se verò non esse; quia Deus, qui est tantùm Unus, nequit plures populos fidei diversæ habere; cùm, ut est Unus Deus, sic & una fides. * *Tum demum:* Quia quamvis etiam ita legeretur, ut judæi (quamvis falsò) legunt: propter scelus populi mei percussi eos, non, eum, hinc tamen pro judæis nihil inferretur, ast contra; sensus enim foret, quòd propter extremum judæorum scelus, nempe Christicidium, (illi enim soli populus Dei tunc erant) Deus eos captivitate, hisq; calamitatibus, quas nunc experiuntur, percusserit.

* Elle Haddebarim.

S.

* Ephes. 4. v. 5.

Alij ergo videndo, quòd hæc futilis evasio non subsistat, alia quærunt effugia, æquè futilia. Nam dicunt, id intelligi, vel de Josia rege Juda, qui cùm esset pius & sanctus,

T.

ctus, occisus est in prælio, à Pharaone Nechao 4. Reg. * 23. v. 29. non pro suis, ast pro populi judæorum, peccatis. Vel, de Jeremia Propheta, qui post tempora Isaiæ vixerat, à judæisq; flagellatus, verberatus, ac demum interfectus fuerat. Hinc (ajunt) ipsemet conqueritur Jer. 11. v. 19. *Et ego quasi agnus mansvetus, qui portatur ad victimam*, quæ phrasis simillima est huic Isaiæ: *Quasi ovis ad occisionem ducetur, & tanquam agnus coram tondente se obmutescet. At & hic* mentita est iniquitas sibi. *Nam De Josia* nil verificatur, quod in hac prophetia prædicitur, nisi, quòd fuerit rex pius, & à Pharaone Nechao rege Ægypti, idq; in prælio (quò temere illum lacessivit) occisus. Hoc autem ad verificandam de eo prophetiam illam non sufficit, aliàs & de Saule, Achab, Cyro, aliisq; regibus in bello interfectis, verificari deberet. Imò Josias armatus illi suo occisori restitit, nec spontaneè mortem opetiit, volendo illum vincere, si posset; hinc non oblatus est ad mortem, quia ipse voluit, ac tanquam ovis ducta ad victimam, & quasi agnus coram tondente se obmutescens, non fuit. Cætera quoq; non verificantur de eo, ut intuenti patet. Jeremias quoq; quamvis à judæis flagella, carcerem, mortem, ac aliam multam afflictionem pertulerit, tamen nec langvores, dolores, ac iniquitates nostras portaverat, nec nos livore suo sanaverat, nec hæc patiens, quasi agnus obmutuerat, imò Jer. 11. v. 20. clamabat: *Tu autem Domine Sabaoth, qui judicas justè, & probas renes & corda, videam ultionem tuam ex eis.* Quòd autem agnum mansvetum, qui portatur ad victimam, se vocaverit, hoc ideò fecit, quia & Christi patientis typus fuit, & quia, (ut & Christus ejus antitypus) innocenter est passus, & occisus. Quod ad verificandam de eo hanc prophetiam non est

* Malachim.

U.

est satis, cùm reliqua ei non quadrant, alias & de alio quocumq; innocenter passo, verificari deberet, consequenter prophetia non esset, quia nil fixum prædiceret. His

Accedit ipsa lectio hebraica hanc cæcitatem, imperitiam, ac impietatem judaicam demonstrans, in explicando adducto Isaiæ loco. Nam dum vulgata dicit v. 4. *Percussum à Deo & humiliatum.* In hebr. est: *Mucke Elochim, umeunne*, i. e. *Percussum Deum, & humiliatum*, vel, *afflictum*. Per quod patet hanc prophetiam non de quovis alio, ast de solo D. N. Jesu, debere intelligi, ille enim solus est Deus verus & Homo, in Humanitateq; assumpta, percussus seu passus fuit. Hinc Andreas Payva * refert, quòd ob hunc textum hebraicum plures judæi sint ad Christum conversi. Dum enim quærebatur ex eis: cur manus dedissent Christo, tam antea sibi inviso? respondebant: se his Isaiæ verbis tam claris, convictos fuisse, nec ea eludere, etiamsi vellent, potuisse. Idem sibi Romæ narrasse insignem quendam hebræum, scribit in hunc locum Corn.

W.

* *In defens. Triden. Fidei, l. 4. post initium.*

ARTICULUS XV.

Quòd D. JESUS erat à mortuis resurrecturus, Patresq; ac alios justos antiquos è limbo inferni educturus, consequenter quòd hic limbus dabatur.

A. PErfidi in omnibus judæi, ut cætera Fidei nostræ Mysteria, sic & triumphalem Resurrectionem D. JESU, (quæ illorum, quà perfidorum, mors erat) stultè inficiantur, & pernegant; non credentes quoq; eum, ex limbo inferni animas Patrum, aliorumq; justorum eduxisse, talemq; limbum extitisse; quos (proh dolor!) sequuntur, judaizantes Christiani, i. e. nostri temporis hæretici. At De-

Demonstr. Quòd D. Jesus resurrecturus erat à mortuis *I.* Ex Job. Ille enim Job 19. v. 25. & 26. prophetice ait: *Scio enim quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum: Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum.* Hìc Job non loquitur nisi de Christo; ille enim est Redemptor, cùm de eo Ps. 71. v. 14. dicatur: *Ex usuris & iniquitate redimet animas eorum.* Et alibi sæpe. Idq; loquitur de Christo redivivo; non enim de vita illius Divina, ast Humana, post Passionem & Mortem reassumpta, inquit. Nam comparat vitam suam in cælo, post mortem & resurrectionem futuram, cum vita Christi redivivi, q. d. Scio, quod sicut Christus post suam Resurrectionem (quam prævideo, ac quasi jam præsentem aspicio) immortaliter ac beatè vivet, sic & ego in novissimo die de terra sum surrecturus, & rursum pelle mea circumdandus & in carne Deum visurus. Quæ consequentia nulla esset, si de vita Divina Christi diceret. Non enim sequitur: Deus vitâ suâ immortalî ac beatâ vivit: Ergo & ego à mortuis resurgam, vitâq; immortalî ac beatâ vivam; nam utiq; Deus semper vitâ suâ immortalî & beatâ vivit, nec tamen homines ad vitam, maximè beatam & immortalem resurgerent, si Christus mortuus non fuisset nec resurrexisset. Sequitur autem: Christus, quà Homo, mortuus resurrexit, vitâq; immortalî ac beatâ vivit: Ergo & ego viva Fide credens in eum, in ejusq; gratia moriens, in novissimo die de terra resurgam, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum, vivens in posterum immortalî ac beatâ vitâ. Resurrectio enim Christi est causa exemplaris & meritoria beatæ resurrectionis justorum, ut 1. Cor. 15. v. 20. & 21. dicitur: *Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium:*

B. C.

mientium: quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et 1. Thessal. 4. v. 13. *Si enim credimus quòd Jesus mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo.* Hinc & illud: *Et in carne mea videbo Deum meum,* puto quod etiam hunc sensum habeat: In carne mea, nempe Humana assumpta & resuscitata, videbo carneis quoq; oculis Deum meum Christum resuscitatum à mortuis. *II.* Ex Psalmis. Nam Ps. 3. v. 6. *Ego dormivi, & soparatus sum: & exurrexi, quia Dominus suscepit me.* Hoc in Persona Christi dicit Davd, ipse enim in persona sua ad litteram id dicere non potuit; tunc enim fugiebat *à facie Absalom filij sui,* ut hìc v. 1. dicitur; proinde dormire & soporari somnô propriè dictô opportunitatem non habuit, maximè cùm illi celerrimè transeundus esset Jordanis, ut eum Chusai dissipatô con-

D. Samuel. * siliô Achitophel 2. Reg. * 17. v. 16. clam præmonuit. Nec id potuit dicere de dormitione mortis suæ, quia nec tunc adhuc erat mortuus, nec post mortem suam resurrexit. Hinc locutus est hæc de Christo, allundendo ad seipsum in illa circumstantia fugæ suæ constitutum, quòd sicut ipse erat tunc regno suo pulsus, posteaq; cum honore in illud restitutus, sic Christus erat contumeliosè à judæis occidendus, post tamen gloriosè à mortuis resuscitatus. Hinc

* in hunc Ps. in initio. & D. Aug. * ait: *Magis hoc ad Passionem & Resurrectionem Domini congruenter sonat, quàm ad illam historiam in qua David scribitur fugisse à facie bellantis adversum se filij sui* Idē pariter ad litteram Ps. 15. v. 9. & 10. in Persona Christi dicitur: *Caro mea* (in triduo mortis) *requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno:* (i. e. limbo Patrum) *nec dabis Sanctum tuum videre* (corporis sepulti) *corruptionem. Notas mihi fecisti* (resuscitando me à mortuis)

tuis] *vias vitæ.* Dixi hæc ad litteram dici in Persona Christi, nam ipsi David convenire non possunt; corpus enim David, sepultum (ut S. Petrus Act. 2. v. 26. & sqq. evidenter ostendit) corruptionem vidit, conversumq; in pulverem (ut & aliorum Prophetarum & Patriarcharum) fuit, cùm sepulchrum illius (puta, cum corpore intus contento) ad illa usq; tempora, ac fortassis & nunc, Jerosolimis omnibus aspectabile fuerit. Insuper anima ejus, longo tempore, quia usq; ad Resurrectionem Christi, derelicta fuit in inferno, nempe limbo, & illi non factæ sunt notæ viæ vitæ, necdum enim (etiam secundùm judæos) ad immortalem & beatam vitam resurrexit. Idem dicitur Ps. 40. v. 9. & 11. ibi enim David exprimit, & malitiam judæorum, ne Christus ab eis occisus, resurgeret, ut prædixerat, metuentium, Pilatoq; Matt. 27. v. 64. dicentium, ut jubeat custodiri sepulchrum usq; in diem tertium, ne discipuli ejus eum furentur, dicantq; plebi, quòd surrexerit à mortuis. Statimq; gloriosam ejus Resurrectionem describit, dicitq; *Verbum iniquum constituerunt adversum me:* (dicendo me, citt. Matt. 27. seductorem, ac inter se colloquendo) *Numquid qui dormit* (ego scil. occisus, ac sepultus) *non adjiciet ut* (à mortuis) *resurgat?* - - - - *Tu autem Domine miserere mei, & (à mortuis) resuscita me: & retribuam eis. In hoc cognovi quoniam voluisti me: quoniam* (dum resurgam) *non gaudebit* (scriba, pharisæus, perfidusq; omnis judæus) *super me:* Pulchra super hoc D. Aug. Idem Ps. 56. v. 9. *Exurge Gloria mea, exurge psalterium & cithara: exurgam di uculo.* Ubi dum dicitur: *Exurge Gloria mea;* Resurrectio Christi designatur; Q. d. Christus resurget à mortuis, qui est Gloria mea, juxta Ps. 3. v. 4. *Susceptor meus es,* (per redemptionem) *Gloria mea, & exaltans caput meum.*

E.

F.

um. Dum dicitur: *Exurge psalterium & cithara;* per hoc innuitur, in cordibus fidelium magnum fore gaudium & lætitiam ex Resurrectione Christi, tempore enim gaudij & lætitiæ musica illa instrumenta pulsantur. Dum verò ulterius subditur: *Exurgam diluculò.* Notatur per hoc, Christum diluculò resuscitandum à morte, & ab ipso, Patres in limbo detentos, in lucem beatitudinis & gloriæ educendos, pluresq; ex illis ad vitam etiam revocandos.*

* *& hic præclara D. August.* Idem Ps. 138. v. 2. *Tu cognovisti sessionem meam, & Resurrectionem meam.* Super quæ, D. Aug. inquit: *Quid hic sessio? quid hic Resurrectio? Qui sedet, humiliat se. Sedit ergo Dominus in Passione surrexit in Resurrectione. Tu, inquit, hoc cognovisti, id est, tu voluisti, tu approbasti, secundùm voluntatem tuam factum est. Ait.*

G. *III.* Ex alijs Prophetis. Nam Os. 6. v. 3. dicitur: *Visitabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus.* Et hoc Arabicus Antiochenus legit: *Sanabit nos post duos dies, & in tertia resurgemus.* Et Arabicus Alexandrin. *Liberabit nos post duos dies, & in tertia stabimus vivi coram eo.* Per quæ Osee Christum post duos dies, h. e. die tertia, (quod enim fit post duos dies, hoc fit die tertia) resurrecturum prævidens, simul suam ac nostram resurrectionem prævidet. *Ratio est:* Quia dum Christus Caput nostrum resurrexit, simul & nos cum illo, ut pote membra illius resurreximus. Hinc Apostolus Ephes. 2. v. 5. ait: *Convivificavit nos in Christo (cujus gratiâ estis salvati) & conresuscitavit.* Deinde: Quia ex Resurrectione Christi tam certam fidem & spem futuræ nostræ resurrectionis habemus, acsi jam pro defa-

H. cto cum illo resurrexissemus, juxta Coloss. 2. v. 12. *Resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum à mortuis.* Demum. Quia multi sancti mortui (fortè & ipsemet Osee)

cum

cum resurgente Christo resurrexerunt, & in sancta civitate Matt. 27. v. 53. multis apparuerunt. Et hæc prophetia de Resurrectione Christi tertia die, est insignissima, nec enim alibi, ut hic, Resurrectioni Christi tertius dies præscribitur. Simile est Mich. 7. v. 8. *Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi: consurgam, cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est.* LXX. legunt: *Ne insultes mihi inimica mea, quia cecidi: resurgam: quia si ambulavero in tenebris Dominus illuminabit me.* Quæ verba licet de Jerusalem, cujus fuit inimica Chaldæa & Idumæa, lætabaturq ex destructione illius, quæ tamen est postea reædificata, ad litteram debere intelligi etiam D. Hier. doceat, & cum eo alij, * tamen nil obstat, ut ad litteram quoq; intelligantur de Christo, unus enim textus Script. plures sensus potest, etiam litterales habere. Hinc dum Is. 53. v. 4. dicitur: *Verè langvores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*, idq; in uno sensu litterali intelligitur de doloribus à Christo in Passione pro peccatis nostris susceptis, S. Matthæus alium quoq; sensum litteralem suggerit, intelligendo id de morbis & morbidis quos Christus sanabat; postquam enim Matt. 8. recensuisset plurimos à Christo sanatos, v. 17. subdit: *Ut adimpleretur quòd dictum est per Isaiam Prophetam, dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit: & ægrotationes nostras portavit.* Vide dicta *Art. XIII. lit.* Nn. Sensus ergo nostri textus erit: *Ne læteris inimica mea*, synagoga vel, mors, *quia*, occisus à te, *cecidi*, *consurgam* à mortuis, *cum sedero in tenebris* limbi, Dominus, etiam tunc à me clarè visus, *lux mea est.* Idem est Sophon. 3. v. 8. *Expecta me, dicit Dominus, in die Resurrectionis meæ in futurum, quia judicium meum ut congregem Gentes, & colligam regna: & effundam super eos indignationem meam.* Hoc expresse dici de

* *Cornel. à Lap. Tirin.*

I.

Resurrectione Christi, ut patet ex ly: *In die Resurrectionis meæ*; Resurrectio enim, est mortui ad vitam reditus, ut
* Cornel. hic. patet ex ipsa etymologia nominis. Et sensus est: * Quia ego Deus frustra te Jerusalem & judæam variè admoneo,
K. in die ergo Resurrectionis meæ, dum scil. carne assumpta, in ea moriar, postq; tertia die resurgam, effundam super te, & super omnes Gentes, indignationem & vindictam meam non humanam, ast me Deo dignam, dum te, (saltem ex aliqua parte] & omnes Gentes, mihi subjugabo, vestram impietatem vincendo, ac ad me vos convertendo, Gentium verò idola, templa, delubra, mores, vitia evertendo, Fidemq; eis, virtutem, ac sanctitatem Christianam inserendo; idq; præstabo initiativè in die Resurrectionis meæ, completè verò, dum post acceptum Spiritum S. Apostolos aliosq; viros Apostolicos mittens totum mundum ad me convertam. Deus enim, infinitè Bonus, sic se passim vindicat, ut perdat inimicos, faciens eos amicos, occidat infideles, convertendo illos in fideles, deleat iniquos, transmutando illos in sanctos, ut patuit in dextro latrone, etiam Christum in Cruce (secundum plures) blasphemante, qui in Confessorem Divinitatis illius, & Saule Christum persequente, qui in Apostolum, Doctoremq, Gentium divinâ ejus vindictâ est mutatus &c. Quòd autem id debeat sic intelligi, patet: nam statim ibi v. 9. explicatur hæc vin-
L. dicta dum dicitur: *Quia reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, & serviant ei humerô unô.* Hoc autem est factum post Resurrectionem Christi, dum Apostoli, Spiritu Sancto repleti, omniumq; dona lingvarum consecuti, Gentes in unitatem Fidei congregarunt. Porro Resurrectionis Christi figura erat Abraham, de quo
* Beresith. Gen. * 22. v. 4. dicitur: *Die autem tertio, elevatis oculis, vidit*

dit locum procul. i. e. montem Moria, in quo immolaturus erat Isaac, & in quo post Christus mortuus est, sepultus, & resurrexit. Sicut enim illo triduo Abraham in summa mæstitia, & quasi ipsa morte fuit, & tertia die est consolatus, sic Christus mortuus & sepultus, at tertia die resuscitatus. Et Pincerna Pharaonis, qui Gen. 40. v. 9. & sqq, post tres dies eductus est de carcere, & in gradum pristinum restitutus. Et Jonas, qui, Jonæ 2. v. 1. *erat in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus;* & mirabiliter post inde ereptus.

Accedunt hic prisci Rabbini. Nam R. Moyses in *Bere-sith* * explicans illud add&. de Abraham Gen. 22. v. 4. ait: *Multæ sunt in Scriptura dierum trinitates, quarum una est Resurrectio Messiæ.* Et Armachanus * dicit se à quodam docto hebræo accepisse, quòd illud Deut. * 32. v. 39. *Ego occidam, & ego vivere faciam: percutiam, & ego sanabo;* passivè sunt sic in hebr. legenda: *Ani omath vaechie, muchatsti vaani eraphe.* Id est: *Ego occidar & vivam, transfigar, & sanabor.* Itaq; scriptum esse in codice manu Esdræ conscripto, qui Bononiæ (ait) apud Patres Dominicanos servatur. De quo, licet Corn. dubitet * tamen esset argumentum, contra judæos de Resurrectione D. Jesu, invictum, si id certum esset. Et clarissimè Flavius Josephus judæus add&. *Art. XII. lit.* Y. de Jesu redivivo, dicit: *Non defuerunt hi, qui ab initio eum dilexerunt. Apparuit enim eis tertia die iterum vivus, secundùm quod divinitus inspirati Prophetæ, vel hæc, vel alia, de eo innumera miracula prædixerant.* Quid clarius?

* *i. e. in Genesi magna.*

M.

* *in quæst. Armen.*

* *Etze Had deba rim.*

* *in hunc loc. Deut.*

Demonstr. Quòd D. Jesus, Patres aliosq; justos antiquos, è limbo inferni, erat educturus. Nam Is. 42. v. 6. & 7. dicitur de D. Jesu, (de quo enim alio hic diceretur)

tur) *Dedi te in fædus populi, in lucem Gentium: ut aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusioue vinctum, de domo car-*
N. *ceris sedentes in tenebris.* Ubi de his hic loquitur Isaias, de quibus Luc. *1.* v. *79.* loquitur pater Joannis Baptistæ, Zacharias; *Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent: ad dirigeados pedes nostros in viam pacis,* ut patet ex similitudine textuum: hic autem (secundùm ferè omnes) dicitur de Patribus è limbo à Christo educendis: Ergo & illic. Simile est & illud Is. 49. v. 8. & 9. *Dedi te in fædus populi, ut suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas: ut diceres his, qui vincti sunt: Exite; & his, qui in tenebris: Revelamini.* Item Is. *61.* v. 1. *Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansvetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & claufis* (in limbo) *apertionem.* Id nec de Isaia, qui judæis de captivitate Babilonica liberationem prædixerat, nec de Cyro, qui illos ex ea liberaverat, (quidquid dicant judæi) verificari potest. Nam, (præterquam, quòd liberationem illam clariùs adhuc Jeremias prædixerat Jer. 25. v. 12. & sqq. ac Jer. 29. v. 10. nec tamen illi volunt, ut hæc prophetia verificetur
O. de eo) nec Isaiæ, nec Cyro tam augusta, quæ hic promittuntur, convenire possunt, ut quòd v. 1. mederi contritis corde, & v. *2.* consolari omnes lugentes, debuerit; quòd v. 4. ædificaturus deserta à sæculo, ac ruinas antiquas erecturus, & v. 6. novos sacerdotes instituturus fuerit; quodq; v. 7. illi captivi liberati, lætitiam sempiternam habere debuerint &c. Hinc Christus Luc. *4.* v. 21. hunc locum Isaiæ de seipso explicat dicens: *Hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris..* Item: Os. 13. v. 14. dicit Christus: *De manu mortis liberabo eos, de morte redi-*

mam

mam eos: ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne. LXX. vertunt: *De manu inferni liberabo eos, de morte redimam illos. Ubi est causa tua mors? ubi est aculeus tuus inferne?* Q. d. Destruam mortem, infernumq; diruam, dum justos in limbo inferni detentos, resurgendo à mortuis ex eo educam, plurèsq; ex eis mecum, ac post in fine mundi, omnes, ad vitam immortalem & beatam resurgere faciam. Simile est huic Habac. 3. v. 5. *Ante faciem ejus* (i. e. Christi, de quo ibi, etiam secundùm judæos est sermo] *ibit mors.* (ab eo devicta) *Et egredietur diabolus* (victus quoq; & vinctus, captivis in limbo, amissis) *ante pedes ejus.* Item: Zach. 9. v. 11. *Tu quoq; in sangvine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Q. d. O Christe, Rex Sion, Justus, Salvator, Pauper, & ascendens super asinam, cujus tamen potestas à mari, usq; ad mare &c. ut de te hìc jam dictum v. 9. & 10. meritô & pretiô Sangvinis tui sacerrimi, pro nobis effusi, quo Novum Testamentum condidisti, Matt. 26. v. 28. dicens: *Hic est enim Sangvis meus novi testamenti*, emisisti vinctos tuos, de lacu limbi, in quo non est refrigerij ac consolationis aqua. Hinc nequit id intelligi (ut judæi stultè autumant) de sangvine victimarum, quô Moyses Exod. * 24. v. 8. vetus testamentum sancivit. *Tumq;* Moyses non fuerat rex Sion, pauper, ascendens super asinam, cujus potestas sit à mari usq; ad mare, & à fluminibus, usq; ad terminos terræ, ut hic de quo hìc dicitur, futurus esse prædicitur. *Tumq;* In sangvine testamenti sui, quô Exod. 24. v. 8. illud sancivit, non emisit vinctos suos, de aliquo lacu, de quo enim? si enim fortè quispiam dicet, quòd filios Israël eduxerit de lacu, seu servitute Ægypti; hoc non factum in sangvine testamenti Exod. 24. v. 8. sanciti, hoc enim non in Ægypto,

P.

* *Veetke Semoth.*

Q.

Ægypto, ast in solitudine Sinai, *mense tertio egressionis Israël de terra Ægypti*, ut Exod. 19. v. 1. est sancitum. *Tumq;* Hic Zachariæ est prophetia, consequenter futurorum prædictio, non autem præteritorum enarratio. Non de Moyse ergo, ast de Christo id Zacharias prædixit. Figuræ hujus sunt, *tum* Ruben Gen. * 37. v. 22. qui Joseph, in cisternam veterem, non habentem aquam, missum, liberare voluerat; *tum* 2. Reg. * 23. v. 20. *Banaias filius Joiadæ viri fortissimi*, qui *leonem in media cisterna*, ut Christus diabolum in limbo, qui 1. Petri 5. v. 8. est *leo rugiens*, percussit; *tum* Abdemelech, qui Jeremiam Jer. 38. v. 13. de lacu lutoso, extraxit; ac Darius, & Evilmerodach, qui Danielem, Dan. 6. v. 24. ac Dan. 14. v. 40. * de lacu leonum eripuit. Accedit Moyses Hadarsan, qui (teste Galatin. l. 8. c. 21.) super citt. Osee 13. v. 14. ait: *Ibat meeum Messias Filius David quousq; perveni ad portas gehennæ, cumq; viderent captivi qui in gehenna erant lumen Messiæ, gavisi sunt eum recipere dicentes: Hic educet nos de his tenebris, sicut dictum est Os. 13. De manu inferi redimam eos, de morte liberabo eos.* Quod, sive sit hujus Rabbini visio, sive imaginatio, nostro tamen asserto subscribit.

* Beresith.

* Samuel.

* Vide in Corn. in Dan. 14. v. 1.

R.

Demonstr. Quòd limbus ille dabatur. *I.* Ex Lege. Nam Gen. * 37. v. 35. Jacob filium suum Joseph, mortuum credens ac lugens, ab alijsq; filijs omnem prorsus consolationem respuens, dicebat: *Descendam ad Filium meum lugens in infernum:* i. e. in limbum. Hoc enim de inferno damnatorum (uti omnes consentiunt) nequit intelligi; neq; enim Jacob sanctus descendere illuc voluit, nec innocens Joseph descendit. *Nec potest* sic intelligi, (ut judæi volunt, & cum eis Calvinus, Beza, alijq; sequaces) quòd Jacob mori etiam voluit, mortuô (ut putabat)

* Beresith.

bat) Joſeph, per inferos, terram in qua omnes ſepeliun-
tur, intelligens. *Non* inquam. *Tumq;* Sepulchrum ne-
quit dici infernus; nam utiq; infernus eſt in medio ter-
ræ, ſepulchrum in ſuperficie: ad infernum animæ defun- S.
ctorum mittuntur, in ſepulchro verò non animæ, aſt ea-
rum corpora reponuntur: animæ in inferno non corrum-
puntur, incorruptibilesq; ac immortales permanent, cor-
pora verô in ſepulchro in vermes cineresq; abeunt: Ergo
hìc per infernum, non ſepulchrum, aſt limbus intelligi
debet. *Tumq;* Jacob putabat Joſeph filium ſuum non
fuiſſe in terra ſepultum, aſt à fera peſſima devoratum,
ibid. v. 33. dicens: *Fera peſſima comedit eum, beſtia devora-
vit Joſeph.* Non voluit ergo eum ad ſepulchrum, aſt ad
limbum infernalem deſcendere. *Tumq;* Jacob dicit, quòd
velit lugens in infernum deſcendere: Ergo non loquitur
de ſepulchro, aſt de limbo inferni; nam utiq; corpus
exanime nequit lugens in ſepulchrum deſcendere, cum
omni ſenſu vitæq; uſu careat; anima verò, ſpiritualiter
lugens, poteſt in infernum detrudi. *II.* Ex Pſalmis. Nam
Pſ. 29. v. 4. dicit David: *Domine eduxiſti ab inferno ani-
mam meam: ſalvaſti me à deſcendentibus in lacum.* Q. d. Do-
mine (cui pro hoc gratias ago) tu me præſervaſti ne in
infernum ac lacum, ſeu limbum, per celerem mortem de-
ſcenderem. Similis enim eſt hìc phraſis ac Pſ. 143. v. 10.
Redemiſti David ſervum tuum de gladio maligno. Sicut enim
hìc David dicitur eſſe à gladio maligno, h. e. Goliæ (de T.
eo enim hic Pſalmus inſcribitur, ut patet ex titulo ejus)
præſervativè redemptus, ne ſcil. eô percuſſus periret, ſic
inibi dicitur eſſe ab inferno & lacu præſervativè eductus,
ne ſcil ad eum, immaturè mortuus, deſcenderet. Hinc
ibi dicitur: *Salvaſti me à deſcendentibus* (ne ſcil. in nume-

ro eorum computer, cum illisq; descendam) *in lacum.* Simile est illud Ps. 87. v. 5. *Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.* Ubi ly: *In lacum,* Chaldæus vertit: *In domum vinctorum,*
* Miske. i. e. in limbum. Et Ps. 27. v. 1. Ps. 142. v. 7. Prov.* 1. v. 12. & alibi pluries, ubi lacus pro inferno, seu limbo sumitur. *Adde* illud Ps. 88. v. 49. *Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem: eruet animam suam de manu inferi?* ubi per hoc, dum ait: *Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem:* innuitur, nullum esse, qui non moriatur hominem. Per hoc autem: *Eruet animam suam de manu inferi?*
U. insinuatur, nullam animam, post mortem hominis, tempore illo, ut pote ante Christi Adventum, potuisse erui, ne ad infernum (si non damnatorum, saltem limbum justorum) descenderet. Et ob id, etiam Christus, post mortem suam, ad limbum (licet non ut victus vel vinctus, ast ut Victor dæmonum, Liberatorq; vinctorum, Homo inter mortuos liber, cujus Sacratissima Anima non derelinquenda erat in inferno:*) descendit. *III.* Ex Isaia.
* Ps. 15. v. 10. *Nam* Is. 38. v. 10. Ezechias Rex Juda, quantumvis Deo placens, & sanctus, post mortem tamen, non se ascensurum in cœlum (ut judæi ineptiunt, dicentes, quòd etiam tunc, omnes justi statim post mortem, ascendebant in cœlum) ast descensurum ad infernum dicit: *Ego dixi: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* Hìc de inferno damnatorum non dicit, non erat enim damnandus, ut pote justus & sanctus, ast de limbo PP. ad quem omnes justi, ante Christum, descendere post mortem debuerant. Et hinc Moyses dum filios Isràël admonebat & animabat, ut Legem datam sibi à Deo observarent, promittebat tantùm eis pro hoc, bona temporalia & terrestria, non autem

tem æterna & cœlestia, ut patet, tum alibi sæpe, tum maximè Deut. * 28. à v. 1. usq; ad 14. inclusivè, nam omnibus tunc persvasum fuerat, neminem ex hominibus, ante Christum, cœlum intraturum, ast quemvis ad infernum, i. e. saltem limbum, post mortem descensurum. His *Elle Had debarim.* W.

Accedit ipsamet judæorum doctrina. Illi enim pro primo rectè dicunt, quòd Diabolus in cœlo empyreo esse, vel in eo quidquam operari, non possit. Deinde (licet jam falsò) volunt, quòd 1. Reg. * 28. v. 12. & sqq. diabolus * *Samuel.* per pythonissam Samuelem Prophetam sanctissimum ad postulata Saul suscitaverit, visibilemq; reddiderit. Nam, si (ut illi fingunt) Samuel tunc in cœlo jam esset, quomodo diabolus eum (qui in cœlo esse, & operari non potest) suscitaret, visibilemq; efficeret? Proinde (si juxta illos) id diabolus fecerat, Samuel tunc (licet sanctus) non in cœlo erat, ast in limbo inferni, sub potestate diaboli, reclusus manebat; adèóq; etiam juxta doctrinam judaicam talis limbus dabatur.

ARTICULUS XVI.

Quòd D. JESUS erat in cælum ascensurus, ac Spiritum Sanctum Apostolis, alijsq; fidelibus collaturus, ubi & de dono lingvarum.

DEmonstr. Quòd D. JESUS erat in cœlum ascensurus. A.
I. Ex Lege. Nam Gen. * 15. v. 5. de Abram, ante- * *Beresith.* quam appellatus esset Abraham, dicitur: *Eduxitq; eum* (Deus) *foras, & ait illi: suspice cœlum, & numera stellas si potes. Et dixit ei: sic erit semen tuum.* Statimq; inibi v. 6. subditur: *Credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad justitiam* Hìc ex judæis quærltur: cur Deus Abram foras produxerit,

rit, cùm ſciverit, quòd tam intus manens, quàm foras egrediens, ſtellas dinumerare non poſſit? Et cur ei intus, id quod foris dicebat, dicere noluerit? Ac cur dixerit: *Sic erit ſemen tuum*, puta: ſicut ſtellæ cæli? non autem: Faciam ſemen tuum innumerabile, ſicut ſtellas cœli, quæ dinumerari non poſſunt? ſicut Gen. 13. v. 16. jam dixerat: *Faciamq; ſemen tuum ſicut pulverem terræ: ſi quis poteſt hominum numerare pulverem terræ, ſemen quoq; tuum numerare poterit.* Nec hìc poteſt dici, quòd id ſine ratione & myſterio dixerit Deus; nullum enim verbulum temerè, & ſine ratione ac myſterio in Script. ponitur; proinde nec illa Dei actio & locutio, ratione, myſterioq; caruit. Cùm ergo

B. Deus foras Abram eduxerat, ac juſſerat, ut cœlum ſuſpiciens, ac ſtellas innumerabiles intuens, ſciat, quòd ſic erat futurum ſemen ejus, id dixit de Chriſto, qui erat ſemen Abræ futurus, in cœlumq; uſq; aſcenſurus. *Ratio eſt*: Nam cùm dicitur: *Sic erit ſemen tuum*, in hebr. ponitur tale verbum, quod nedum *Sic*, ſcil. ſimilitudinem, aſt & *Huc*; ſeu locum, ſignificat; ita ut ſenſus ſit, quòd nedum ſtellis ſimile erat futurum ſemen Abræ Chriſtus, aſt etiam in eodem loco in quo ſunt ſtellæ, ſcil. in cœlo, per Aſcenſionem ſuam in illud. Ponitur enim ibi כֹּה Co * quod tum locum tum ſimilitudinem ſignificat; dum enim ſolus locus ſignificari debet, tunc in hebr. * ponitur: *Henna*, quod locum tantùm ſignificat; ſi autem ſola ſimilitudo, tunc ponitur: *Cacha*, h. e. *Sic*. At *Co* quod in addɛ̃t. textu ponitur, ſignificat nedum ſimilitudinem aſt & locum, idq; ferè principaliùs, quod patet ex Exod. * 2. v. 12. ubi de Moyſe dicitur: *Cùmq; circumſpexiſſet huc atq; illuc, & nullū adeſſe vidiſſet, percuſsū Ægyptiū abſcondit ſabulo*, hìc enim dum in Vulg.

NB. *hic* *zendum* . *ut K.* *eſte Pe-* *ilphunſ.* *Dialog.*

eelte *noth.*

Huc

Huc atq; illuc, ponitur, in hebr. est: *Co & Co.* Et id confirmatur ex eo quod sequitur: *Credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* Licet enim Abram in omnibus Deo credidit, qui & in nullo incredulus fuit, tamen de eo in alijs divinis promissionibus id Scriptura non addit, ast tantùm in hac, tam enim insolita & vix ferè credibilis erat hæc promissio, de Ascensu seminis ejus in cœlum, quòd magna Abræ fides pietasq; fuerat, dum in id crediderat.

II. Ex Psalmis alijsq; Prophetis: Nam Ps. 18. v. 7. de Christo (etiam secundùm judæos) dicitur: *A summo cœlo egressio ejus: Et occursus ejus usq; ad summum ejus.* Per quod innuitur, quòd sicut Christus ut incarnetur, à summo cælo descendit, sic post Resurrectionem illud ascendit, ut id D. Aug. * explicat dicens: *A summo cælo egressio ejus: Ecce habes Adventum Domini in carne. Et occursus ejus, usq; ad summum ejus: ecce habes Resurrectionem & Ascensionem.* Et Ps. 88. v. 38 *Et thronus ejus* (i. e. Christi, ut etiam R. Kimhi fatetur) *sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum: & testis in cælo fidelis.* Christi autem thronus sicut sol, & sicut luna perfecta in æternum in conspectu Dei non esset, ipseq; testis fidelis in cœlo non fuisset, ni in cœlum ascendisset, in eoq; mansisset. Et Ps. 109. v. 1. dicit Pater æternus ad Filium Christum: *Sede à dextris meis.* Q. d. In cælum ascende, inibiq; in throno Majestatis mecum sede. Cùm enim Sedes Divina sit cælum, Is. 66. v. 1. *Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum*; dum ille dicit ad Christum, ut à dextris ejus sederet, vult, ut in cælum ascenderet, in eademq; gloria cum eo regnaret. *Addo:* Textus ferè expressos, hanc Ascensionem D. Jesu designantes. Nam Ps. 17. v. 11. dicitur: *Ascendit super Cherubim & volavit*; ascendendo in cælum. Et Ps. 46. *Ascendit Deus in jubilo,*

* *l. 2. c. 32. contra litteras Petiliani.*

D.

jubilo, & Dominus in voce tubæ. Et Pſ. 56. v. 6. & 12. *Exaltare ſuper cælos Deus: & in (& ſuper) omnem terram gloria tua.* Et Pſ. 67. v. 5. *Aſcendit ſuper occaſum: Dominus nomen illi.* Et ibid. v. 19. *Aſcendiſti in altum, cepiſti* (detentorum in limbo) *captivitatem.* Et ibid. v. 33. & 34. *Pſallite Deo qui aſcendit ſuper cælum cæli* (in monte Oliveti, qui eſt *) *ad orientem.* Et Pſ. 103. v. 3. *Ponis nubem Aſcenſum tuum.* Super quæ S. Hier. dicit: *Dominus enim Jeſus, benedictis diſcipulis, elevatus eſt, & nubes ſuſcepit illum, & intuebantur eum euntem in cælum.* Et Amos 9. v. 6. *Ædificat in cælo Aſcenſionem ſuam.* Hæc enim nequeunt dici de Deo, ſecundùm Deitatem ſpectato, cùm ille, ut pote immenſus, volare ſuper Cherubim nequeat, in cælum vel ſuper cælos aſcendere. Dicuntur ergo tantùm de D. Jeſu, quà Homine. Quamvis enim aliquando in Script. dicatur, Deum deſcendere, ac quaſi locum mutare, ut v. g. Gen. * 11. v. 5. *Deſcendit autem Dominus ut videret civitatem & turrim.* Et Gen. 18. v. 21. *Deſcendam & videbo, utrum clamorem qui venit ad me,* (Sodomitæ & Gomorrhitæ) *opere compleverint.* Et alibi; tamen ſtatim quivis ſanæ mentis intelligit, quòd hæc tantùm impropriè & metaphoricè, ac pro captu noſtro humano, de Deo quà Deo, dicantur; nil autem impedit, quòd adducta propriè, & litteraliter, ſumantur de Christo quà Homine. *Neq; dicant judæi.* Hoc id impedit, quia eſt contra rationem, ut res ponderoſa (quale eſt corpus humanum) ſuper levem (ut ſunt nubes) poſſit aſcendere, ſuſtineriq; ab ea. Ex ſimili fundamento caput 14. Danielis judæi reijciunt, * quia in eo legitur hiſtoria Habacuc, è judæa in Babilonem ab Angelo per àërem deportati. *Non dicant.* inquam. *Nam.* in Script. legitur, quòd Deus aliquos Sanctos Viros per àërem in Paradiſum, vel alium

E.

* Zach. 14. v. 4.

* Bereſith.

F.

* refert D. Hier. Præfat. in Danielem.

alium locum sibi bene visum, transportaverit, ut Henoch, qui, Gen. 5. v. 24. *non apparuit: quia tulit eum Deus.* Et Eliam 4. Reg. * 2. v. 11. de quo ibi: *Ascendit Elias per turbinem in cœlum.* Et ipsimet judæi fabulantur, quòd etiam Mathusalem & Moysen cum corpore & anima Deus in cœlum transtulerit; forteq; credunt, semetipsos post universalem resurrectionem etiam cum corporibus, in cœlum forei assumendos. Si ergo illos Viros Sanctos, in corporibus eorum grossis, quia necdum dotem agilitatis & subtilitatis habentibus, Deus deferre per àëra potuit, cur non Christum, dote jam agilitatis & subtilitatis ornatum, gloriosumq; redditum?

* Malachim.

G. Demonstr. Quòd D. Jesus erat Spiritum S. Apostolis, alijsq; Fidelibus, collaturus. Ps. 103. v. 30. dicitur: *Emittes spiritum tuum, & creabuntur: & renovabis faciem terræ.* Hìc quòd dicatur de Spiritu Deo, Tertia in Deitate Persona, ostendi *Art. I. lit.* Ii. & sqq. Sensus autem est, quòd postquam ponet Christus nubem ascensum suum, (ut hìc v. 3. dicitur) seu postquam ascendet in cælum, emittet Spiritum suum super Apostolos, aliosq; Fideles, cujus virtute, illi qui imbecilles, debiles, timidiq; erant homines, fiant repente veritatis Christi invictissimi, constantissimiq; præcones, tanquam Spiritûs S. novæ creaturæ, ita, ut (Act. 4. v. 33.) virtute magna reddant testimonium Resurrectionis Jesu Christi Domini nostri. *Quia* (ait S. Greg. Papa. *) *mundi hujus potestatibus contraire non præsumerent, nisi eos Sancti Spiritus fortitudo solidasset.* Et tunc renovata est facies terræ, per prædicationem eorum toto orbe terrarum ad Christum converso. Et Is. 44. v. 3. *Effundam Spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam.* Q. d. Christe (de eo enim hìc agitur] super

* *Homil. 30. in Evang.*

semen

semen tuum, nempe Apostolos, aliosq; Fideles effundam Spiritum meum, & benedictionem meam, ut illi hic usq; ad consummationem sæculi, & in cœlo in æternum perennent. Impleaturq; illud Is. 53. v. 10. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Et Ezech. 11. v. 19. & 20. *Dabo eis cor unum, & Spiritum novum tribuam in visceribus eorum: & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum: ut in præceptis meis ambulent, & judicia mea custodiant, faciantq; ea.* Per quæ promittitur, quòd Deus Spiritum S. erat missurus, qui corda credentium erat uniturus, emolliturus, ex lapideisq; ac obduratis, carnea & mollia effecturus, ut præcepta Dei observent, Deumq; ritè colant, & ament. Quod impletum, dum, postquam Spiritus S. in Apostolos, aliosq; Fideles descenderat, tunc (Act. 4. v. 32.) *multitudinis credentium erat cor unum, & anima una*; ablatumq; est cor lapideum, ac datum est eis carneum, dum Deum verum credebant & colebant, quod indesinenter & nunc fit, dum Spiritus Sancti gratia illuminat sensus & corda nostra. Simile est huic illud Ezech. 36. v. 26. & 27. *Dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Et Spiritum meum ponam in medio vestri: & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis & operemini.* Et Joel. 2. v. 28. & 29. *Et erit post hæc: effundam Spiritum meum super omnem carnem: & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt. Sed & super servos meos & ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum.* Et hanc prophetiam S. Petrus Act. 2. v. 16. & sqq. in die Pentecostes, ad litteram, dicit esse impletam, per extensum eam adducens. Et meriò. Punctatim enim, & per omnia

H.

I.

est

est impleta. Effusus enim est Spiritûs Sanctus in Apostolos, aliosq; fideles, die Pentecostes, cùm Act. 2. v. 3. & 4. *apparuerunt illis dispertitæ lingvæ tanquam ignis, seditq; supra singulos eorum: & repleti sunt omnes Spiritu Sancto.* Effusus est quoq; super omnem carnem, cùm Act. 10. v. 45. *Et in Nationes gratia Spiritus Sancti effusa est.* Prophetaverunt filij & filiæ, dum Act. 13. v. 1. *Erant in Ecclesia quæ erat Antiochiæ, Prophetæ & Doctores.* Ex quibus Agabus Act. 21. v. 11. prophetando, non more veterum Prophetarum dicebat: *Hæc dicit Dominus*, vel quid simile, ast: *Hæc dicit Spiritus Sanctus.* Et ibid. v. 9. Philippus Evangelista habuit quatuor filias virgines prophetantes. Senes somnia somniabant, ut Act. 10. v. 10. & sqq. Petrus in somno, seu in mentis excessu, dum vas quoddam, velut linteum magnũ, quadrupedia, serpentia, & volatilia, in se continens, submitti de cœlo cerneret, agnovit per id denotari, non solos judæos, ast & Gentes, ad Ecclesiam admittendas. Et juvenes visiones viderunt, ut Joannes Petro junior, qui (ait D. Hier. *) *vidit Apocalypsim, infinita futurorum mysteria continentem.* Demum: super servos suos, & ancillas effudit Deus Spiritum suum, quia Rom. 5. v. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui* (maximè in Sacramentis) *datus est nobis.* K.

* *l. advers. Jovinianum.*

Demonstr. De dono lingvarum. *Nam* Ps. 18. v. 4. dicitur: *Non sunt loquelæ neq; sermones, quorum non audiantur voces eorum.* In quod D. August. * ait: *Hoc propter eos dictum est, qui Spiritu S. accepto lingvis erant omnibus locuturi.* Et Ps. 67. v. 12. *Dominus dabit verbum evangelizantibus, virtute multa.* Quòd impletum, tum in dono lingvarum, tum in eo, quod Christus Apostolis aliisq; Martyribus Matt. 10. v. 19. & 20. appromisit, planeq; complevit: *Cùm* L.

* *contra literas Petiliani, l. 2. c. 32.*

autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Et ibid. v. 34. *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis*, (i. e. omnium lingvarum genera, simul quoq; prædicationis efficaciam) *date gloriam Deo super Israël.* Et Is. 28. v. 11. *In loquela enim labij, & lingva altera loquetur* (Deus) *ad populum istum.* Ubi, *in loquela labij*, Chald. legit: *In mutatione loquelæ;* quod factum per donum lingvarum, ut hìc quoq; per ly innuitur: *Et in lingva altera.* Hinc D. Paulus 1. Cor. 14. v. 21. & 22. in hoc loco docet appromissum esse donum lingvarum, dicens: *In Lege scriptum est: Quoniam in alijs lingvis & labijs alijs loquar populo huic: & nec sic exaudient me*, ut perfidi judæi fecerunt, Apostolis varijs lingvis loquentibus, Christumq; annunciantibus) *dicit Dominus. Itaq; lingvæ in signum sunt non fidelibus sed infidelibus*, Et Is. 32. v. 4. *Cor stultorum intelliget scientiam, & lingva balborum velociter loquetur & planè.* Q. d. Gentiles stultè idolis & vitijs suis servientes, conversi ad Christum, doctrinam ejus intelligent; & Apostoli antea infacundi ac rudes, accepto Spiritu S. in igneis lingvis, donô omnium lingvarum ditati, facundissimi evadent ac ferv dissimi ad prædicandum Christi Evangelium. Et Sophon. 3. v. 9. *Tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, & serviant ei humerô unô.* Ubi per *labium electum*, intelligitur omnium lingvarum scientia & intelligentia. Hoc autem totum impletum, dum Spiritus S. invisibili specie lingvarum ignearum super Apostolos venit, ut illos amoris igne inflammaret, ac eis omnium lingvarum totius orbis donum largiretur, ut ubiq; terrarum Fidem Christi prædicare possint. Si enim id aliter fieret, cùm pene tot sint

M.

lingvæ,

lingvæ, quot nationes, regna, imò & quot provinciæ, nullô modô possent Apostoli Fidem in omnibus orbis partibus prædicare, qui tantùm suam lingvam nativam, i. e. Hebraicam, vel veriùs Syriacam, nossent. Hinc postquam citt. Ps. 18. v. 4. de dono lingvarum Apostolis dato dictum esset: *Non sunt loquelæ* &c. statim v. 5. subditur: *In omnem terram exivit sonus eorum: & fines orbis terræ verba eorum.* Per quod innuitur, (ut etiam D. Aug. supra citt. advertit) quòd idèò omnium lingvarum notitia data erat Apostolis, ut illi omnes Gentes, per totum orbem dispersas in unitatem Fidei congregarent; sicut ne uniti homines turrim Babel extruerunt, confundendo lingvas eorum, & unicuiq; diversam ab altero infundendo, Gen. * *11.* v. 7. & 8. *divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras.* *Neq; blasphement judæi:* Illam historiam Act. 2. de Adventu Spiritûs S. super Apostolos, confictam fuisse *Non inquam.* Nam scribens hanc historiam S. Lucas dicit id contigisse in Jerusalem, ubi tunc erant judæi habitantes (Act. 2. v. 5.) *ex omni natione quæ sub cælo est*, Parthi, Medi, Elamitæ, Mesopotamitæ, Cappadocitæ, Pontici, Asiani, Phryges, Pamphilij, Ægyptij &c. Nunc quæro: vel hæ nationes fuerant tunc ibi, vel, non fuerant? Si fuerant, & falsum D. Lucas de Adventu Spiritûs S. super Discipulos, & locutione varijs lingvis scripsisset, tot & tanti testes, falsitatis eum convicissent; maximè, quia brevi post id tempore, scripsit ille hanc historiam. Si autem non fuerant: convicissent illum scribæ & pharisæi, alijq; judæi, illas gentes appellando, testimoniumq; ab eis postulando, Hoc autem non fecerunt, notitiâ totius orbis, quod id revera sit factum convicti. Simile quid est *Art. XII. lit.* Cc. *Adde*: Magnum esse mysterium, quòd sicut verus Agnus: qui tollit peccata mundi

N.

* *Beresith.*

O.

 Christus,

Christus, eo die immolatus fuit, quo etiam agnus Paschalis immolari debuit, ut antitypus cum typo, figuratum cum figura concurreret: sic Spiritus S. omnis gratiæ largitor, eodem die Pentecostes ad novam Legem dandam advenit, quo Lex vetus data olîm fuit, ut gratia illud suppleret, quod Lex illa non habuit, & veterîs cum novo Testamento esset mira harmonia, & consonantia.

ARTICULUS XVII.

A Quòd D. JESUS erat Domum DEI, h. e. Ecclesiam ædificaturus, Apostolos ad illam plantandam missurus. ac Sacramentum Baptismatis instituturus.

DEmonstr. Quòd D. JESUS erat Domum DEI, scil. Ecclesiam &c. *Nam* 1. Paral. * 17. v. 11. & sqq. dicit Deus ad David: *Cùmq; impleveris dies ut vadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filijs tuis: & stabiliam regnum ejus. Ipse ædificabit mihi domum, & firmabo solium ejus usq; in æternum. Ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in Filium: & misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstuli ab eo qui ante te fuit. Et statuam eum in domo mea, & in regno meo, usq; in sempiternum; & thronus ejus erit firmissimus in perpetuum.* Hæc de D. JESU dicuntur, qui est Semen David, stabilitumq; est regnum, thronus, & solium ejus usq; in æternum, nam dedit illi (Luc. 1. v. 32.) Dominus Deus Sedem David patris sui, & regnabit in Domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Est quoq; ei Deus in Patrem, & ipse est in Filium, quia ipse est Filius Deus, ut ostendi *totô Art. II.* & *Art. XII. lit.* A. & sqq. *Neq; dicant judæi:* Hæc de Salomone filio David dici,

* *Dibre Haiamim*

dici, qui ædificavit templum Domino. *Non dicant* inquam. *Tumq;* Deus hìc dicit ad David, quòd cùm ille dies suos impleverit, & ad Patres suos iverit, seu cùm mortuus fuerit, suscitaturus sit Semen ejus post eum. Non dicit ergo de Salomone, ast de Christo; Salomon enim post mortem David non est natus, ast vita ejus superstite, imò adhuc eo vivente, Rex super Isràël inauguratus fuerat, seditq; super solium ejus, 3. Reg. * 1. v. 39. & sqq. *Tumq;* Dicitur inibi, quod Semen illud erat futurum de filijs David, (*quod erit de filijs tuis*) Ergo id non erat Salomon, ast Christus, qui de filijs David est natus; Salomon enim est natus de ipsomet David, non autem de filijs ejus. *Tumq;* Dicitur quoq; ibi de hoc Semine David: *Statuam eum in domo mea, & in regno meo usq; in sempiternum: & thronus ejus erit firmissimus in perpetuum.* Salomon autem nec in domo Dei, scil. Congregatione fidelium erat in sempiternum, cùm in senectute sua secutus sit deos alienos depravatus à mulieribus, 3. Reg. 11. v. 4. & regnum seu thronus ejus non erat firmissimus in perpetuum; nam vivente adhuc Salomone nutare jam cæperat, aliquibus jugum ejus (ibid. v. 14. & sqq.) excutientibus; & contra illum insurgentibus; & post mortem illius, sub Roboam filio ejus, deficientibus ab eo decem tribubus 3. Reg. 12. scissum erat; ac postea sub Sedecia 4. Reg. 25. v. 6. & sqq. planè desierat. *Neq; dicant ijdem:* David interrogavit Nathan Prophetam: An ædificare possit domum sto, & Domini? 2. Reg. * 7. v. 2. & sqq. Si ergo tantùm de Christo non de Salomone Nathan responderet ei, nil responderet ad interrogata illius. *Non dicant* inquam: *Nam* hoc respondit, quod ipsemet David refert coram principibus Isràël, 1. Paral.* 28. v. 2. & sqq. dicens: Audite me fratres mei, & populus meus:

B. — * *Malachim.* — C. — * *Samuel.* — * *Libre Haiamim.*

meus: *Cogititavi ut ædificarem domum, in qua requiesceret arca fœderis Domini, & scabellum pedum Dei nostri: & ad ædificandum, omnia præparavi. Deus autem dixit mihi: Non ædificabis domum nomini meo, eò, quòd sis vir bellator, & sangvinem fuderis. Sed - - - - elegit Salomonem filium meum, ut sederet in throno regni Domini super Israël, dixitq; mihi: Salomon filius tuus ædificabit domum meam, & atria mea: ipsum enim elegi mihi in filium, & ego ero ei in patrem. Et firmabo regnum ejus*
D. *usq; in æternum, si perseveraverit facere præcepta mea, & judicia, sicut & hodie.* En responsum Dei ad interrogatum David, de ædificando templo materiali Jerosolimitico, in quo Deus vetat expressè, ne David illud ædificet, præcipitq; ut Salomon filius ejus, id præstet, addens divina sua promissa, Salomonis tantùm personam concernentia. Proinde aliud hoc est oraculum de Salomone, & aliud illud addct. de Christo, quod priori huic Deus addiderat, à Salomone typo, ad Christum antitypum (ut est frequens in Script.) avolans. Idq; & hinc patet. *Nam:* Hic sermo David de Salomone, diversus est ab illo, quem dicit Nathan ad David de Christo; hic namq; Salomon expressè nominatur, filiusq; David jam natus esse dicitur; ibi autem de Semine tali tantùm innuitur, quod futurum erat post David,
E. idq; non immediatè de ipso, ast de filijs ejus, nullumq; nomen illius ponitur. Ibi Semen illud, scil. Christus, in domo, regno, ac throno Dei sine conditione futurum prædicitur; Salomonis autem regnum perpetuum fore sub conditione, promittitur, si scil. perseveravit facere præcepta
* Samuel. Dei & judicia. Hinc ipsemet David 2. Reg. * 7. v. 18. & sqq. prophetiam illam esse de Christo non subobscurè agnoscit, dum audiens eam, ritèq; intelligens, Deoq; hinc gratias agens, ait: *Quis ego sum Domine Deus, & quæ domus*

mea,

mea, quia adduxisti me hucusq; sed & hoc parum visum est in conspectu tuo Domine Deus, nisi loquereris etiam de domo servi tui longinqvum. Hìc dum dicit: *Quis ego sum Domine Deus, & quæ Domus mea, quia adduxisti me hucusq;* De se dicit, ac de Salomone, filio ac successore suo. Et dum addit: *Sed & hoc parvum visum est in conspectu tuo D. Deus nisi loquereris etiam de domo servi tui in longinqvum.* Dicit propter Christum, ex ipso, ac ex filiis ejus in longinquo tempore nasciturum. His *Addo:* Alios quoq; Prophetas idem prædicentes. *Nam* Ps. 146. v. 2. dicitur: *Ædificans Jerusalem Dominus: dispersiones Isräëlis congregabit.* Et Is. 58. v. 12. *Ædificabuntur in te* (Ecclesia) *deserta seculorum: fundamenta generationis & generationis* (ô Christe) *suscitabis: & vocaberis ædificator sepium, avertens semitas in quietem.* Et Is. 60. v. 10. *Ædificabunt filij peregrinorum* (i. e. Apostoli ex judæis procedentes, qui Gentibus erant peregrini, alieniq; ab eis) *muros tuos.* Et Is. 65. v. 18. *Ecce ego creo Jerusalem exultationem, & populum ejus gaudium.* Et Jer. 31. v. 38. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & ædificabitur Civitas Domino, à turre Hananeel usq; ad portam anguli.* Quod explicans D. Hier. * ait. *Ædificatur itaq; Ecclesia à turre obedientiæ, sive gratiæ & donorum DEI, hoc enim interpretatur Hananeel:* Per portam verò anguli, conjunctionem Judæorum & Gentium significari dicit Corn. Et Zach. 6. v. 12. & 13. *Ecce Vir Oriens nomen ejus: & subter eum orietur, & ædificabit templum Domino. Et ipse extruet templum Domino: & ipse portabit gloriam.* Similia dicuntur & alibi. F.

* hic in Jer.

Demonstr. Quòd D. JESUS erat Apostolos ad Ecclesiam plantandam missurus. *I.* Ex Psalmis. *Nam* Ps. 18. v. 5. dicitur: *In omnem terram exivit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum.* Hoc intelligi neqvit (ut judæi G.

dæi

dæi ineptiunt) de Prophetis, aſt de Apoſtolis miſſis (Marc. 16. v. 15.) à Chriſto in univerſum mundum ad prædicandum Evangelium omni creaturæ. *Tumq;* Nullus Prophetarum (exceptô Jona in Niniven civitatem miſſô quæ tamen tantûm civitas, non autem omnis terra, erat) juſſus eſt à DEO in omnem terram, & in fines orbis terræ exire; aſt omnes in Jſraël vel tantùm in Babilone, inter Jſraëlitas tamen, tunc ibi in captivitate degentes, (ut Ezechiel & Daniel) prophetârunt. *Tumq;* Licet aliqui eorum contra Gentes aliqvas prophetaverant, ut Jſaias c. 13. contra Babilonios, c. 15. contra Moabitas, c. 17. contra Damaſcenos, c. 18. & ſqq. contra Ægyptios. Amos, c. 1. & 2. contra Damaſcenos, Philiſtheos, Tyrios, Idumæos, & Ammonitas, ac alij contra nonnullas gentes, tamen eas non adierant, illæq; gentes omnis terra, & fines orbis terræ non fuerant. *Tumq;*

H. In Prophetis expreſſè dicitur, quòd illi propter ſolos judæos & Jſraëlitas, ut inter eos prophetent, ſint á DEO miſſi, ut dum Jſ. 1. v. 1. dicitur: *Viſio Jſaiæ filij Amos, quam vidit ſuper Judam & Jeruſalem.* Et Jer. 1. v. 18. *Dedi te hodie in civitatem munitam - - - regibus Juda, principibus ejus, & Sacerdotibus, & populo terræ.* Et Ezech. 2. v. 3. *Fili hominis mitto ego te ad filios Jſraël, ad gentes apoſtatrices.* Et Ezech. 3. v. 5. *Non enim ad populum profundi ſermonis & ignotæ lingvæ tu mitteris, ad domum Jſraël.* &c. Ex quibus patet quòd hoc Pſalmi non de Prophetis aſt de Apoſtolis intelligi debeat. Huc pertinet illud Pſ. 44. v. 17. & 18. *Pro patribus tuis* (Patriarchis & Prophetis) *nati ſunt tibi* (Chriſte) *filij:* (Apoſtoli) *conſtitues eos principes ſuper omnem terram - - - Propterea populi* (converſi per eos) *confitebuntur tibi in æternum, & in ſæculum ſæculi.*

Et Pſ.

Et Ps. 67. *v.* 12. *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa.* Ad quòd alludi videtur Act. 4. *v.* 33. ubi dicitur: *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis JESU Christi Domini nostri.* *II.* Ex Jsaia. *Nam* Js. 29. v 22. & sqq. *Non modo confundetur Jacob, nec modo vultus ejus erubescet:* (i. e. non tempore Jsaiæ, ast tempore Christi) *sed cùm viderit filios suos:* (i. e. Apostolos missos à Christo, qui erunt filij Jacob, nam ex judæis geniti,) *opera manuum mearum,* (quos ego ex idiotis & rudibus in doctos ac eruditos dexterâ meâ mutabo, in novaq; velut creaturas transformabo) *in medio sui sanctificantes nomen meum, & Sanctificabunt Sanctum Jacob,* (Christum *) *& DEUM Jsraël prædicabunt: & scient errantes spiritu intellectum, & mussitatores discent legem.* Hìc per errantes spiritu, & mussitatores, intelliguntur gentiles, qui erant errantes spiritu, plures falsos deos colendo; & mussitatores, contra verum DEUM frequenter murmurando, eum contemnendo, ac blasphemando, ac cultores illius Judæos crebrìs injurijs & convitijs proscindendo, qualis erat Exod. * *5.* v. 2. Pharao, 4. Reg. * 18. v. 22. & sqq. Rabsaces & Sennacherib, Dan. *3.* v. 15. Nabuchodonosor, & alij. Qui tamen, Apostolis, Sanctum Jacob Christum Sanctificantibus, ac DEUM Jsrael prædicantibus scient veræ fidei intellectum, & Evangelicam discent Legem, ob quod confundetur Jacob & erubescet, quivis nempe judæus incredulus, ut revera factum Act. 2. v 6. ubi Apostolis in die Pentecostes varijs lingvis loquentibus Christumq; prædicantibus, *convenit multitudo, & mente confusa est,* & principes judæorum Act: 4. v. 13. & *14 comperto quòd* (Apostoli) *homines essent sine litteris, & idiotæ, admirabantur - - - & nihil poterant contradicere. Nequit* autem hoc intelli-

I. K.

* *Christus in script. dicitur passim Sanctus Jacob, Sanctus Jsräël, i. e. Sanctus Jacobi vel Jsräëlis.*

* *Veelle Semoth.*

* *Malachim.*

intelligi (ut volunt judæi) de alijs posteris judæorum, qui sanctificaturi erant nomen Dei per meliorem quàm ante Legis Moysaicæ observantiam. *Nequit* inquam. Hìc enim dicitur, quòd hi filij Deum Jsràél prædicabunt, ex qua prædicatione errantes spiritu, i. e gentiles, scient intellectum, & mussi atore, Deum, Legemq; ipsius blasphemantes, discent Legem. Non ergo hìc notantur judæi meliùs quàm ante Legem Moysaicam observantes, ast Apostoli Christum Deum Jsràél prædicantes. Imò si per illam observantiam legis posteri judæorum nomen Dei Sanctificare dicerentur, tunc Jacob non confundi nec erubescere, ast potiùs lætari & gloriari deberet, in textu autem, quòd confundetur & erubescet, dicitur. Huc pertinet illud Js. 40. v. 9. *Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem: exalta, noli timere. Dic civitatibus Judæ: Ecce DEUS vester.* Et Js. 52. v. 7. & 8. *Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem; annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus! Vox speculatorum tuorum: levaverunt vocem, simul laudabunt: quia oculo ad oculum videbunt cùm converterit Dominus Sion.* Hìc per annuntiantem pacem ac bonum, & prædicantem salutem, intelligitur Christus, qui, Matt. 9. v. 35. *circuibat omnes civitates & castella, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium regni*; ac qui, Joan. 14. v. 27. pacem rel quit nobis, pacem suam dedit nobis. Per speculatores verò levantes vocem, simul laudantes, ac ad oculum, conversionem infidelium ad verum Deum videntes, intelliguntur Apostoli. Idem ferè est illud Nahum 1. v. 15. Ecce super montes pedes evangelizantis, & annuntiantis pacem. Et

L.

M.

Js. 60.

Js. 60. v. 8. & 9. *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas? Me enim insulæ expectant, & naves maris in principio, ut adducam filios tuos de longè.* Hæc de Apostolis, quos in spiritu præviderat à Christo mittendos, Jsaias prædixit. Qui erant ut nubes volantes, cùm ab omni terrenorum bonorum gravedine liberi, spirituq; in cælum levati, rorem & pluviam cælestis doctrinæ in orbem effuderunt, hæc enim rori & pluviæ comparatur à Moyse, qui Deut. * 32. v. 2. ait. *Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum.* Erant quoq; quasi columbæ, effectuantes in se, illud Christi Matt. 10. v. 16. *Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices, sicut columbæ.* Et per hoc totum mundum ad Christum converterunt, ad illum insulas maris, filiosq; ejus de longè adducentes. *Simile* est illud Js. 66. v. 19. *Mittam ex eis qui salvati fuerint, ad Gentes in mare, in Africam, & Lydiam tendentes sagittam; in Jtaliam & Græciam, ad insulas longè, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam Gentibus.* Quid expressius? His *Adde* illud Js: 24. v. 15. & 16. *In doctrinis glorificate Dominum; in insulis maris nomen Domini Dei Jsraël. A finibus terræ laudes audivimus,* (tum Apostolorum Divinitatem Christi prædicantium, tum Gentium per illos conversarum eam magnificantium) *gloriam* (Christi) *Justi.* Et Js: 42. v. 12. *Ponent Domino gloriam, & laudem ejus in insulis nuntiabunt.* Hæc enim omnia sunt de Apostolis

N.

* *Elle Hadebarim.*

III. Ex Jeremia & Ezechiele Nam Jer. 16. v. 16. *Ecce ego mittam Piscatores multos dicit Dominus, & piscabuntur eos: & post hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos:* Consonat Ezechiel Ezech: 47. v. 10 dicens: *Stabunt super illas Piscatores, ab Engandi usq; ad Engallim siccatio sagenarum*

O.

rum erit: plurimæ species erunt piscium ejus. Hìc per piscatores nequeunt intelligi Chaldæi, & per venatores Romani, qui judæos in captivitatem agendos, de montibus, collibus, & cavernis petrarum, quasi piscabantur & venabantur; ut autumant judæi. Non est enim hìc sermo de captivitate, ast de reductione ex ea. Dicitur enim v. 15. *Reducam eos in terram suam, quam dedi patribus eorum.* Et ostendendo quomodo illos reducet v. 16. immediatè subdit: *Ecce ego mittam piscatores* &c. *Nec* per piscatores & venatores possunt intelligi Zarobabel, Esdras, ac Jesus Josedec, qui dispersos in Babilone judæos collegerunt, ac ex captivitate reduxerunt: ut vult Rabanus. *Nam* Zorobabel, Esdras, & Jesus Josedec, non fuerant *multi*, simulq; quia eodem tempore floruerant, proinde per piscatores multos, & venatores etiam multos, idq; *post hæc*, i.e. post piscatores, mittendos, intelligi nequeunt. Hinc (juxta D. Hier. *) per Piscatores intelliguntur Apostoli, qui reipsa Piscatores erant, suntq; cum successoribus suis verè multi, quia usq; ad finem mundi duraturi, qui Gentes ex captivitate dæmonis educentes, eas prædicatione sua piscabantur, juxta illud Christi, ad hunc locum fortè Jeremiæ, & Ezechielis, Matt. 4. v. 19 alludentis: *Venite post me, & faciam vos fieri Piscatores hominum.* A quibus Piscatoribus captæ sunt (juxta Ezechielem] *plurimæ species piscium*, i. e. Gentes variæ, humoribus & moribus inter se diversissimæ. Post hos missi sunt multi venatores, viri nempe Ecclesiastici ac Religiosi, qui venantur homines, ut liberos, Sanctos & salvos faciant. *Addo*: quod & ratio ipsa id ostendat. *Nam* Christus idèó erat in hunc mundum venturus, ut homines omnes redimeret, ad se converteret, ac in æternum salvaret, ut *Art. VIII.* ostendi:

P.

* *hìc in Jer.*

stendi: Ergo ad hunc finem debuerat in mundum mittere tales viros, qui id possent præstare. Prophetæ verò anti- qui, aliјq; judæi, ad id præstandum minùs erant idonei; illi enim (ut pote plurimum legi suæ addicti) vellent ad observandam illam Gentes, quæ converterentur, strin- gere, ut Act: 15. v. 1. fecerant aliqui ex circumcisione cre- dentes; hæc autem lex erat improportionata & inutilis, imò post mortifera & exitialis, Gentibus. Proinde non illi, ast Apostoli, à Christo & Spiritu S. habiles redditi, ad convertendum totum mundum, mitti ab eo debuerant.

Q.

Demonstr. Quòd D. JESUS erat Sacramentum Ba- ptismatis instituturus. *I.* Nam Js. 1. v. 16. & sqq. dicit Deus: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perversè, discite be- nefacere: - - - si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana albâ erunt.* Q. d. *Pro superioribus victimis, & holocaustis - - - & neomenijs, sabbato - - - & alijs solemnitatibus* (has enim v. 11. 12. 13. & 14. repudiat) *Evangelij mihi placet religio: ut baptizemini in Sangvine meo per lavacrum regene- rationis: quod solùm potest peccata dimittere. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum cæ- lorum.* Ait hìc D. Hier. Unde fallunt, falluntúrq; rab- bini, dum dicunt Deum hìc præcipere lotiones, lustratio- nes crebraq; baptismata in lege Moysi præcepta. *Tumq;* Hìc (ut dictum) reprobat Deus victimas, holocausta, Sacrificia, Neomeniam Sabbatum, calendas, & alias so- lemnitates Moysaicas: Ergo magis illas lotiones; proinde hìc eas non præcipit. *Tumq;* Per hanc quam hìc præcipit lotionem, dicit omnia fore mundanda & expianda peccata: Ergo hæc lotio non est Moysaica; illa enim expiabat solas

R.

sordes

sordes legales corporis & non mentis. Hinc ad Synagogam
S. Jer. 2. v. 22. dicit Deus: *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in inquitate tua coram me dicit Dominus DEUS.* II. Js. 12. v. 3. & 4. lætabundus dicit Propheta: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris: & dicetis in die illa: Confitemini Domino, & invocate nomen ejus.* Per quas aquas hauriendas de fontibus Salvatoris, nedum intelligitur doctrina Christi, ac gratia, ut vult S. Cyril. Hier. & alij; ast etiam Baptismus ac alia Sacramenta, quæ de vulneribus Christi effluxerunt, ut vult D. Ambros. & Origen. Hinc aliqui * pro: *de fontibus*, vertunt: *De visceribus Salvatoris.* Homines ergo de fontibus seu visceribus Salvatoris haustâ aquâ Baptismatis, illâq; à peccatis suis mudati, ritè confitentur Domino, & invocant nomen ejus, vitam Christianam viventes, illudq,

* *teste* Corn. *hic.*

T. Ps. 67. v. 27. vitâ suâ implentes: *In Ecclesiis benedicite Deo Domino, de fontibus Israël. Simile* huic est illud Zach. 13. v. 1. *In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ.* Per hunc enim fontem, nequit intelligi (ut judæi intelligunt) fons seu piscina Siloe in qua sanabantur infirmi; aut fons templi, á Machabæis extructus, qui ad ablutionem immundorum ac menstruatarum inservijt. *Nam* neuter erat, imò nullus est in mundo fons talis, qui peccata ablueret, peccatoresq; ab eis emundaret, nisi Fons à Christo instituti Baptismi. Quamvis autem in nostro textu dicatur, quòd hic fons futurus sit *in ablutionem* nedum *peccatoris* ast *& menstruatæ*, ex quo judæi inferunt; eum fuisse fontem legalem, pro purificandis immundis ac menstruatis, tamen ad litterã (ut rectè docet Corn:) per peccatores intelliguntur viri, per menstruatas fæminæ peccatis inquinatæ; tam enim
virorum

virorū quàm fæminarū peccata fonte Baptismatis eluuntur, cùm in veteri Lege circumcisio sola peccata masculorum, non autem fæminarum eluerit. Peccata enim in Script. dicuntur esse immunditia menstruatæ, ut Ezech. 36. v. 17. *Juxta immunditiam menstruatæ facta est via eorum coram me.* *III.* Js. 44. v. 3. dicit Deus: *Effundam enim aquas super sitientem, & fluenta super aridam.* Et ne dicant judæi (ut dicunt) id intelligi de imbribus super arentē erram demissis. Statim id explicatur dum subditur: *Effundam Spiritum meum super semen tuum, benedictionem meam super stirpem tuam.* Moxq; ibid. v. 5. addit: *Iste dicet: Domini ego sum: & ille vocabit in nomine Jacob: & hic scribet manu sua: Domino: & in nomine Israël assimilabitur.* Q. d. Quòd is super quem, ut terram sitientem & aridam, (anima enim in peccato est quasi terra arida, juxta Ps. 142. v. 6. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi*) effusurus sit Deus aquas & fluenta, simulq; Spiritum S. & benedictionem (ut nobis contigit in Baptismo, qui in eo Joan. 3. v. 5. renascimur ex aqua & Spiritu S.) appellabit se verum servum Dei, & ab eo accipiet nomen veri fidelis, ac virtutem & potestatem invocandi Deum vero nomine ejus, ita ut eum non invocet ampliùs nomine Jovis, vel aliorum. *Simile* est illud Ezech. 36. v. 25. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Hîc enim per aquam istam mundam nequit intelligi pluvia, terrenorum bonorum affluentia (ut volunt carnales judæi) hæc enim non emundat peccata, imò affluentia terrenonorum bonorum ea sæpe auget; ast Baptismus Christi. *IV.* Js. 52. v. 15. dicitur de Christo, ut & judæi consentiunt: *Iste asperget* (Sangvine suo & Baptismate *) *Gentes multas, & super ipsum continebunt reges os suum:* in nullo ei

U.

W.

* D. Hieron. in hunc loc.

lo ei contradicendo, plenèq; se illi subdendo; ac per omnia in eum credendo) *quia quibus non est narratum de eo*, (ut erant gentiles, per fidem in eum] *viderunt*; *& qui non audierunt, contemplati sunt.* Et id exoptabat David Ps. 50.
X. v. 9. orans: *Asperges me hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor.* Q. d. Ait. D. Hier. * *Lavabis me, per pœnitentiam & baptismum. Et super nivem dealbabor, sicut dixit Esaias: Si fuerint peccata vestra sicut phœniceum, velut nivem dealbabo.* Hinc judæis incredulis rectè improperari potest illud Ezech 16. v. 4. saltem allegoricè (secundùm D. Hier. *) de Baptismo intellectum: *Et quando nata es* (infelix Synagoga) *in die ortus tui - - aqua non es lota in salutem.* Hocq; prævidens in spiritu R. Osea deplorabat dicens: *Rebelles erunt* (judæi) *huic Messiæ; nec respicient dicta quibus imperabit, ut mundentur aquâ mundationis ad expianda peccata sua.* Vide *Art. XIII. lit:* Pp.

* in hunc Ps.

* hic in Ezech

ARTICULUS XVIII.

A. *Quòd D. JESUS instituturus erat Sacerdotium & Sacrificium Melchisedechianum loco Sacerdotij & Sacrificij Aaronici, ubi & de mixtione aquæ cum vino.*

DEmonstr. De Sacerdotio Melchisedechiano loco Aaronici. *I.* Ps. 109. v. 4. dicitur: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Ordo autem, seu ritus Sacrificandi Melchisedech fuit, offerre Deo Altissimo Sacrificium incruentum panis & vini, ut patet Gen. * 14. v. 18. ubi Melchisedech rex Salem, & Sacerdos Dei Altissimi obtulit pa-

* Bereschith.

sit panem & vinum. Differt ergo Sacerdotium cruentum Aaronicum, à Sacerdotio incruento Melchisechiano Christi, aliorumq; ejus Sacerdotum in his potissimum. Quia Sacerdotium Aaronicum fuit ad tempus, sicut & ipse Aaron fuit tantùm ad tempus, & successorem suum Eleazarum nactus, mortuus est Num. * 20. v. 29. Christi autem Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech est prorsus æternum, nam *plures facti sunt Sacerdotes* (summi Aaronici) *idcirco quòd morte prohiberentur permanere: hic autem, eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium.* Hebr. 7. v. 23. & 24. Sacrificium Aaron erat cruentum, i. e. carnes animalium mactatorum; at Christi est incruentum, nempe panis & vinum. Sacrificium Aaronicum erat loco affixum, scil. tabernaculo Moysaico, & post templo Salomonico; non sic autem Melchisedechianum Christi, quòd (juxta Malach. 1. v. 11.) *in omni loco sacrificatur & offertur.* Illud immundum fuit, hinc mundari & lavari indiguit; at hoc est omnino *oblatio munda.* Dum ergo sub jurejurando, & irretractabiliter, ita scil. quòd nunquam hujus eum pænitebit, Sacerdotium Melchisedechianum Christi Deus instituerit, per hoc patenter ostendit, Sacerdotium Aaronicum abrogatum esse. Si enim (fingamus) diceret ad aliquem Deus: Tu es Sacerdos meus in æternum secundum Aaron: patens esset cuivis, illum in æternum Aaronicum sacerdotē futurū, omnî aliô qualicumq; sublato Sacerdotiô. Sic dum hîc Christus, cùm suis vicarijs Sacerdotibus, Sacerdos Melchisedechianus, idq; sub jurejurando, & irretractabiliter, sit institutus à Deo, Sacerdotium Aaronicum jam finem suum accepit. Quamvis autem Deut. * 18. v. 5. de Sacerdote Aaronico etiam dicatur: *Ipsum enim elegit Dominus DEUS* *tuus*

* *Vaiedabber.*

B.

* *Elle Haddebarim.*

C. tuus de cunctis tribubus tuis, ut stet, & ministret nomini Domini, ipse, & filij ejus in sempiternum. Quod judæi possent hìc nobis opponere. Tamen non est par ratio. Christi enim Sacerdotium Melchisedechianum dicitur esse æternum futurum, absolutè & irretractabiliter, quia id *juravit Dominus*, & *non pœnitebit eum*; secus illud Aaronicum, cùm de illo nil simile in textu addct. ponatur. Hinc post, unà cum cruentis suis sacrificijs hoc Sacerdotium Deus abrogaverat, ut ostendo *Art: XXIV.* Non ergo hìc *sempiternum* pro æterno propriè dicto sumitur, ut aliàs in Script: sæpe. Vide. *Art: XXI. lit.* Q. *II.* Js. *19. v.* 19. & sqq. *In die illa erit altare Domini in medio terræ Egypti, & titulus Domini juxta terminum ejus erit in signum - - - Et cognoscetur Dominus ab Ægypto, & cognoscent Ægyptij Dominũ in die illa, & colent eum in hostijs & in muneribus.* Hìc per Ægyptios & Ægyptum, [teste D. Hier. *) intelliguntur Gentiles ad Christum conversi, quos prædicit Propheta altare veri Dei, proindeq; & Sacerdotes, habituros, qui eum colant hostijs & muneribus. Hi autem non erant futuri Sacerdotes Aaronici, (illi enim ex sola tribu Levi, non autem ex alijs tribubus, multo minùs gentilibus, esse debuerant, & Jerosolymis tantùm, non autem in aliquo alio loco, juxta præceptum Dei Deut. * *12. v. 5. 6. 11. 12. 13.* & 14. altare Dei habere, in eoq; hostias Deo offerre potuerant) adèóq; futuri erant Sacerdotes Melchisedechiani, quales nos nunc sumus, in omni loco offerentes vero Deo panis & vini incruenta & munda sacrificia. *Simile* est, & adhuc expressius, illud, Js. 66. v. 20. & 21. *Adducent* (Apostoli, *Art: XVII. lit.* N.) *omnes fratres vestros de cunctis Gentibus donum Domino - - - Et assumam ex eis in Sacerdotes, & Levitas,* (non quidem Aaronicos, ast Melchisedechia-

* in hunc loc.

D.

* Ette Haldebarim.

sedechianos, ob rationem jam datam) *dicit Dominus.* *Neq; dicant Judæi* quò ad imum. Ibi tantùm prædici illud, quod contigit sub Onia, Oniæ Sancti Pontificis (de quo etiam Eccli 50. v. 1. & sqq. ac 2. Mach. 3. v. 4.) improbo filio, qui cùm videret Judæam ab Antiocho, Demetrio, alijsq; Syriæ regibus devastari, impetravit (uti refert Josephus *) à Ptolomæo Philometore rege Ægypti, ut ei in Ægypto, scil. Heliopoli, ædificaret templum, loco Jerosolimitani, à nomine ejus *Onia* dictum, hanc prophetiam Jsaiæ allegans, ac dicens, quòd id Deus jusserit. Quod & factum. *Non dicant* inquam. *Nam* illud templum *Oniæ* semper est à veris Jsraëlitis pro templo hæretico & schismatico (idq; rectè) habitum, non licebat enim tunc (ut jam supra hic dixi) alibi quàm Jerosolymis, Deo, etiam vero. templum vel altare extruere. Hinc in illo templo *Onia* ministrantes & adorantes vocantur prævaricatorum filij ruituriq; prædicuntur Dan. 11. v. 14. ubi dicitur: *Filij quoq; prævaricatorum populi tui* (i. e. posteri illius perversi Oniæ, schisma ejus in illo templo foventes) *extolentur ut impleant visionem,* (illam scil. prophetiam Jsaiæ, quasi hæc illorum schisma prædiceret) & *corruent.* Quod & factum sub Vespasiano, dum illud templum est ad solum usq; deletum, nullumq; penitus restat ejus vestigium, ut refert D. Hier. * & alij. Altare verò de quo hìc Jsaias prædicit, non est reprobatum à DEO, ast laudatum, ac *altare Domini* in quo Egyptij i. e. Gentes, *colent eum in hostijs & in muneribus,* appellatum. *III.* Zach. 6. v. 12. & 13. *Ecce Vir oriens nomen ejus: & subter eum orietur, & ædificabit templum Domino. Et ipse extruet templum Domino: & ipse portabit gloriam, & sedebit. & dominabitur super solio suo: & erit Sacerdos super solio suo.* Hoc

l. 13. Antiqv. c. 6.

E.

* *in hunc versum Dan.*

F.

verificari nequit de Zorobabel, qui è captivitate Babilonica judæos eduxit, dirutumq; templum extruxit; ut autumant judæi. *Nam* hìc nulla est mentio de Zarobabel; illeq; nequit nominari *Vir Oriens* cùm hoc sit nomen proprium solius Messiæ; nam utiq; de Messia dicitur (ut & judæi fatentur) Malach. 4. v. 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ.* Hinc pro: *Ecce Vir Oriens nomen ejus.* Chald. vertit: *Ecce, cujus nomen est Messias. Deinde:* Deus ibi Zach: 3. v. 8. promittit hunc Orientem posthac usq; futurum, dicens: *Adducam Servum meum Orientem.* Zarobabel verò, non erat tunc futurus dum Zacharias prophetaverat, ast actu præsens, & vivens, cùm 1. Esdræ. v.
G. 1. & 2. dicitur: *Prophetaverunt autem Aggæus Propheta & Zacharias filius Addo, prophetantes ad Judæos, qui erant in Judæa & Jerusalem, in nomine Dei Jsrà l. Tunc surrexerunt Zorobabel filius salatiel & Josue filius Josedec, & cœperunt ædificare templum Dei in Jerusalem, Demum:* Hic Oriens, de quo hìc agitur futurus erat *Sacerdos super solio suo:* Ergo non est Zorobabel; ille enim non erat, nec poterat esse Sacerdos quia de tribu Levi non erat, ut Sacerdotes Aaronici (qui tunc tantùm Sacerdotes veri fuerant) esse debuerant; ast de tribu Juda. Est ergo hìc sermo de Christo, qui nedum futurus erat Rex & Princeps, ast etiam Melchisedechianus Sacerdos, ejus ordinis Melchisedech, nos quoq; Sacerdotes, substitutos suos instituens.

Demostr. De Sacrificio Melchisedechiano, Nam *I.* Num. * 15. v. 4. & 5. prædicit DEUS per Moysen Sacrificium Melchisedechianum, dicens: *Offeret quicumq; immolaverit victimam, Sacrificium similæ, - - - & vinum ad liba fundenda.* En hìc præcipit offerri Sacrificium similæ, seu panis, ex medulla farinæ triticeæ (id enim est simila) confecti;

* *Vaieddaber.*

confecti, & vini libamen; quod sacrificium dixit Moyses *Toda*, i. e. *laudis*, quale cæteris sacrificijs veteris Legis Deus ipse prætulit Ps. 49. v. 13. & 14. dicens: *Numquid manducabo carnes taurorum? aut Sangvinem hircorum potabo? Immola Deo Sacrificium laudis.* Nostrum autem Melchisedechianum Panis & Vini Sacrificium, est proprijssimè *Sacrificium laudis*, per illud enim Deus cultu Latreutico, illi soli proprio, honoratur, in eoq; Christus, Deus verus & Homo, qui Ps. 21. v. 4. est *Laus Israël* verè & realiter continetur. Hinc in eod. Ps. 49. v. 23. dicitur: *Sacrificium laudis honorificabit me: & illic* (per hoc nempe Sacrificium Eucharisticum dignè factum] *iter, quo ostendam illi Salutare Dei.* II. Os. 14. v. 8. *Coovertentur sedentes in umbra ejus:* (puta Christi) *vivent tritico, & germinabunt quasi vinea: memoriale ejus quasi vinum Libani.* Simile est Zach. 9. v. 17. *Quid enim bonum ejus est, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines.* En in utroq; hoc textu clarè ponitur & triticum seu frumentum electorum, & vinum germinans virgines, panis nempe & vinum, quo in Sacrificio Eucharistico utimur, ac quô nullum est Sacrificium melius ac pulchrius. Hic enim panis, est panis (Matt. 6. v. 11.) supersubstantialis, hoc Vinum, non est vinum *in quo* (Ephes. 5. v. 18.) *est luxuria*, ast quod germinat virgines, castas nempe à peccatorumq; sordibus emaculatas animas. Illo triticô vivimus, cùm sit frumentum electorum, & panis *qui* (Joan. 6. v. 33.) *de cælo descendit, & dat vitam mundo* ac quem *qui* (ibid. v. 59.) *manducat vivet in æternum.* III. Malach. 1. v. 10. & 11. protestatur Deus: *Non est mihi voluntas in vobis*, (judæi) *dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usq;*

ad occa-

ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus: & in omni loco Sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. Ubi reijcit Deus cruenta sacrificia Aaronica, ac instituit offerendam sibi
K. à Gentibus in omni loco, à solis ortu sq; ad occasum, oblationem mundam Panis, & Vini Eucharistici. *Nequeunt* enim per hanc oblationem mundam intelligi preces judæorum, quas fundunt inter Gentes dispersi, uti illi somniant. *Nam* hìc Deus Sacrificia Aaronica reijcit, quæ erant propriè dicta sacrificia, eisq; oblationem illam mundam, in omni loco sibi offerendam opponit, proinde & hæc esse debuerat propriè dictum Sacrificium: Ergo hæc oblatio non sunt preces judaicæ; preces enim non sunt proprie Sacrificiũ. *Item:* Dicit, de oblatione offerenda, non à judæis, de quorum manu ait se munus non suscepturũ, ait à Gentibus, inter quas dicit magnum (i. e. magnificatum & glorificatum) esse nomen suum, ut ante Ps. 75. v. 2. dicebatur: *In Israel magnum nomen ejus:* Ergo de
L. precibus judæorum non dicit. *Item:* Preces nedum judæorum, ast etiam quorumcumq; & qualiumcumq: mortalium, natorum in peccatis hominum, nequeunt dici undequaq; *oblatio munda;* pluribus enim scatent defectibus
*: *Miské.* & imperfectionibus. Hinc Prov. * 20. v. 9. dicitur: *Quis potest dicere: Mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Pandunt ergo plusquam diabolicam superbiam suam maledicti pharisæi, dum misellas, imò impias preces suas (quibus gratiores sunt Deo latratus canum, aut grunnitus suum) oblationem mundam vocitare audent: verificantq; in se illud Prov. 30. v. 12. *Generatio, quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus suis.* *Adde*, omnia illa, quibus hìc supra probatum, quòd Sacerdotium Melchisedechianum loco Aaronici instituendum erat; Sacrificium.

ficium enim & Sacerdotium sunt correlativa, mutuòq; sibi connexa. Et illud Gen. * 27. v. 37. *Frumentô & vinô stabilivi eum, & tibi post hæc, fili mi, ultrà quid faciam.* Et Deut. * 33. v. 28. *Oculus Jacob in terra frumenti & vini.* Et Ps. 4. v. 8. A fructu frumenti, vini, & olei sui, (puta unctionis & Confirmationis Spiritûs S.) *multiplicati sunt.* Et Joel 2. v. 19. *Ecce ego mittam vobis frumentum & vinum.* &c. His enim, si non ad litteram, certè saltem propheticè & allegoricè, Sacrificium & Sacramentum Eucharisticum præsignatur.

* Beresith

* Elle Haddebarim.

M.

Demonstr. De mixtione aquæ cum vino. *Nam* Prov. * 9. v. 1. & 2. dicitur: *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. Immolavit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam.* Utq; intelligatur, quales erant hæ victimæ, mox v. 5. subditur: *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis.* En Sapientia increata Christus postquam sibi ædificaverat domum, i. e. Ecclesiam, septem donis Spiritus Sancti, quasi septem columnis stabilitam, posuit quoq; mensam in ea, victimas suas, i. e. Panem Eucharisticum, immolando, & Vinum cum aqua (ut solebant veteres *) miscendo. Hinc & R. Samuel Marochianus l. de Adventu Messiæ. c. 20. * aquam vino esse miscendam in Eucharistia, ex hoc loco colligit. *Dum* autem dicunt judæi: Quòd nunquam legatur in Script. quòd aliquis (ut nos in Sacrificio Eucharistico facimus) aquam Deo obtulerit. *Falsum* dicunt. *Nam* (præter dicta hic de Sapientia) 2. Reg. * 23. v. 16 legitur, quòd David allatam sibi aquam à tribus suis militibus de cisterna Bethlehem *noluit libere, sed libavit eam Domino.* Elias quoq; 3. Reg. * 18. v. 32. & sqq. infundi jussit per tres vices copiosam aquam supra Sacrificium,

* Misle.

* teste Corn. hic.

* eod. & ibid. teste.

N.

* Samuel.

* Malachim.

& cecidit ignis de cælo, nedum ligna, holocaustum, lapidesq; comburens, ast etiam ipsam aquam lambens. Item 3. Reg. 19. v. 6. cibavit Eliam Angelus subcinericio pane & aqua Sacrificium Eucharisticum figurante. H s.

Accedunt veteres Rabbini mirabiliter hancce veritatem agnoscentes. Illi enim dicunt * Messiam mutationem quandam miram in frumento facturum; puta (quod fortè non intelligebant) transsubstantatione panis in Corpus suum. Hocq; aiunt prædici in illo Ps. 71. v. 16. *Et erit firmamentum in terra in summis montium.* Quòd R. Jonathan sic vertit: *Erit placenta tritici in vertice Sacerdotum.* Hinc inferunt, Sacrificium Panis tempore Messiæ fore delicatissimum. Clariùs adhuc R. Pinnas filius Jabir *Comm. c. 28. Numerorum*, d cit: *Tempore Messiæ omnia sacrificia cessabunt, & Sacrificium Panis & Vini nunquam cessabit, & sicut dictum est, Melchisedech obtulit panem & vinum, id est Messias Rex totius mundi justissimus * accepit Panem & Vinum, hoc est seperabit à cessatione sacrificiorum Sacrificium Panis & Vini, ut dictum & Ps. 109. Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Et clarissimè R. Haccados ex R. Simeone, *l. revelat. secretorum* ait: *Hoc est Sacrificium, quod postquam venerit Massias facient Sacerdotes coram DEO Sancto & Benedicto. Tunc enim cessabunt omnia sacra quæ priùs fiebant. Facient autem Sacrificium illud ex Pane & Vino. Tunc DEUS misericordiâ implebitur; & virtute ingenti Sanctorum verborum, quæ ab ore Sacerdotum manabunt, illud, & omne Sacrificium, quod in unaquaq; Ara celebrabitur, in Corpus Messiæ convertetur.* Hæc ille. At quid clarius Christianus Doctor, nunc vivens, & hæc videns, diceret, quam hic Rabbi, qui ante hæc vixerat? ita ut moderni judæi & hæretici sint omnino inexcusabiles.

* teste Conr. in Oseè 14. v. 8.

O.

* Melchisedech, quasi Melech Jsedech interpretatur: Rex justitiæ

ARTI-

ARTICULUS XIX. A.

Quòd D. JESUS erat judæos reprobaturus, Gentes verò ad ſe converſas, tum nomine Abrahæ ac Jſràëlis, tum etiam aliô novô, Chriſtianorum nempe, vocaturus.

Demonſt. I. Nam 4. Reg. * 17. v. 18. & ſqq. dicitur *Jratusq; eſt Dominus vehementer Jſràëli, & abſtulit eos à conſpectu ſuo, & non remanſit niſi tribus Juda tantummodò. Sed nec ipſe Juda cuſtodivit mandata Domini Dei ſui: verùm ambulavit in erroribus Jſràël, quos operatus fuerat. Projecitq; Dominus omne ſemen Jſràël, & afflixit eos,* (per captivitatem Babilonicam 70. annorum) *& tradidit eos in manu diripientium,* (Chaldæorum) *donec* (poſt Chriſtum ab eis occiſum, finaliter & irrevocabiliter) *projiceret eos à facie ſua.* En miſeri judæi, pro perduellione in D. Jeſum, jam ſunt planè projecti & reprobati à Deo, ita ut ſuæ captivitatis, plus quam per 1700. annos ſuſtinent, finem expectare non poſſint, niſi in Chriſtum credant, ſicq; libertate filiorum Dei donati, tum hanc temporalem, tum æternam infernalem captivitatem evadant. Conſonat his Pſaltes, nam Pſ. 17. v. 46. dicit de judæis DEUS: *Filij alieni* (i. e. filij non mei, quia à me rejecti & reprobati) *mentiti ſunt mihi, filij alieni inveterati ſunt & claudicaverunt à ſemitis ſuis.* Vide ſuper hoc D. Hier. addꝏt. ſupra *Art. XI. lit.* L. & M. Et clariùs Pſ. 80. v. 12. & 13. *Et non audivit populus meus vocem meam: & Jſràël non intendit mihi. Et dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus ſuis.* Hoc contigit judæis, B.

* Malachim.

qui quòd vocem Dei non audierunt, Christiq; Messiædictis & doctrinis non intenderunt, eumq; pro Messia impiè non agnoverunt, à Deo derelicti ac reprobati, in sensumq; reprobum dati, secundùm desideria cordis sui sunt dimissi, ut malè vivant, pejùs de Deo sentiant, ac pessimè eundem Deum, Christumq; ejus, blasphement; sicq; infeliciter
C. in his perversis suis adinventionibus eant, donec ad terminum æternæ damnationis perveniant. II. Ex Isaia & Jeremia. *Nam* Is. 3. v. 1. & sqq. dicitur: *Ecce enim dominator Dominus exercituum auferet à Jerusalem, & Juda validū & fortē, omne robur panis, & omne robur aquæ; & virū bellatorē, judicē, & prophetā, & ariolū, & senē; principē super quinquaginta, & honorabilem vultu, & consiliariū, & sapientem de architectis, & prudentem eloquij mystici* Hìc prædictum, quòd omnia divina præsidia, ac bene beatèq; vivendi adminicula, à judæis erant auferenda. Ita, ut auferatur ab eis vir validus fortis, qui illos tueatur ab injuriis; & omne robur panis & aquæ, tum corporalis, ut fame contabescant & pereant, ut contigit maximè sub Tito in obsidione Jerusalem: tum spiritualis quàm maximè, cùm sint pronunc gratiâ divinâ carentes, ac sine alimento Verbi Dei, famentes, ut Amos 8. v. 11. prædictum: *Mittam famem in terram: non famem panis neq; sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini;*
D. insuper nunc hi miserrimi destituuntur prophetis, judicibus, principibus, & senibus, consiliarijs ac sapientibus, & maximè prudentibus eloquij mystici, i. e. viris spiritualibus, quos nunc nullos habent, licet ijs etiam in captivitate Babilonica (ut mox hìc dicam) non caruerant; at loco horum, diabolus eis substituit insensatos rabbinnos, qui non verbum divinum, aut aliquam spiritualem doctrinam, ast veras merasq; nugas & nænias Thalmudicas, illis

prædi-

prædicant. Hinc Is. 2. v. 5. & 6. dicitur: *Domus Jacob* (i. e. omnes in Christum credentes, hi enim, secundùm fidem & spiritum, hoc nomine sunt vocandi, ut ostendo demonstr. sqq.) *venite, & ambulemus in lumine Domini. Projecisti enim populum tuum, domum* (carnalem) *Jacob.* Consonat his Jeremias. Nam Jer. 6. v. 30. dicitur de judæis: *Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos.* Et Jer. 7. v. 29. ad eundem Prophetam dicit Deus: *Tonde capillum tuum & proijce, & sume in directum planctum: quia proiecit Dominus, & reliquit* (judæos, de quibus ibi expressè) *generationem furoris sui.* Et ne dicant judæi, hæc dici de imminente captivitate Babilonica. En Jer. 18. v. 17. id quasi explicatur, dum dicitur: *Sicut ventus urens dispergam eos coram inimico: dorsum, & non faciem ostendam eis in die perditionis eorum.* In captivitate autem Babilonica id non factum. Nec enim tunc Deus eos, ut ventus urens, per orbem totum dispersit, ast in Babilonem tantùm transmigrare fecit, licet pauci, Jer. 43. & 44. contra voluntatem DEI in Ægyptum fugerint, inibiq; perierint. Nec in Babilone eos perdidit, ast per 70. annos conservavit. Nec faciem ab eis avertit, providebat enim eis etiam spiritualia per Prophetas, Jeremiam, Baruch, Ezechielem, Danielem, aliosq; viros Sanctos, ita, ut per eos etiam liberationem illis è captivitate illa appromitteret. Factum est ergo hoc, post perpetratum ab illis Christicidium, sunt enim nunc toto orbe dispersi, vixq; non omnes erant à Tito, Adriano, alijq; fame, siti, ac cæde consumpti, & nullum habent prophe m qui eis ex captivitate hac liberationem promitteret, Deum ; aliquando illos respecturum, nuntiaret. Imo, (quod est notandum) Christus Deus verus & Homo, tempore Passionis suæ, (quod, dies perditionis perfi- E. F.

dorum judæorum erat) ad literam & propriſſimè dorſum & non faciem eis oſtendit. Nam (teſte Franc. Luca *) judæi ita Crucem Chriſti erigi procurârunt, ut ille dorſum ſuum orienti, urbiq; Jeroſolimitanæ obverteret, facieſq; ejus occidentem reſpiceret, eô quidem conſiliô, quaſi foret indignus urbem Sanctam templumq; reſpicere, at divina prædefinitione & decreto, ut ſcil. judæos reprobaret, ac Gentes (nos nempe qui in occidente conſtituti ſumus) oculis Miſericordiæ ſuæ reſpiceret, ad ſeq; attraheret, proinde hanc prophetiam Jeremiæ impleret: *Dorſum & non faciem oſtendam eis*, *in die perditionis eorum*. Et illam alteram Pſ. 65. v. 7. *Oculi ejus ſuper Gentes reſpiciunt*.

* in Matt. 17. v. 35.

G. III. Ex alijs Prophetis: *Nam* Dan. 9. v. 26. dicitur: *Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt.* Quæ ultima verba veteres hebræi, teſte D. Hier. * ſic legunt: *Non erit illius imperium, quod putabat ſe redempturum.* Q. d. Incredulos judæos Chriſtus reprobabit ac abijciet, ad quos tamen redimendos quaſi primariò principaliter venerat. Et Oſ. 1. v. 6. *Voca nomen ejus Abſq; miſericordia: quia non addam ultrà miſereri domui Jſráël, ſed oblivione obliviſcar eorum.* Et ibid. v. 9. *Voca nomen ejus: Non populus meus: quia uos non populus meus, & ego non ero veſter.* Et Oſ. 9. v. 17 *Abijciet eos Deus meus, quia non audierunt eum: & erunt vagi in nationibus.* Et Amos 5. v. 1. & 2. *Domus Jſráël cecidit, & non adijciet ut reſurgat. Virgo Jſráël proiecta eſt in terram ſuam, non eſt qui ſuſcitet eam.* Et quamvis hæc Oſee & Amos, de captivitate Aſſyriaca domûs Jſráël, ſeu decem tribuum (ex qua illæ nunquam ſunt dimiſſæ, aſt ſucceſſu temporis in Tartaros Machometanos mutatæ, ut cum Genebr. refert Corn. à Lap. *) primariò & directè, intelligi debeant, meritó tamen de hac quoq; captivitate

* in hunc loc.

* in 4. Reg. 17. v. 6.

ptivitate intelliguntur, in qua nunc ſunt judæi, illamq; H.
compraedicunt, & conſignificant. patenter enim videmus, quòd eis hæc omnia nunc eveniant.

Demonſtr. Quòd Gentes ad Chriſtum converſæ erant ab eo nomine Abrahæ, & Jſràélis vocandæ. 1. Ex Lege. *Nam* Gen. * 12. v. 3. dicit Deus ad Abram: *In te benedicentur univerſæ cognationes terræ.* Et Gen. 28. v. 14. ad Jacob, ſeu Jſràél: *Benedicentur in te & in ſemine tuo cunctæ tribus terræ.* Q. d. O Abram, ô Jacob, ſeu Jſràél, omnes Gentes, in Deum, & Chriſtum ejus credentes, dicentur, ſimul & erunt, filij & poſteri veſtri, ita ut meritò Abrahamitæ & Jſràélitæ appellari debeant. Quomodo enim in Abram, & Jſràél omnes Gentes fideles benedici poſſent, ſi filij eorum ſpirituales, per fidei & pietatis imitationem non eſſent, & ob hoc, Abrahamitæ & Jſràélitæ, non mererentur vocari. Hinc dum eundem Abram Gen. 17. v. 5. vocat Deus Abraham, dicit ad eum: *Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram: ſed appellaberis Abraham: quia patrem multarum Gentium conſtitui te.* Carnales autem filij vel nepotes Abrahæ non ſunt Gentes multæ; Jſràélitæ enim, ex ipſo, per Iſaac & Jacob, deſcendentes, ſunt duntaxat gens una, Jſmaelitæ quoq; ab eo ex Agar, & Madianitæ ex Cetura geniti, ac Idumæi à filio ejus Jſaac generati, ſunt tantùm tres gentes non multæ. Soli ergo credentes in verum Deum & Chriſtum, fidemq; ac religionem Abrahæ (qui, Joan. 8. v. 56. *deſideravit ut videret diem* Chriſti, *vidit & gaviſus eſt*) imitantes, ſunt Gentes multæ, totum orbem implentes; ſuper quas patrem Deus conſtituit eum, ita ut illæ, ſpiritum ejus quaſi genuini filij imbibentes, ſint veri Abrahamitæ, proindeq; & Jſràélitæ, req; ipſa ſic vocari debeant. Et meritò. Nam etiam Jacob quia jus primogenituræ, proinde

* Bereſith

I.

& reli-

K. & reliquas prærogativas tunc primogenitis debitas, ab Esau Gen. 25. v. 33. flocci hæc faciente, justè emerat, rectè se post Gen. 28. v. 19. appellavit *Esau*, dicens ad patrem suum Jsaac: *Ego sum primogenitus tuus Esau*; ut & nos, judæis Christum despicientibus, & occidentibus, in eorum locum, omniaq; privilegia ac prærogativas surrogati, jure *filij Abrahæ* & *Jsràël* vocitari meremur. II. Ex Jsaia. *Nam* Jf. 44. v. 5. dicitur: *Iste dicit: Domini ego sum:* (i. e. omnis credens in Christum, quantumvis olîm gentilis, confitebitur se esse Servum DEI) *& ille vocabit in nomine Jacob*: (i. e. vocabitur Jacobæus, seu Jsràëlita, Jacobi, & Abrahæ, per fidei & virtutis eorum imitationem, filius; hìc enim, ut vult Forerius, non debet legi: *iikra* i. e. *vocabit*, ast: *iickare*, h. e. *vocabitur*) *& hic scribet manu sua: Domino: & in nomine Jsràël assimilabitur.* Q. d. Hic & ille, ex pijs Christi fidelibus profitebitur se ad famulitium & servitium Domini pertinere, illiq; se æviternè inscribet ac devovebit, ac omnia opera sua illi dedicabit; sicut pij authores, operibus ac libris à se editis, inscribunt: *Deo Opt. Max.* Vel: *Deo sit laus, & gloria.* Vel: *Ad majorem DEI gloriam.*

L. Vel quid simile. Insuper quivis eorum in nomine Jsràël

* assimilabitur, i. e. simili nomine (ait Corn. *) vocabitur,

in hunc loc. puta: fidelis & Sanctus Jsràëlita, Jsràëli, Sancto & fideli Patriarchæ, persimilis, ita ut ultrà non vocetur gentilis vel paganus, quãvis ex gentilibus & paganis sit ortus. Hinc Jf. 65. v. 15. judæis dicitur: *Dimittetis nomen vestrũ in juramentũ electis meis.* Quod explicans D. Hier. * ait *Hoc dicendum, quòd nomen suum derelinquant electis Domini, ut pro illis Gentium turba succedat, & ipsi appellentur filij Abraham & Jsràël, de quibus Paulus loquitur: Pax super eos. & super Jsràël Dei.* III. Ex Ezechiele alijsq; Prophetis. *Nam* Ezech. 16. v. 3. dicit Deus

cit Deus

cit DEUS ad Jerusalem: *Radix tua, & generatio tua, de terra Chanaan pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.* Simile quid est Js. 1. v. 10. ubi DEUS Judæos alloquitur dicens: *Audite verbum Domini principes Sodomorum; percipite auribus legem Dei nostri populus Gomorrhæ.* Et Dan. 13. v. 56. (quamvis hoc caput judæi non recipiant gratis *) seni improbo dicit Daniel. *Semen Chanaan & non Juda.* Hic dum dicitur quòd pater Jerusalem seu judæorum sit Chana Amorrhæus & mater Cethæa seu Hethæa, * quòd sint principes Sodomorum & populus Gomorrhæ, ac semen Chanaan & non Juda, idem est acsi diceretur: Licet vos judæi sitis carnaliter ex Abraham & Sara oriundi, postq; per duodecim tribus disseminati ab Jsraël, tamen per imitationem, morumq; similitudinem, videmini esse ex Amorrhæis, Cethæis, Sodomitis, Gomorrhæis ac Chananæis progeniti. Et judæi licet secundùm carnem procedant ab Abraham & Jsraël, tamen quia à fide illorum & pietate defecerant, non sunt, juxta ipsiusmet Dei judicium, Abrahamitæ vel Jsraëlitæ dicendi, ast pagani, Amorrhæi scil. Hethæi, Sodomitæ, Gomorrhæi, Chananæi, imò diabolici, juxta illud Christi ad eos Joan. 8. v. 44. *Vos ex patre diabolo estis.* Ergo è contra qui fidem & virtutem Abrahæ ac Jsraëlis imitantur sunt Abrahamitæ & Jsraëlitæ vocandi; differentia enim carnis & sangvinis eos apud Deum (qui Deut * 10. v. 17. *personam non accipit*) non diversificat, ast fidei & virtutis. Deus enim pluris facit spiritum cum dotibus, virtutibus, ac pietate illius, quàm carnem cum sua nobilitate & genere. Et in hoc sensu S. Joannes Baptista Matt. 3. postquam jam judæos appellasset progeniem viperarum, mox subdit v. 8. & 9. *Et ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham. dico enim vobis quoniam potens est*

Deus

* *dixi in Præf. ad Lector.*

M.

* *hic Cethæa ponitur pro Hethæa, vide Corn.*

* *Elle Haddebarim.*

N.

Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Et Christus Luc. 19. v. 9. Zachæum in se credentem, & hôc ipsô fidem Abrahæ imitantem, licet aliàs (secundùm plures) gentilem, dicit esse filium Abrahæ: *Hodie salus domui huic facta est: eò quòd & ipse filius sit Abrahæ.* Et D. Paulus Rom. 9. v. 6. & sqq. dicit: *Non enim omnes qui ex Jsráél, sunt, ij sunt Jsráélitæ: neq; qui semen sunt Abrahæ, omnes filij: sed in Jsaac vocabitur tibi semen: id est non qui filij carnis, hi Filij Dei; sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine.* Hinc *Infer:* Fidem Abrahæ, Jsaac, & Jacob, imò etiam Adæ, Nòé, Moysis, David, reliquorumq; Prophetarum, ac omnium Justorum,
O. ante Christum viventium, quò ad substantiam, eandem esse cum nostra, & nostram, cum fide illorum, quamvis accidentaliter, & quò ad modum differat. Credebant enim illi ita in Deum verum, uti & nos credimus, licet non omnes Deum esse Trinum in Personis (id enim illis omnibus revelatum non erat) agnoscebant; parati hoc tamen credere si revelatum haberent. Credebant in Christum, licet adhuc venturum, in illumq; (ut & nos nunc) sperabant. Hinc vetus illa Religio Abrahamitica, Jsráélitica & Moysaica, cum Religione nostra Christiano-Catholica, habet se per modum unius ejusdemq; sideris quod est prorsus idem quò ad substantiam, quò ad nomen verò, & connotatum, diversum; quia enim solem oriturum præcedit, vocatur *Phosphorus*, at quia occidentem subsequitur, appellatur *Hesperus.* Sic quoq; veteres Patriarchæ & Justi, ante Chri-
P. stum viventes, quia Solem Justitiæ Christum venturum præcedebant, in eumq; credendo, ejus Adventũ quasi præcurrebant, potuerant, possuntq; Christiani dici, Christum præcedentes, illum expectantes, ac in eum credentes; qui enim credit in Christum, ille utiq; Christianus est. Nos

quoq;

quoq; Christum subsequentes, quia post Adventum ejus viventes, pariter sumus Christiani, velut idem, ast alio paulisper nomine vocitatum sidus, quia Christum, ut ejus imitatores subsequimur, illumq; ut jam natum, passum, mortuum, & resuscitatum, credimus, & colimus. Et hinc D. August. * dicit: *Ante Adventum Domini nostri Jesu Christi, quo humilis venit in carne, præcesserunt Justi sic in eum credentes venturum, quomodo nos credimus in eum qui venit. Tempora variata sunt, non fides: quia & ipsa verba pro tempore variantur, cùm variè declinantur. Alium sonum habet, venturus est: alium sonum habet, venit. Mutatus est sonus, venturus est, & venit: eadem tamen fides utrosq; conjungit, & eos qui venturum esse, & eos qui eum venisse crediderunt.* Et alibi * ait: *Res ipsa, quæ nunc Christiana Religio nuncupatur, erat & apud antiquos nec defuit ab initio generis humani, quoadusq; ipse Christus veniret in carne, unde vera Religio, quæ jam erat, cæpit appellari Christiana.* Et ideò S. Greg. Papa *Hom.* 19. *in Evang.* * Ecclesiam Christi ab exordio mundi statim esse exortam non minùs piè ac doctè deducit. Nos igitur Christicolæ meritò ijsdem nominibus, ut & illi ante Christum viventes, appellandi venimus, ita, ut Abrahamitæ, Israëlitæ, quinimò & Judæi, i. e. Deum verum laudantes & confitentes, (id enim ex hebr. *Juda* seu *Jehuda* significat) vocari debeamus. Et Ecclesia Christi spiritualiter appellari debet: Domus Jacob, Domus Israël, Domus David, Mons Sion, Civitas Regis Magni, Civitas Sancta, Jerusalem &c. Hinc D. Aug. * de justis Christianis dicit: *In occulto Judæi sunt, circumcisione cordis.* Secus est de modernis judæis, perfidis, in Deumq; ac Christum ejus perduellibus, & à Sanctis Patriarchis illis penitus degeneribus, hi enim nequaquam sunt digni his titulis, ast illis, quos eis Deus per Moysen Prophetas

* *Tract.* 45. *in Joan.*

* *l.* 1. *Retract. c.* 13.

Q.

* *vide etiam Dominica Septuagesimæ.*

* *l.* 5. *de Baptis. contra Donatistas.*

R.

* Ille Haddebarim.

psumq; Christũ appropriat. Ut quòd sint, Deut. * 32. v. 20. generatio perversa, & infideles filij; quòd sint ibid. v. 28. gens absq; consilio, & sine prudentia; quòd sint, Js. 1. v. 3. gens peccatrix, populus gravi iniquitate, semen nequam filij scelerati; quòd sint, ibid. v. 10. principes Sodomorum, & populus Gomorrhæ; quòd sint, Js. 30. v. 1. filij desertores, quibus væ; quód sint, Js. 49. v. 6. fœces inter homines; quòdq sint, Js. 57. v. 4. filij auguratricis; semen adulteri, & fornicariæ; quòd sint, Jer. 3. v. 3. quorum facta est frons mulieris meretricis, quæ noluit erubescere; quòd sint, Jer. 6. v. 30. argentum reprobum, quod projicit Dominus; quòd sint, Jer. 7. v 29. generatio furoris Domini; quòd sint, Ezech. 2. v. 3. gentes apostatrices, quæ recesserunt à Deo, ac filij dura facie, & indomabili corde; quòd sint, Domus ibid. v. 5. exasperans; quòd sint, Ezech. 3. v. 7. attrita fronte, & duro corde; quòd sint, Ezech. 16. v. 3. quorum pater Amorrhæus, & mater Cethæa; quòd sint Dan. 9. v. 26. non populus Christi, & Os. 1. v. 9. non populus DEI; quòd sint Matt. 3. v. 7. progenies viperarum; quòd sint, Matt. 23. v. 33. serpentes genimina viperarum; quòd sint, Joan. 8. 44. ex patre diabolo, & desideria patris sui volunt facere; quòd, Apoc. 2. v. 9. dicunt se esse judæos, & non sunt, sed sunt Synagoga sathanæ; & alia plura.

S. Demonstr. Quòd D. JESUS Gentes in se credentes vocaturus etiam erat nomine novo, i. e. Christianos. Nam Js. 61. v. 3. dicitur: *Vocabuntur in ea* (Ecclesia Christi) *fortes justitiæ, plantatio Domini ad glorificandum.* Ubi per fortes justitiæ intelliguntur Christi Martyres, qui pro fide & justitia fortiter dimicabant; per plantationem autem Domini ad glorificandum, intelliguntur Confessores, confitentes & glorificantes Christum. Et Js. 62. v. 2. *Vocabitur tibi nomen*

men novum, quod os Domini nominabit. Hoc impletum Act: 11. v. 26. dum primùm Antiochiæ cognominati sunt Discipuli *Christiani.* Et Js. 62. v. 12. *Vocabunt eos, Populus Sanctus, redempti à Domino.* (i. e. Christo Redemptore mundi) *Tu autem* (Ecclesia) *vocaberis: Quæsita Civitas, & non Derelicta.* Et Js. 65. v. 15. *Servos suos vocabit nomine alio.* Ubi *nomen aliud* (ait D. Hieron. *) *est, nisi quod ex Christi nomine derivatur*; i. e. Christiani. Et Jer. 14. v. 9. *Tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum invocatum est super nos.* Q. d. *Nomen tuum invocatum est super nos, ut appellemur Christiani.* Dicit hìc D. Hier. Et Os. 1. v. 10. *Et erit in loco ubi dicetur eis: Non populus meus vos: dicetur eis: Filij Dei viventis.* Et Os. 2. v. 24. *Et dicam non populo meo: Populus meus es tu: & ipse dicet: DEUS meus es tu.* T.

* *hìc in Isaiam.*

ARTICULUS XX.

Quòd, præter Moysen, futurus erat Legislator Novæ Legis Messias.

Tam extremè sunt excæcati Judæi, ut etiam clarissimas, ac ultro sese oculis ingerentes veritates Fidei, quas in Verbo Dei, Lege scil. & Prophetis, nedum oculis suis possent per spicere, at etiam manibus velut contrectare, nec videre, nec sentire velint Hinc negant quoq; esse in Script. prædictum, quod post Moysen erat futurus alius Legislator. Aid, contra cæcitatem illorum & imperitiam. A.

Demonstr. *Ex Lege.* Deut. * 18. v. 15. dicit Moyses ad eos: *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus DEUS tuus: ipsum audies.* Et ibid. v. 18. & 19. ipse Deus dicit: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: & ponam verba mea in ore ejus, lo-*

* *Elle Haddebarim.*

queturq; ad eos omnia quæ præcepero illi. qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego ultor existam. En hîc à DEO promittitur suscitandus de Israëlitis post Moysen Propheta, talis, non in alio, ast in potestate legislativa sicut Moyses, ac in hoc ei similis, ex quo clarè patet, quòd post Moysen alius erat futurus Legislator, qui (ut erat congruum) debuerat esse Messias. *Neq; dicant* judæi: Hæc dici de Josue filio Nun, qui loco Moysi surrexit, ac in terram promissionis Israël introduxit. *Non dicant*

B. * *Vaiedabber.* inquam *Tumq;* Num. * 27. v. 18. jam expressè antea dixit Deus de Josue successuro Moysi: *Tolle Josue filium Nun, virum in quo est Spiritus, & pone manum tuam super eum.* & cætera ibi. Ergo hìc Deut. 18. non fuerat Josue Moysi successurus tam obscurè prædictus, qui jam antea expressè ad hoc munus erat designatus; ad quid enim Moyses hìc obscurè prædiceret, quem jam antea clarè designaverat? *Tumq;* De Josue in citt. Num. 27. v. 20. dicit DEUS ad Moysen: *Dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ:* Ergo Josue *sicut* Moyses, vel *similis* Moysi non fuerat, uti ille Propheta esse debuerat; nam Moyses ex mandato Dei non dedit Josue totam gloriam suam, ast tantùm partem illius. *Tumq;* Josue non erat Legislator ut Moyses: Ergo nec ei similis; in potestate enim legislativa similis ei esse deberet, si illi similis foret; in miraculis enim alij quoq; Prophetæ similes illi fuerant, quia similia ut ille miracula perpetrabant ut Elias 4. Reg. * 2. v. 8. & Eliseus

* *Malachim.* ibid. v. 14. aquas Jordanis. ut & Moyses aquas maris rubri dividendo; Eliseus ibid. v. 22. aquas pessimas in optimas, ut & Moyses Exod. * 15. v. 25. amaras in dulces

C. * *Veelle Semoth.* transmutando; Eliseus 4. Reg. 4. v. 42. & sqq. pane miraculosè multiplicato, ut & Moyses Exod. 16. v. 12 & sqq. manna

manna de cælo demisso, famelicos satiando, Zorobabel 1. Esdræ 2. v. 2. Jsráél è captivitate Babilonica, sicut Moyses Exod. 12. v. 41. è servitute Ægyptiaca educendo, &c. *Tumq;* De Propheta illo nostro dicitur, quòd qui verba ejus audire noluerit DEUS ipse ultor existet; de Josue verò Jos. * 1. v. 18. dicitur: *Qui contradixerit ori tuo, & non obedierit cunctis sermonibus quos præceperis ei, moriatur.* Ergo ille Propheta non est Josue; ut patet ex dissimilitudine pænæ latæ in eos qui illum, & qui Josue non audierint; qui enim Prophetam illum non essent audituri, DEUS ipse eos puniturus erat, qui autem non erant audituri Josue, non immediatè ipse Deus, ast homines. *Tum demum*: Quia Deut. * 24. v. 10. dicitur: *Et non surrexit ultrà Propheta in Jsráél sicut Moyses:* Ergo nec Josue, nec aliquis simplex Propheta, sicut Moyses fuit, aut esse potuit, ast tantùm quidam per excellentiã Propheta post ipsũ mittendus, i.e. Messias, qui debuerat esse sicut Moyses seu similis, Moysi ita ut nedum sit Propheta, ast & Legislator ut Moyses. Hinc futile est, prorsusq; inane, hoc (ut & alia similia) judæorum commentum, qui clarissima de Christo Scripturæ oracula ineptè detorquent ad alios, de illisq; non de Christo verificari blaterant. *Magis adhuc futilis* est illa evasio, quam ante aliquot annos in oppido Pilicensi, me præsente, huic oraculo opposuit quidam judæus *Opalony* dictus, & à suis pro docto (licet falsò) habitus, dicens: Deut. 13. v. 1. & sqq. dicitur: *Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atq; portentum, & evenerit quod locutus est, - - - non audies verba prophetæ illius aut somniatoris: quia tentat vos Dominus DEUS vester* &c. Ex quo ille stultè intulit, quòd potiùs præceperit Moyses, ne judæi audirent, alios post eum Prophetas.

Ast

[Margin notes: * *Jechosva.* — D. — * *E tte Haddebarim.* — E.]

Ast palpabilis cæcitas & stoliditas. *Tumq;* In illo Deut. 18. expressè præcipit Deus & Moyses, ut Prophetam suscitandum post Moysen, ac similem Legislatorem Moysi, judæi audiant, & nisi eum audierint, Deus ipse ultor existet. Qua ergo fronte hic insensatus judæus potest tam expressis verbis divinis contradicere? nisi fronte meretricis, juxta Jer. 3. v. 3. *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* *Tumq;* Ex textu ab hoc judæo adducto, & pravè (ut ille eum intellexit) intellecto, sequeretur quòd judæi nullum post Moysen Prophetam audire, omnesq; interficere (ut id exactè præstiterunt debuerant; in illo enī Deut. 13. v. 5. subditur: *Propheta autem ille aut fictor somniorū interficietur.* Imò nec ipsum suū Messiam (quem stulte expectant) deberent eū audire, ac deberent eū occidere. Qualis est autē stoliditas & cæcitas dicere, Moysen præcepisse, ut judæi surgentes post illum veros Prophetas imò, & ipsū Messiam non audirent, ast occiderent? *Tum demum*, quia manifestum est, quòd in loco ab *Opálony* adducto Moyses de pseudopropheta, i. e. falso propheta loquatur, quem etiam fictorem somniorum vocat, qui judæos à vero DEO abduceret, utq; idola sequerentur, suaderet, ac diceret: *Eamus, & sequamur deos alienos*, ut inibi v. 2. legitur. Qui fictor & falsus propheta justè ibi v. 5. jubetur interfici. At quid hæc ad Messiam? qui non falsus propheta, aut somniorum fictor, ast talis sicut Moyses, similisq; ei, scil. Legislator, esse debuerat. Hinc apparet capitale odium judæorum in Christum, qui quod dictum de falso propheta & somnirum fictore, hoc illi de Veritate increata intelligunt, nostro scil. & omnium Redemptore, quasi & ille talis falsarius & impostor fuerit, justèq; pro hoc occidi meruerit, ad quod etiam impius *Opálony* videbatur alludere,

F.

licet

licet id non expresserit, ac subdolè subticuerit, ne aliàs, ut manifestè blasphemus, puniretur. G.

Demonstr. *Ex Psalmis.* Nam Ps. *9.* v. 21. dicitur *Constitue Domine Legislatorem super eos: ut sciant Gentes quoniam homines sunt.* Quod paraphrasticè Thomas Le Blanc vertit: *Ostente Domine, te Legis Evangelicæ Authorem esse - - - ut intelligant omnes se viles atq; abjectos esse homulos.* En hìc David orat Deum, ut super Gentes (quæ, ut pote à vero Deo alienæ, erant superbissimæ, ita ut plures ex eis, ut deos se coli præceperint, ac proinde, non ut homines, ast ut belluæ, sine Lege Dei vivebant) novum post Moysen Legis latorem constituat, ut illæ per hoc sciant seu addiscant se homines: & non deos esse, assvescantq; vitam dignam homine, seu virtuosam, vivere. Qui Legislator non potuit alius esse quam Messias; nullus enim ex Prophetis talis pro Gentibus Legislator fuit aut esse potuit, quia nullus datã sibi ad id à Deo potestatem habuit. Nullus quoq; ex principibus Gentilibus; licet enim aliqui ex eis legislatores extiterant, tamen hæ leges illorum pluribus vitijs absurdisq; scatebant, adèóq; suos observatores perducere ad rectum tramitem veræ pietatis non poterant. Hinc de illis Jer. 10. v. 3. dicitur: *Leges populorum vanæ sunt.* Solus ergo Messias ut pote Gen. * *49.* v. 10. *Expectatio Gentium,* ac Aggæi 2. v. 8. *Desideratus cunctis Gentibus,* potuit à DEO constitui Legislator talis, ut Gentes Lege ejus suscepta, se esse homines scirent, ab illo quia mitis est & humilis corde, Matt. 11. v. 29. discerent, vitam, ferè bestialem, exuerent, & probam, ac humanam, induerent. Hinc Psaltes, in hac oratione exauditum se à Deo fortè jam sciens, quòd nimirum ille super Gentes hunc Legislatorem constituet, Ps. *24.* v. 8. lætus canit: *Dulcis & rectus Dominus;* H.

* *Beresith.*

propter

propter hoc Legem dabit delinquentibus in via. Et Pſ. 83. v. 8. *Etenim benedictionem dabit Legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.* Et tandem hunc Legislatorem ipſe alloquitur, Legemq; ejus deſiderat Pſ: 26.

I. v. 11. dicens: *Legem pone mihi Domine in via tua.* Et Pſ. 118. v. 33. *Legem pone mihi Domine viam juſtificationum tuarum.* Quòd enim non loquatur de Lege Moyſi aſt de Lege Meſſiæ, patet: Quia Lex Moyſaica jam tunc poſita ſeu lata fuit, quam obſervantibus multiplicem (licet tantùm temporalem) benedictionem Deut. * 28. v. 1. & ſqq. Moyſes Legislator dedit: Lex autem, de qua hìc Pſaltes ait, dicitur eſſe ponenda, quam obſervantibus Legislator erat ſuam Spiritualē benedictionem daturus, ut de virtute in virtutem irent. Quòd & fecit Legislator noſter Meſſias, dum veniens in mundum Legem Evangelicam condidit, poſtq; Luc: 24. v. 50. in cælum aſcendens, fidelibus *elevatis manibus ſuis benedixit.* Hinc Epheſ. 1. v. 3. gratias agentes dicimus: *Benedictus DEUS & Pater Domini noſtri JESU Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in*

K. *cæleſtibus in Chriſto.*

* *Elle Haddebarim.*

Demonſtr. *Ex Iſaia & Michæa.* Nam Jſ. 2. v. 2. & 3. dicitur: *Et erit in noviſſimis diebus præparatus mons domûs Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, & dicent: Venite & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis ejus: Quia de Sion exibit Lex, & verbum Domini de Jeruſalem.* Idem dicitur in iiſdem ferè terminis Mich. 4. v. 1. & ſqq. Per quem montem nequit intelligi aliquis mons materialis & phyſicus, (ut carnaliter & craſſè Judæi intelligunt, prout jam *Art. VI. lit.* M. & ſqq. innui) cùm (præter ibi dicta) ne-

que-

queunt monti materiali convenire ea, quæ de hoc monte dicuntur; ut quòd docturus esset Gentes vias suas, quodq; illæ sint ambulaturæ in semitis ejus; hæc enim monti tantùm alicui allegorico & mystico possunt attribui, phrasi S. Script. quæ crebrô præcellentes personas, montes nominat. Sic dum Ezech. 6. v. 3. dicitur: *Montes Jsràel audite verbum Domini Dei: Hæc dicit Dominus Deus montibus & collibus, rupibus, & vallibus: Ec e ego inducam super vos gladium.* Per montes, proceres & magnates, per colles verò nobiles illis inferiores, (juxta D. Hier. *) intelligi debent, hi enim soli, non autem montes & colles materiales, verbum Dei audire, ac gladiô interire poterant. Et Dan. 2. v. 35. de lapide, qui percusserat & contriverat statuam, in somno à Nabuchodonosor visam, dũ dicitur: *Factus est mons magnus, & implevit universam terram*; per hunc montem * tam judæi quàm nos Christiani, non intelligimus aliquem montem materialem & physicum, ast allegoricum & mysticum, judæi nempe (licet fallò) judaicam suam potentiam in adventu sui, quem expectant, messiæ, qua omnia regna mundi devincent; nos verò Christiani Christum, qui jam omnia Regna & Gentes suæ spirituali ditioni subjecit, implens illud Ps. 2. v. 8. & 9. *Dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli* (ut ille lapis statuam) *confringes eos.* Et Zach. 4. v. 7. dum dicitur: *Quid tu mons magne coram Zorobabel?* & secundùm judæos * intelliguntur illi potentes, qui fabricam templi Zorobabelici impedire volebant, quales erant rex Persarum ac magi illius, & 2. Esdræ * 2. v. 10. Sanaballat Horonites, & Tobias Ammanites, Samaritanorum principes. Similes sunt allegoriæ & pluribi. Cùm igitur & in addd. Jsaiæ ac Michææ sit allegoria quia pro-

L.

* *hic in Ezech.*

* *teste D. Hier.*

M.

* *Corn à Lap. hic citatiq; ab eo.*

* *Nehemiæ.*

phetia, per hunc montem præparatum in vertice montium, & elevatum super colles, intelligitur Christus, omnibus Patriarchis, Regibus, & Prophetis, prælatus, juxta illud Patris de eo Ps. 88. v. 28. *Et ego primogenitum ponam illum excelsum præ regibus terræ.* Hic Mons, est Mons Domus Domini, i. e. Ecclesiæ; hæc enim fundata & exædificata est super Christum, juxta Ephes. 2. v. 20. *superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo JESU.* Per Legem quoq; quæ hic ex Sion exitura prædicitur, non Lex Moysis, ast alterius post eum Legislatoris, i. e. Messiæ intelligi debet; jam enim Lex Moysis fuit tunc data, hic autem danda promittitur; hæc Lex egressura dicitur de Sion & Jerusalem, at Moysis egressa est de Sina & Horeb. Ad hunc ergo Montem Christum, juxta hos Prophetas debuerant fluere omnes Gentes, dicentes: *Venite & ascendamus ad Montem Domini,* Christum, & *ad domum Dei Jacob,* Ecclesiam, & *docebit nos vias suas,* h. e. Legem Novam, quam velut novus Legislator feret, & *ambulabimus in semitis ejus,* ipsum imitando, illiusq; mandata servando: *quia de Sion exibit Lex* (Evangelica) & *verbum Domini de Jerusalem.* Quod & reipsa factum, quia Apostoli post acceptum Act. 2. v. 4. Jerosolimis in monte Sion Spiritum S. Christi Legem promulgaverunt, eamq; post in toto orbe terrarum inter Gentes sparserunt. Hinc idem Jsaias pluries prædicit Christum Legislatorem futurum, ut Js. 42. v. 4. *Legem ejus insulæ expectabunt.* Et ibid. v. 6. *Dedi te in fœdus populi, in lucem Gentium.* Et Js. 49 v. 8. *Dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, & possideres hereditates dissipatas.* Et Js. 51. v. 4. *Lex à me exiet, & judicium meum in lucem populorum requiescet.* Et Js. 61. v. 8. *Dabo opus eorum in veritate,* (i. e. non in typis & figuris, ut in veteri Lege) & *fœdus*

N.

O.

fœdus perpetuum feriam eis. Quare dum hic Propheta Js. 33. v. 22. dicit: *Dominus enim Judex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster: ipse salvabit nos*; id de D. Jesu Christo intelligo. Ille enim est Judex noster Js. 11. v. 4. *Judicabit in justitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ*; ille est Rex noster, Js. 9. v. 7. *Super solium David, & super regnum ejus sedebit*; hic Salvator mundi salvavit nos, Ps. 97. v. 1. *Salvavit sibi dextera ejus, & brachium sanctum ejus*, i. e. D. Jesus, qui pluries in Script. *brachium & dextera.* Patris appellatur; * proinde ille quoq; est Legifer, seu Legislator noster. P.

Demonstr. *Ex Jeremia & Osee.* Nam Jer. 31. v.21. & sqq. dicitur: *Ecce dies venient, dicit Dominus: & feriam domui Jsràël & domui Juda fœdus novum: non secundùm pactum, quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti; pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eôrum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Jsràël post dies illos, dicit Dominus: Dabo Legem meam in visceribus eorum, & corde eorum scribam eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit ultrà vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me à minimo eorum usq; ad maximum.* Et Jer. 50. v. 5. *In Sion interrogabunt viam, huc facies eorum. Venient, & apponentur ad Dominum fœdere sempiterno, quod nulla oblivione delebitur.* Et Os. 2. v. 18. *Percutiam cum eis fœdus in die illa, cum bestia agri, & cum volucre cæli; & cum reptili terræ.* Quid clarius pro nova Lege Christi, ipsoq; Legislatore Christo, dici unquam potuerat? In 1mo enim textu dicitur, quod in diebus qui venient feriet Deus cum domo Jsràël & Juda *fœdus novum*, (hebr. *Berith hadasa*, i. e. Legem novam. *Berith* enim propriè le- Q.

gem significat; & inde Moyses in multis locis præcepta Legis suæ *Berith* appellat. Quæ Lex nova licet etiam pro Gentibus sancienda erat, tam hìc dicitur: *Domui Jsraël & domui Juda*; quia (ait D Hier. *) pro Jsràëlitis & Judæis primò Christus venit, Evangelicamq; Legem pro illis condidit, at illis in perfidia sua obduratis, illam Legem, ac Ecclesiam suam, seu regnum Dei, ad Gentes transtulit, juxta quod eis Matt. 21. v. 43. comminatus fuerat dicens: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur Genti facienti fructus ejus.* Hinc S. Paulus & Barnabas Judæis incredulis & blasphemis Act. 13. v. 46. dixerunt: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quia repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes* Insuper in Christum credentes, possunt, & debent appellari Jsràël, & Juda seu Jehuda, ut ostendi *Art. præcedenti Demonstr. 2da*:

* hic in Jer.

R. Dicitur, quòd Lex hæc erat ferenda non secundùm pactum quod Deus pepigit cum Jsràël, cum eum ex Ægypto eduxit, quod pactum irritum illi fecerunt, i. e. non talem Legem ut erat Moysaica, quam suo tempore Deus irritavit, ast Evangelicam, quam Christus perennem, perpetimq; duraturam, sancivit, Dicitur, quòd hanc Legem novam scripturus erat DEUS in visceribus, & cordibus, non autem, ut antiquã scripsit, in lapidibus, quia per gratiam Spiritûs S. illuminando nunc Deus corda fideliũ, ea emollit, ad omneq; bonum capessendum inclinat. Dicitur deniq; quòd omnes cognoscent verum Deum & colent; quod feliciter nunc nos in Christum credentes experimur, cùm in verum Deum credamus, eumq; colamus, nullamq; pronitatem ad colenda idola habeamus, vel unquam habuimus, quam vis

S. aliàs ex gentibus, olîm ad idololatriam pronissimis, in eaq; inhabituatissimis, procedamus; non sitq; necesse, ut nos

nos quispiam ad verum Deum converteret, ac diceret: *Cognosce Dominum*; omnes enim à minimo usq; ad maximum illum cognoscimus, in nobisq; impleri lætanter cernimus, illud Is. 54. v. 12. & 13. *Ponam - - - universos filios tuos doctos à Domino.* Textus 2dus similis est illi Is. 2. v. 2. & sqq. supra hìc jam addúct. in quo omnes Gentes prædicuntur ad Montem domûs Domini, Christum nempe, ascensuræ, ut ille eas vias suas doceat. Dum autem hìc additur, quòd illæ *apponentur ad Dominum fœdere sempiterno, quod nulla oblivione delebitur*, per id innuitur Legem Evangelicam nunquam fore abrogandam, ast in æternum mansuram. In textu verò Osee dum dicitur, quòd Deus percussurus erat fœdus cum bestiis, volucribus, & reptilibus, per hoc denotantur homines olìm scelerati post ad Christum conversi. Vide dicta *Art. VII. lit.* H.

Accedunt veteres Rabbini, qui (teste Galatin *) illô imô textu Jeremiæ convicti, fatentur quòd Messias sit Legem innovaturus, seu novam laturus. Et meritò, est enim hic textus insignissimus, penitusq; invictissimus.

* *citt. Corn.* i. *Jer.* 31. v. 31.

ARTICULUS XXI. A.

Quod tempore Christi antiqua Lex antiquanda seu abroganda erat, secundùm carnalem, & præcisam ejus intelligentiam.

Lex vetus bifariè potest spectari, scil. *vel* secundùm carnalem & præcisam ejus intelligentiam, *vel* secundùm sensum spiritualem sub cortice litteræ occultatum, primoq; ac principaliter à Deo intentum. *Primo modo* sumeretur, dum

dum sumeretur tantùm ad litteram. & ut sonat; ut loquendo de præceptis Legis illius ceremonialibus, servandam esse v.g. circumcisionem Gen. * 17. v. 10. Sabbatū sanctificandum Exod. * 20. v. 9. & 10. Agnū quotidianum Num * 28. v. 3. ac oves, boves, capras, vitulos Deo immolandos Lev. * 3. & alibi. Comam in rotundū, ac barbam non radendam Lev. 19. v. 27. Vestem ex lana & lino contextam non induendam Deut. * 22. v. 11. Agnum paschalem cum azymis & lactucis agrestibus, die 14. mensis Nisan (puta, Martij) comedendum Exod. * 12. v. 1. & sqq. Animalia immunda, quæ scil. non ruminant, aut ungulam non dividunt, pisces sine pinnulis & squamis, certasq; aves non comedendas Lev. * 11. v. 2. & sqq. Hædum in lacte matris suæ non coquendum Exod. * 23. v. 19. Terram diverso semine non serendam Deut. * 22. v. 9. In bove & asino non arandum ibid. v. 10. Os bovis terentis fruges in area, non ligandum Deut. 25. v. 4. Et alia ferè innumera. Quæ veteris Legis præcepta ceremonialia, quò ad litteram tantùm, ac proinde quò ad carnalem & præcisam intelligentiam, à judæis carnalibus & rudibus sumebantur, & sic tantum (licet & hoc non semper) servabantur. Imò & præcepta moralia seu Decalogalia, si non carnaliter, saltem secundùm præcisam intelligentiam, i. e. ut præcisè sonant, intelligebantur ab eis, ita ut illi ea, tantùm ut jacent, obligare putarent: nec ulteriùs juxta legitimos limites, extenderent. Hinc illa præcepta Decalogi Exod. * 20. v. 13. & 14. *Non occides. Non mæchaberis.* Et illud Lev. * 19. v. 18. *Diliges amicum tuum sicut teipsum*, sic tantùm sumebant, quòd non liceat occidere, mæchari, amicusq; debeat diligi, at liceat proximo irasci, mente alienam mulierem concupiscere, odioq; inimicum habere; ut de hoc ipse

Marginalia: * Beresith. * Veelle Semoth. B. * Vaiedabber. * Vaikra. * Elle Haddebarim. * Velle Somoth. * Vaikra. * Velle Semotch. * Elle Haddebarim. C. * Velle Somotch. * Vaikra.

ipse Christus Matt. 5. v. 20. & sqq. innuit. *Secundo modo* Lex illa Moysaica, potest, & debet sumi, dum scil. figuratè intelligitur secundùm spiritualem sensum, sub involucris verborum occultatum. Ut enim piè & doctè D. Cyril. Alexandrin. * docet, quòd sicut in Verbo Divino Incarnato * *l. 1. in Levitic.* aliud ab omnibus, Caro scil. & Humanitas, videbatur, aliud à paucis, idq; tantùm electis, nempe ejus Divinitas, credebatur, sic in hoc verbo per Moysen à Deo hominibus dato, i. e. Lege veteri, littera quidem, tanquam caro omnibus patet, ast non divinus sensus spiritualis, sub illius velamine latens, ac à Deo primò intentus. Hinc idem Sanctus * ait: *Beati sunt oculi qui sub velamine litteræ obtectum intrinsecùs Divinum Spiritum vident: & beati sunt, qui ad hæc audienda mundas aures interioris hominis deferunt.* Hæc ille. * *mox ibid.*

D.

Demonstr. Ex Lege, ac Azaria & Osee Prophetis. *Nam* Deut. * 31. v. 16. dicit Deus ad Moysen: *Ecce tu dormies cum patribus tuis, & populus iste consurgens fornicabitur post deos alienos in terra, ad quam ingreditur ut habitet in ea: ibi derelinquet me, & irritum faciet fœdus,* (non observando illud, vel carnaliter tantùm, & præcisè observando) *quod pepigi cum eo. Et irascetur furor meus contra eum in die illo: & derelinquam eum,* (rescindendo pactum meum quod pepigi) *& abscondam faciem meam ab eo.* Hocq; cœpit brevi post mortem Moysis in aliqua parte impleri. Nam cùm Jsràèlitæ præceptum Legis Deut. 20. v. 16. & 17. violaverint, non occidendo omnes habitatores terræ sibi promisse. Deus rescidit pactum, quod toties cum eis, patribusq; eorum pepigerat, de danda illis tota illa terra, mittens Angelũ Judic. * 2. v. 1. & sqq. qui diceret eis: *Pollicitus sum, ut non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum: ita duntàxat ut non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ hujus, sed aras eorum subverteretis: & noluistis audire vocem meam: cur*

* *Elle Haddebarim.*

E.

* *Sophetim.*

am: cur hoc fecistis? Quam obrem nolui delere eos à facie vestra. Ex quo patet, pactum Divinum cum filijs Jsràél conditionatum fuisse, ac rescindi potuisse, ut jam tunc ex parte rescindi cæperat, estq; plenè post Christum rescissum, maximè quò ad carnalem intelligentiam. Clariùs adhuc id
* expressit Azarias Propheta 2. Paral. * 15. v. 3. dicens *Transibunt autem dies multi in Jsràél absq; Deo vero, & absq; Sacerdote Doctore, & absq; Lege*, Cui consonat Osee, c. 3. v. 4. dicens: *Dies multos sedebunt filij Jsràél sine rege, & sine principe,*

Dibre Hajamim.

F. *& sine sacrificio, & sine altari, & sine ephod, & sine theraphim.* Per quæ clarè prædicitur, quòd multa transibunt sæcula, in quibus judæi derelicti reprobatiq; à Deo, ac toto orbe dispersi, sine omni cultu ac cura veri Dei, sine ullo legitimo Sacerdote & Sacrificio, sine lege à Deo approbata & non repudiata, relinquentur. Quod in eis nunc, postquã non receperint, imò & occiderint D. Jesum, plusquã per mille septingentos annos, oculis nostris perspicimus, ac manibus quasi contrectamus; pateticè cernentes illos his malis esse indesinenter expositos; donec in fine mundi reliquiæ eorum ad Deum & Christum ejus convertantur, ut & hoc prædictum ab ijsdem Prophetis Azaria nempe & Osee; nam illi post verba hìc supra addúct. statim addunt, judæos usq; in fine mundi convertendos, ut Azarias 2. Paral. 15. v. 4. *Cumq; conversi fuerint in angustia sua ad Dominum Deum Jsràél, & quæsierint eum, reperient eum.* Osee verò 3. v. 5. *Post hæc revertentur filij Jsràél, & quærent Dominum Deum suum, & David Regem suum*: (puta Christum de David oriundum) *&*
G. *pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus, in novissimo dierum.*
* Imò idem prædixerunt & alij, ut Moyses Deu. * 4. v. 30. dicens ad eos: *Novissimo tempore reverteris ad Dominum Deum tuum, & audies vocem ejus.* Et David Ps. 58. v. 7. & 15.

Elle Haddebarim.

Conver-

Convertentur ad vesperam. Et Jsaias Js. 10. v. 21. & 22. *Reliquiæ convertentur, reliquiæ inquam, Jacob ad Deum fortem. Si enim fuerit populus tuus Jsraël quasi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo.* Quòd autem Azarias & Osee loquantur de judæis in captivitate moderna constitutis ostendam *Art. XXIV. lit.* A & *Art. XXVIII. lit.* F.

Demonstr. Ex aliis Prophetis. *Nam* Js. 43. v. 18. & 18. dicitur: *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio nova, & nunc orientur.* Quæ D. Hier. * explicans ait: *Nequaquam memineritis veterum, quoniam in Evangelio multò sum majora facturus: quorum comparatione, præterita sileri debeant.* Per quæ innuitur, adveniente Christo & Evangelio, antiquam Legem antiquandam. Et Jer. 3. v. 16. *Non dicent ultrà: Arca testamenti Domini: neq; ascendet super cor, neq; recordabuntur illius: nec visitabitur, nec fiet ultrà.* Ex quo patet, omnia legalia vetera, temporibus Christi, cessatura; si enim Arca testamenti Domini, sacrarium maximum & sacerrimum, medullæq; totius Legis Moysaicæ, quia Decalogi, depositorium exquisitissimum, erat tempore Christi oblivioni plenè tradenda, ita ut nemo illam visitare vellet, neq; similē illi fabrefacere, sequitur, quòd & Lex Moysaica, secundùm carnalē, multo magis præcisam ejus intelligentiam. *Nec* judæi possunt dicere, id esse impletum, post reversionem judæorum ex Bablione, sub Cyro rege Persarum, ac judæorum duce Zorobabel, filio Salathiel. *Nam* nec tunc judæi Arcæ illius sunt obliti, imò ad illam suspirabant & anhelabant, similemq; illi (secundum aliquos) confecerant. Hinc & Author 2. Libri Machabæorum, c. 2. de illa, èjusq; per Jeremiam in monte Nebo absconsione meminit. Hinc est planè impletum post Christum, ille enim cùm apparuit, qui Js. 33. v.

* *hic in Js.*

H.

I. 22. eſt *Judex noſter, Legifer noſter, Rex noſter*, Arca Legis veteris cuſtos, unà cum Lege illa præciſè aut carnaliter intellecta, oblivioni eſt tradita. Et Zach. 11. v. 10. dicitur: *Tuli virgam meam, quæ vocabatur Decus, & abſcidi eam, ut irrirum facerem fœdus meum, quòd percuſſi cum omnibus populis.* Hìc quia Propheta vaticinatur de futuro, non verò

* hic in Zachar. præterita ediſſerit, ut rectè advertit Corn. * non loquitur de fœdere quod Deus fecit cũ Nòé, omnibusq; hominibus

* Beréſith. & gentibus Gen. * 9. v. 8. & ſqq. quaſi illud (ut aliqui volunt) poſt electionem Synagogæ in populum DEI, abſciſſum à Deo & irritatum fuiſſet; nam etiã tempore ſynagogæ, quò ad cultum quoq; divinum, valebat plenè hoc pactum, cum Gentilibus verũ Deum colentibus, in eumq; credentibus; aſt loquitur de fœdere Moyſaico, quod judæis

* Elle Haddebarim. erat virga decoris, ita ut illi de eo Deut. * 4. v. 8. gloriarentur cum Moyſe, ac dicerent: *Quæ eſt enim alia gens ſic inclyta, ut habeat ceremonias, juſtaq; judicia, & univerſam Legem?* Hoc enim fœdus poſt Chriſtum eſt abſciſſum, dum

K eſt Lex illa reſciſſa, irritaq; reddita. *Nec officit* quod hoc fœdus dicatur eſſe initum *cum omnibus populis*, cùm fœdus Moyſaicum initũ tantùm fuerat cum Jſràél. *Non officit* inquam: nam fœdus Moyſaicum initum eſt cum omnibus populis, non enim ab eo arcebantur gentiles, cùm poterant, ſi volebant proſelyti fieri, circumcidi, ac judaiſmũ ſuſcipere uti plures fecerunt; maximè quia ipſe DEUS per Moyſen præcepit Sacerdotibus filijs Levi, ut etiam coram gentilibus advenis Legem illam legerent, eosq; ad obſervandam illam excitarent, Deut. 31. v. 11. & 12. dicens. *Leges verba Legis hujus coram omni Jſràél, audientibus eis, & in unum omni populo congregato, tam viris quàm mulieribus, parvulis, & advenis, qui ſunt intra portas tuas: ut audientes diſcant,*

& time-

& timeant Dominum Deum vestrum, & custodiant, impleantq; omnes sermones Legis hujus. Imò & nobiscum etiam illud fœdus Moysaicum est initum, cùm & nos illud observare, quò ad spiritualem intelligentiam ejus obligemur, uti dicam mox infra.

Demonstr. Idem ratione. Nam Deus legem veterem, quò ad carnalem tantùm, & præcisam ejus intelligentiam non condiderat, ut rectè D. Cyril. Alexandrin * inquit: *Opinor enim operæ pretium, ut rectè edeceatur, quòd legalis cultus, quantum ad literas & figuras attinet, ex voluntate Dei non fuerit.* Et meritò. Loquendo enim de præceptis Decalogalibus, illa si sumenda forent secundùm præcisam tantùm intelligentiam; seu ut jacent tantùm & sonant, prout ea pharisæi sumebant, non essent divina, ast impia, rectæq; rationi contraria. Est enim impium dicere, quòd non liceat tantùm innocentem occidere, at liceat illi irasci, ex corde imprecari vindictam, eum colaphizare, percutere, non lethaliterq; vulnerare. Non liceat mœchari, liceat tamen mente concupiscere, eamq; impuris imaginationibus inquinare; imò mollities, fornicationes simplices, incæstus, stupra, bestialitates, sodomias, impunè perpetrare. Non liceat furari, liceat verò fraudibus injustisq; contractibus eliena surripere, publicè rapere, vel latrocinari. Non colenda sculptilia, at idola, vel ex aliquo metallo fusa seu conflata, vel depicta, vel mente repræsentata, imò & dæmones, (qui utiq; sculptilia non sunt) adorandos &c. Præcepta quoq; ceremonialia, quò ad carnalem & præcisam intelligentiam, seu quó-ad litteram tantùm exteriorē sumpta, passim sunt de rebus per se indifferentibus, & quasi levibus, non suntq dignitati ac Sanctitati tanti Legislatoris, i. e. Dei congruentia, minimèq; ad religionem vel

L.

* *l. 9. contra Julian. fol. 79.*

M.

virtutem conducunt. Nam utiq; quid ad religionem vel virtutem pertinet in bove & asino non arare, terram diverso semine non serere, vestē ex lana & lino non induere, hædum in lacte matris suæ non coquere &c. Hinc gentiles (ex quibus erat Julianus apostata, quem libris decem refellit citt. S. Cyril.) legem hebræorum ridiculam & superstitiosam esse dicebant; & revera talis foret, Deoq; ut Legislatori attribui non deberet, si tantùm id, quod littera sonat, denotaret, nullumq; spiritualem sensum, (idq; principaliter & primò intelligendum) in se latentem includeret; Hinc S. Cyrllus * ait: *Si secundùm hanc intelligentiam* (puta spiritualem) *dicamus Deum Summum leges hominibus promulgasse, puto quòd digna videbitur Divinæ Maiestatis legislatio. Si verò assideamus literæ, & secundum hoc, vel quod judæis, vel vulgò videtur, accipiamus quæ in Lege scripta sunt, erubesco dicere & confiteri, quòd tales leges dederit Deus. Videbuntur enim magis elegantes & rationabiles hominum leges: verbi gratia Romanorum, vel Athenienfium, vel Lacedæmoniorum.* Hæc ille. Deniq; aliqua etiam veteris Legis præcepta judicialia nudè, quò ad litteram, & secundùm carnalem præcisam intelligentiam, sumpta, videntur quasi contra naturalem æquitatem esse, qualia sunt, v. g. Exod. * 21. v. 20. & 21. *Qui percusserit servum suum, vel ancillam virgâ, & mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit. Sin autem uno die vel duobus supervixerit, non subiacebit pœnæ.* Et Lev. * 20. v. 18. *Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, - - - interficientur ambo.* Et Deut. * 23. v. 19. *Non fænerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem: sed alieno.* Et alia nonnulla. Unde Deus ipse Ezech. 20. v. 25. dicit: *Ego dedi eis præcepta non bona,* (illorum scil. malâ intelligentiâ talia facta) *& judicia in quibus non vivent.*

N. * l. 7. in Levit.

* Veelle Semoth.

* Vaikra.

O

* Elle Haddebarim.

Quia

Quia ergo Messias Js. 7. v. 15. talis erat futurus, qui *sciat reprobare malum, & eligere bonum*, reprobare debuerat hæc præcepta & iudicia, non bona. *Dices 1.* cum judæis: Deus dicit Legem veterem fore æternam, in æternumq; servandam; ut Gen. * 17. v. 7. ad Abraham: *Statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis, fœdere sempiterno.* Plura alibi. Non erat ergo hæc Lex etiam à Messia reprobanda. *Resp.* Nos quoq; dicimus Legem illam esse æternam, in æternumq; servandam, ast non pharisaicè, & judaicè, i. e. carnaliter, ac tantùm secundùm præcisam intelligentiam, sed Christianè & Catholicè, scil. quò ad spiritualem sensum sub cortice litteræ (*littera enim occidit, Spiritus autem vivificat* *) latitantem. Hinc D. August. * ait: *Si diligentiùs dicta intelligantur, ea fortassis, quæ illis Sacramentis* (veteris Legis) *significabantur, finem non erant habitura.* Et D. Cyril. Alexandrin. * inquit: *Ita æternam Legem nominatam esse dicimus, minimè enim cessavit, quæ in nobis impletur, juxta spiritualis cultûs modum.* Quivis ergo fidelis & pius (damnando impium dogma Ebionis, aliorumq; hæreticorum judaizantium, qui cum Evangelio, Legem quoq; Moysaicam, quò ad carnalem ejus intelligentiam censebant esse servandam) quò ad hunc sensum spiritualem servat totam Legem Moysaicam, ac cum Apostolo Rom. 7. v. 6. servit Deo *in novitate spiritûs, & non in vetustate litteræ.* Impij autem judæi carnaliter tantùm Sanctam illam Legem servantes, servandamq; censentes, Deum blasphemant, faciendo illum legislatorem ineptum & iniquum. *Deinde*: Æternum, per quod illa Lex, etiam quò ad carnalem, (licèt nunquam quò ad præcisam) intelligentiam à judæis observari debuerat, significat hìc tantùm totum illud tempus, quo DEUS eam sic

quoq;

*Beresith.

* 2. Cor. 3. v. 6.

P.

* *Ad Orosium contr. Priscilianistas & Origenist.*

* *l. 9. contra Julianum.*

Q.

quoq; esse servandam constituerat, scil. usq; ad Adventũ Messiæ. Sæpe enim in Script. longum aliquod & indeterminatum tempus sub nomine æterni, sempiterni, aut perpetui, designatur. Sic dum Gen. * 17. v. 8. ad Abraham dicitur: *Daboq; tibi & semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possionem æternam*; per id longum tempus exprimitur, per quod posteri Abrahæ terram Chanaan erant possessuri, jam enim nunc eam à mille & plusquam septingentis annis non possident. Et Deut. * 15. v. 12. & sqq. statuitur de emptitio servo hebræo, quòd si ille post septem servitutis annos noluerit à domino suo dimitti, dominus in ianua domus perforabit aurem ejus subulâ, & ille serviet ei *usq; in æternum*; utiq; non æternitate propriè dicta, ast quò ad servus ille vivet. Et 2. Reg. * 12. v. 10. ad David dicitur: *Quam ob rem non recedet gladius de domo tua usq; in sempiternum*; i. e. per omne tempus per quod domus seu familia ejus duratura erat. Et 4. Reg. * 5. v. 27. dicit Eliseus ad Giezi: *Lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo, usq; in sempiternum*; i. e. per hoc totum tempus, per quod erat Giezi victurus, atq; semen illius permansurum. Et Jer. ult. v. ult. dicitur de Joachim rege Juda: *Cibaria perpetua dabantur ei à rege Babilonis*, i. e. ad vitæ ejus tempora. Quòd autem Lex illa, quò ad carnalem (licet nunquam præcisam) intelligentiam, erat tantùm ad Christum duratura, præter jam hìc dicta, significavit id DEUS Exod. * 27. v. 21. ubi loquens de lucerna à filijs Aaron semper vespere in tabernaculo accendenda, ait: *Perpetuus erit cultus per successiones eorum à filijs Jsraël.* Q. d. * Quò ad usq; durabit sacerdotium Aaronicum scil. omni tempore judaismi; usq; ad Messiam, hic cultus erit jugis & perpetuus. Similia dicuntur Exod. 29. v. 42. de

*Beresith.

*Elle Haddebarim.

*Samuel.

R.

*Malachim.

*Veelle Semoth.

*ait Cornel. hic.

oblatio-

oblatione perpetua. Lev. * 3. v. 17. de adipe Deo offerendo iure perpetuo, & alibi ſæpe; ibi enim ferè ſemper additur: *In generationes veſtras. In generationibus, & habitaculis veſtris.* Vel aliud æquivalens. Tenebantur ergo judæi, uſq; ad Novam Legem à Meſſia dandam, Legem illam veterem, etiam quò ad carnalem ejus intelligentiam obſervare, ut fecerant Machabæi, qui pro tali obſervantia dira tormenta, crudeleq; martyrium 2. Mach. 7. ſunt perpeſſi, ritèq; pro SS. Martyribus reputantur. Pro illo enim tempore Deus eam inſtituit, ac ſic quoq; obſervandam Sacroſanctè præcepit, ob finem ſuum optimum & Sanctiſſimum, qui illius Legis anima fuit, eamq; in præceptis ſuis quàm pluribus velut indifferentem, rationabilem ſanctamq; reddidit. Hic autem finis erat, tum ut per Legis illius litteralem etiam obſervantiam præcedant figuræ futurum Chriſti Adventum adumbrantes, tum ut judæi, ad idololatriam aliàs propenſiſſimi, & idololatricis gentibus undequaq; cincti, ac Lege ſingulari (cui ſimilem, nulla alia gens habuit) ab eis magis alienentur ac abhorreant, hôcq; ipſô longiùs ab idololatria earum arceantur. Deficiente autem poſt Adventum Chriſti hoc utroq; fine, cùm jam nec Chriſtum venturum aliquæ figuræ debent prædicere, videamusq omnes Gentes ab idololatria converſas in verum Deum credere, Lex quoq; hæc, quò ad litteralem & carnalem intelligentiam jam plenè defecit. Hinc D. Auguſt. illud Cant. * 2. v. 17. *Donec aſpiret dies, & inclinentur umbræ*, explicando, & ad deſitionem Legis veteris quò ad carnalem intelligentiam applicando * dicit: *Spiritualis ſignificatio luceſcat, carnalis celebratio jam requieſcat.* *Dices* 2. cum iiſdem: DEUS deteſtatur gentes quòd abjecerint & mutaverint Legem Moyſaicam Iſ. 24. v. 5. dicens: *Et*

S.

T.

* *Sir. Haſirim.*

* *Orat. adverſus judæos.*

terræ

terra infecta est ab habitatoribus suis: quia transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum. Et Zach. 8. v. 23. prædicit fore tempus quo legem hanc omnes acceptabunt gentes, inquiens: *In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus lingvis Gentium, & apprehendent fimbriam viri Judæi, dicentes: Ibimus vobiscum: audivimus enim quoniam Deus vobiscum est.* Ergo non abrogabit eam. Aliàs mutabilis & imprudens esset, quod enim semel instituisset, post abrogasset; non prævidissetq; ea quæ postea repudiare deberet. *Resp.* Hæc omnia esse nugas nugarum, non pertinereq; penitus ad propositum. *Nam* Isaias non loquitur de Lege Moysaica; quam observare carnaliter omnes Gentes Obligatæ non erant, ast (ut advertit hìc D. Hier. * & alij passim) de Lege naturali æterna & immutabili, quam dum peccatores violant, terram inficiunt. *Zachariæ* quoq; prædictio in nobis est adamussim impleta. Apprehendimus enim fimbriam Viri Judæi, de quo Jer. 31. v. 22. dicitur: *Femina circumdabit Virum.* Et Zach. 6. v. 12. *Ecce Vir Oriens,* nempe Legem D. Jesu Messiæ, de tribu Juda oriundi: licet & hoc verificari posset de apprehensione Legis Moysaicæ, juxta sensum spiritualem illius. *Ratio* quoq; addita est purè futilis; jam enim est ostensum, quòd DEUS Legem veterem quò ad carnalem & præcisam ejus intelligentiam non condiderit. Ergo dum eam sic intellectam abrogavit per Christum, quomodo per hoc mutabilis vel imprudens dici poterit? *Deinde:* DEUS adveniente Lege Moysaica abrogavit ceremonias & Sacrificia legis puræ naturæ, ac illud pactum quod Gen. * 9. v. 3. & cum Noé omnibusq; hominibus pepigit, ut scil. liceret eis omnibus vesci carnibus, excepta carne cum sangvine. Immutavit decretum mortis 4. Reg. * 20. in Ezechiam

U. (margin, beside "acceptabunt gentes")

* *in hunc loc.*

W. (margin, beside "illius")

* *Beresith.*

* *Malachim.*

zechiam regem Juda latum; & decretum ſubverſionis Ninivæ, Jonæ 3. Saul & David nunc ut bonos, & ſecundùm cor ſuum, laudabat, nunc à ſe, ut reprobos, abijciebat, ac ut adulteros & homicidas, objurgabat. Quis tamen blaterare audebit eum mutabilem vel imprudentem fuiſſe? Hinc, ſicut medicus nunc hanc ægro medicinam applicat, nunc non hanc aſt aliam; nunc in his circumſtantijs, hanc medicinam ei profuturam, & ſalutiferam, judicat, nunc mutatis illis circumſtantijs, eam eſſe noxiam cenſet; ſic Deus pijſſimus, ſapientiſſimus, & providentiſſimus, cùm (loquor cum D. Aug. * *ſecundùm ordinatiſſimam diſtributionem temporum dedit minora præcepta populo* (judaico) *quem adhuc timore alligari oportebat, & per Filium ſuum majora populo* (Chriſtiano) *quem charitate liberari convenerat - - - ille dedit qui ſolus novit congruentem ſuis temporibus generi humano exhibere medicinam.* Imò ex Script. patet, quod DEUS, adhuc ante Chriſtum, pluries in illa Lege diſpenſaverit, non adèóq; curaverit, dum illa ab aliquibus viris ſanctis ad litteram non impleretur, modò quò ad ſenſum ſpiritualem ſervetur, nec tamen ob id mutabilis vel imprudens fuit. Sic Gen. * 17. v. 12. & Lev. * 12. v. 3. infantem octo dierum circumcidi præcepit; & tamen Joſue * 5. v. 6. omnes qui nati ſunt in deſerto, per quadraginta annos incircumciſos eſſe permiſit. Et Deut. * 12. v. 5. & ſqq. ſancivit, in tabernaculo tantùm & templo ſacrificia ſibi offerri debere; & tamen 1. Reg. * 9. v. 12. Samuel in exceſſo, & David 2. Reg. 24. v 25. in area Areuna Jebuſæi, ac Elias 3. Reg. * 18. v. 19. & ſqq. in monte Carmelo Deo ſacrificia (ipſo ſic diſponente) obtulit. Et Deut. 23. v. 1. mandat: *Non intrabit eunuchus - - ecclesiam Domini* & tamen Jſ. 56. v. 5. de eunuchis dicit: *Dabo eis in domo mea,*

X.

* *l. 1. de Serm. Domini in monte.*

* *Bereſith.*
* *Vaikra.*
* *Jehoſva*

* *Elle Haddebarim.*
* *Samuel.*

Y.

* *Malachim.*

& in muris meis locum. Et Deut. 20. v. 19. statuit: *Quando obsederis civitatem multo tempore, & munitionibus circumdederis ut expugnes eam, non succides arbores de quibus vesci potest* & tamen 4. Reg. 3. v. 19. regibus Juda, Israël, & Edom contra Moab præliaturis contrarium præcepit dicens: *Percutietis omnem civitatem munitam, & omnem urbem electam, & universum lignum fructiferum succidetis.* Et Deut: 20. v. 13. & 14. jubet: *Percuties omne quod in ea* (civitate scil. expugnata) *generis masculini est in ore gladij, absq; mulieribus & infantibus, jumentis, & cæteris quæ in civitate sunt*; & tamen 1. Reg. 15. v. 3. ad Saul dixit: *Vade, & percute Amalec, & demolire universa ejus: - - - interfice à viro usq; ad mulierem, & parvulum atq; lactentem, bovem & ovem, camelum & asinum.* &c. Hinc D. Cyril. citt. * ait: *Apud illos sanctos* (ut erant Samuel, David, Elias, extra tabernaculum & templum offerentes) *non fuisse culpatum, quod Legem ad literam non valdè curioso oculo spectarent.*

Z.

* *l. 9. contra Iul. circa finem.*

Accedit, doctrina Thalmudica *l. Sanhedrin. c. Helec.* ubi docent judæi per duo tantùm annorum millia Moysaicam Legem duraturam usq; ad Messiam Regem: ac hoc ipso fatentur eam tempore Messiæ abrogandam. Vide *Art. V. litt* Oo.

ARTICULUS XXII.

Quòd eodem tempore circumcisio carnis abroganda erat, & cordis subsequi debuerat.

Demonstr. *Ex Lege.* Nam Deut. 10. v. 16. innuit Deus per Moysen, quòd ei, etiam tunc circumcisio cordis magis

* *Ele Haddebarim.*

magis quam carnis placuerat, dicens: *Circumcidite igitur præputium cordis vestri, & cervicem vestram ne induretis amplius.* Quod LXX. vertunt: *Circumcidite duritiam:* Chald. *Circumcidite insipientiam, cordis vestri.* Q. d. Non circumcisio carnis (quæ in signum & rememorationem circumcisionis cordis est data) ast circumcisio voluntatis pravitate, malitiâ ac duritiâ spirituali infectæ, ut scil. eam à te reseces, & abjicias, ô Jsráël à te magis exigitur, quid enim illa prodest, si hæc desit? Hinc Deut. 30. v. 6, Moyses prævidens tempus Messiæ, quo ille rejecta circumcisione carnali, corda fideliũ in se credentiũ circumcisurus, h. e. resecta seu remota duritie ac pravitate eorum, ad omnẽ virtutem & pietatẽ emolliturus erat, inquit: *Ciucumcidet Dominus Deus cor tuũ, & cor seminis tui: ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, ut possis vivere.* Cui simile dicit Deus de judæis in fine mundi convertendis, nunc autem toto orbe dispersis Lev. * 26. v. 41. *Inducam illos in terram hostilem, donec erubescat incircumcisa mens eorum: tunc* (conversi ad Christum) *orabunt pro impietatibus suis.* Hinc D. Paulus 1. Cor. 7. v. 19. ait: *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est: sed observatio mandatorum Dei.* Et Gal. 5. v. 6. *Nam in Christo JESU, neq; circumcisio aliquid valet, neq; præputium: sed fides quæ per charitatem operatur.* Et Gal. 6. v. 15. *In Christo enim JESU; neq; circumcisio aliquid valet, neq; præputium, sed nova creatura.* Et meritò. Quid enim Deo? si tu judæe partem tibi carnis tuæ reseces, quam Deus formavit & creavit, ac quam tibi in resurrectione (quia Ephes. 4. v. 13. resurgemus omnes *in virum perfectum*) restituet; dum hôc contentus, non observas Dei mandata, fidem quæ per charitatem operatur, non habes, ac per gratiam Christi fieri nova creatura non satagis?

A.

B.

* *Vaikra.*

Demonstr. *Ex Jeremia.* Nam Jer 4. v. 3. & 4. dici-
C. tur: *Dicit Dominus viro Juda & Jerusalem: Novate vobis novale, & nolite serere super spinas:* (frustra & inutiliter in observatione tantùm carnali judaismi vestri laborando) *circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum viri & Juda, habitatores Jerusalem; ne fortè egrediatur ut ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit qui extingvat, propter malitiam cogitationum vestrarum.* En Deus minus curans (licet stante adhuc Lege Moysaica) circumcisionem carnis, solam circumcisionem cordis, nimirum cogitationum malarum amputationem & amotionem, viris Juda & Jerusalem sub grandi sua indignatione præcipit. Et Jer. 9. v. 25. & 26. comminatur Deus puniturum se omnes qui carnis circumcisionem observant, cordis verò non curant: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & visitabo super omnem qui circumcisum habet præputium, super Ægyptum, & super Juda, & super Edom, & super filios Amon, & super Moab, - - - quia*
D. *omnes gentes habent præputium, omnis autem domus Israël incircumcisi sunt corde.* Hìc Deus omnes gentes, circumcisionem carnis non cordis observantes, & præsertim judæos, puniturum se dicit. Teste enim D. Hier. * etiam Ægyptij, Idumæi, filij seu posteri Edom, h. e. Esau, Ammonitæ, & Moabitæ, (licet non omnes, ast *pleraq; pars eorum,* ait S. Doct.) circumcisionem carnalem observabant, non ut aliquod Sacramentum legale, peccatum originale delens, ac in se, fidei in Deum, & venturum Messiam, professionem continens, ast ut morem ac ritum à majoribus suis observatum, ut & modo Turcæ ac Tartari faciunt. Non omnes autem ex prædictis gentibus observasse hunc ritum, inde patet: Nam hìc dicitur: *Omnes gentes* (consequenter etiam Ægyptij & Moabitæ, ac alij) *habent præputium.* Con-

* *hic in Jer.*

stat

stat quoq; Judith 14. v. 6. quòd Achior dux Ammonitarum ad Deum verum conversus, circumcidit carnem præputij sui, proinde non omnes Ammonitæ circumcidi solebant. Idumæi ab Hircano sacerdote & principe judæorum victi, coacti sunt ab eo (uti refert Josephus *) circumcidi, ac proinde antea circumcisi non erant. Solos ergo judæos, totamq; gentem illorum, involvit hæc Divina comminatio, qui, etiam nunc post Christum, sublatam ab eo carnalem circumcisionem, observant, & spiritualem non curant. *Patetice autem cæcutiunt* illi dicentes, quòd hæc ad eos non pertineant, ast tantùm ad prænominatas gentes circumcisionem (quæ solorum erat judæorum propria) iniquè sibi usurpantes *Cæcutiunt* inquam. *Nam* in textu expressè dicitur: *Super Ægyptum, & super Juda*; quæ est ergo judæorum cæcitas dum ogganniunt, quòd hæc ad eos non pertineant? Imò inibi causa hujus Divinæ visitationis subditur, dum dicitur: *Quia omnes gentes habent præputium, omnis autem domus Israël incircumcisi sunt corde.* Ubi expressè de judæis dicitur, quòd illi quia non sunt circumcisi corde, ast duntaxat carne, acriùs præ aliis gentibus infidelibus, carne etiam incircumcisis, visitabuntur, seu punientur à Deo; aliæ enim gentes non sunt ita rebelles, obduratæ, & inobedientes, ut judæi; ac etiamsi essent, tamen sunt meliores judæis, nil enim hypocriticè & pharisaicè fingunt, ast quales sunt intùs, tales se & foris ostentant, at judæi circumcisi carne, hoc signo exteriori innuunt, quòd sint circumcisi & corde, quamvis non sint; id autem est magna hypocrisis summè Deo displicens. Patet itaq; quòd illa Divina punitio maximè pertineat ad judæos circumcisos corpore ast non corde. Et ideó Jer. 6. v. 10. Deus ait: *Cui loquar? & quem contestabor ut audiat? ecce incircumcisæ au-*

E.

* *l. 13. Antiqu. c. 17.*

F.

res

res eorũ, & audire non possunt: ecce verbum Domini factum est eis in opprobrium, & non suscipient illud. Et Stephanus Protomartyr objurgat eos Act. 7. v. 51. & dicit: *Dura cervice, & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut patres vestri, ita & vos.*

G. Demonstr. idem *ratione* ex motivo & fine institutæ circumcisionis petita. Motivum enim & finis idq; primarius & principalis instituendæ circumcisionis non fuit, ut homines à peccato originali, alijsq; mundentur, & salventur, ast ut gens Israëlitica ab alijs gentibus discerni & dignosci possit. *Patetq;* id quò *ad 1mum.* Quia nec Abrahæ, nec Moysi Deus unquam dixerat, circumcisionem (idq; primariò & principaliter) institutam fuisse ad peccata delenda, justificandosq; homines, ac consequenter salvandos. Hinc plures, etiam orthodoxi, docent, eam ex opere operato non causâsse gratiam. Et Adam, Abel, Seth, Enos, Henoch, Nòë, Sem, Japhet, Melchisedech, Lot, Job cum amicis suis, & alij plures, absq; circumcisione justificati sunt, & salvati; mulieres quoq; judaicæ, & infantes ma-

H. sculi, ante diem octavum morientes, sine ea creduntur à judæis, salvari; proinde primariò maximè & principaliter ad hoc instituta non fuerat. *Neq; dicant* judæi: Quòd circumcisio propter salutem, adèóq; & justificationem hominum à Deo instituta fuerit, colligitur ex verbis DEI ad Abraham Gen. * 17. v. 14. *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.* Per hoc enim innuitur, quòd qui circumcisus fuerit, non delebitur, consequenter salvabitur. *De Patriarchis* autem illis, disparem rationem esse: nam aliqui eorum ante institutam circumcisionem vixerant, consequenterq; salvari sine ea potuerant, ut Adam, Abel, Seth, Nòé &.c alij post institu-

* Beresith.

institutam, ut Melchisedech, Lot, Job cum amicis, suis, quia tamen hi de illa gente, cui datum est præceptum circumcisionis, non fuerant, sunt quoq; sine illa salvati. Mulieres quoq; judaicæ ac infantes ante octavum diem morientes, salvantur, eò quòd de hominibus circumcisis nascuntur. At *Non dicant* inquam. *Tumq;* Per illud: *Delebitur anima illa de populo suo*, innuitur tantùm, non circumcisum deletione de populo suo, seu morte temporali, ac æterna, si voluntarie circumcisionem non susceperit, puniendum, non autem ea suscepta, Salvandum; nullibi enim Deus promittit salvationem æternam se circumcidentibus, ut promittit Baptismum suscipientibus Marc. ult. v. 16. dicens: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* *Tumq;* Ut concedunt judæi, illi Patres antiqui, tum ante, tum post institutam circumcisionem viventes, sunt sine illa salvati: Ergo circumcisio principaliter saltem & primariò propter salvandos homines instituta non fuerat; cùm ante, & præter illam, fuerit aliud prius & universalius salvationis medium. *Tumq;* Sara, Rebecca, Lia, Rachel, uxores Patriarcharum Abrahæ, Isaac, Jacob, Sephora uxor Moysi, Rahab quoq; & Ruth, non erant de hominibus circumcisis natæ, sunt tamen salvatæ. Non erat ergo circumcisio, primarió & principaliter propter salvationem instituta. *Patet* quoq; id quò *ad 2dum.* Quia Gen. 17. v. 10. & 11. dicitur: *Circumcidetur ex vobis omne masculinum: & circumcidetis carnem præputij vestri, ut sit in signum fœderis inter me & vos.* Ex quo rectè infert Cornel. * dicens: *Circumcisio enim data est vel maximè ad hoc, ut ea quasi signo distingveretur populus Abrahamiticus, ab aliis gentibus.* Et *ratio* hujus est. Nam cùm de semine Abrahæ, & de tribu Juda, Christus nasci debuerat, ut natus cognosci ab omnibus posset, & ne de

I.

K.

alia

alia natione quis surgeret, qui se Christum esse fingeret, providentissimus Deus judæis circumcisionem præcepit, quæ illis ab aliis gentibus signum distinctivum esset. Et ex eadem ratione solos masculos, idq; octo dierum, & non ante, infantes, circumcidi mandavit, quia gentis distinctio à masculis petitur non à feminis, & quia apud judæos separari infans à matre ante diem octavum non consveverat, proinde nulla tunc formido, ne aliis commisceatur, fuerat, adèóq; ante octavum diem circumcidi non debuit. Die autem octavo, quo mater, juxta Legem, Lev. * 12. v. 2. manens septem diebus immunda, mundari jam, & infans ab ea separari debuit, prius circumcidendus fuit, ne aliis Commisceatur, vel loco ejus alius supponatur. Ob eundem etiam finem Deus filios Jsràél per 40. annos in deserto incircumcisos esse permisit, at postquam terram promissionis sunt ingressi, ne aliæ eis commiscerentur gentes, statim eos per Josue Jos. * 5. v. 2. circumcidi præcepit. Ob eundem quoq; Num. * 36. v. 7. prohibuit ne quis de alia tribu quàm de sua, uxorem duceret, ut tribus incommixtæ manerent. Hocq; totum est factum propter Christum ut facilè post posset dignosci, quòd ille non ex alia gente, quàm Jsràélitica, non aliaq; tribu quàm Juda, prout nasci debuit, natus fuit. Postquam verò Christus jam venit, hîs cessantibus, ob quæ carnalis circumcisio instituta primariò & principaliter fuerat, nemo ulteriùs circumcisione, quia nec aliqua generis discretione indiget; quisquis enim credit in Christum, cujuscumq; sit lingvæ & gentis omnibus reliquis Christianis est æqualis, nam in Christo (Collos. 3. v. 11.) *non est gentilis, & judæus, circumcisio & præputium, barbarus, & Scytha, servus, & liber: sed omnia, & in omnibus Christus.* Imò postquam à Christo est institutus Baptismus

L. (margin, beside "rat, adèóq;")
* *Vaikra.*
* *Jehosva*
* *Vaiedabber.*
M. (margin, beside "& principaliter")

smus, ille cùm sit virorum æquè ac mulierum universalis salvatio, carnalis circumcisio facta est inutilis & superflua, insuperq; exitialis & noxia, ut pote professionem mortiferæ perfidiæ connotans, scil. adhuc non venisse Messiam, qui jam venit. Christus tamen circumcidi voluit, ut Legem, etiam quò ad hoc, impleret, ac Filium Abrahæ (qualis erat futurus) se esse ostenderet, circumcisionemq; in se consummaret. Non inficior tamen simpliciter, quòd circumcisio etiam propter justificationem & salutem instituta fuerat, (uti graves Authores tuentur) ast non primariò & principaliter, sed secundariò, & quasi accessoriè; primariò enim est instituta, ut sit signum gentis judaicæ ab aliis discretivum. Ut enim matrimonium primariò & principaliter propter bonum prolis, ac multiplicationem humani generis est institutum à DEO, secundariò verò, & quasi accessoriè, ut, post Christum, fidelibus conjugibus gratiam conferat. Sic & tunc illa circumcisio.

ARTICULUS XXIII. A.

Quòd etiam tunc sabbata, aliaq; festa judaica reprobanda erant, ut & ciborum delectus.

Demonstr. Quó ad sabbatha aliaq; festa judaica, *ex Prophetis.* Nam per eos expressè, pluriesq; protestatur DEUS, se sabbata illa & festa non laturum, odiô illa habiturum, alia loco illorum instituturum, ea oblivioni traditurum, ut cessarent facturum, ea projecturum, ac velut stercus quoddam ac fœditatem, super facies judæorum dispersurum. Ut Js. 1. v. 13. & 12. *Neomeniam, & sabbatum,* B.

& festivitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri: calendas vestras, & sollemnitates vestras, odivit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboravi (has sollemnitates) *sustinens.* Et Is. 66. v. 23. *Et erit mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato.* Et Thren. * 2. v. 6. *Oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem, & sabbatum.* Et Os. 2. v. 11. *Cessare faciam omne gaudium ejus, sollemnitatem ejus neomeniam ejus, sabbatum ejus, & omnia festa tempora ejus.* Et Amos 5. v. 21. *Odi, & projeci festivitates vestras: & non capiam odorem cœtuum vestrorum.* Et Malach. 2. v. 3. *Ecce ego projiciam vobis brachium, & dispergam super vultum vestrum stercus sollemnitatum vestrarum.* Quid expressiùs pro reprobatione sabbati, aliorumq; judaicorum festorum dici poterat? Hæc autem reprobatio tempore Christi, & ab ipsomet Christo fieri debuit. Cùm enim ille erat futurus novus Legislator post Moysen, antiquam Legem abrogaturus, novámq; laturus, ex *Art. XX. & XXI.* debuerat quoq; veteres sollemnitates reijcere, novasq; instituere; maximè quia finis institutionis celebritatum illarum in Adventu ejus (ut mox dicam) cessavit. *Hinc* nequit dici (ut judæi dicunt) addĉt. Scripturas vel tempore captivitatis Babilonicæ impletas fuisse, vel de decem tribubus Jsràël in captivitatem Assyriacam, nunquam finiendam 4. Reg. * 17. v. 6. à Salmanasar abductis, intelligendas esse. *Nam* In captivitate Babilonica observabant judæi, prout permittebat captivitas, sabbata, aliaq; festa legalia, nam de illis, jam in hac captivitite degentibus, Thren. * 1. v. 7. dicitur: *Viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata ejus*; hæcq; Deo placuerunt, ut & aliæ observationes legales; nam Baruch * 1. v. 10. jubet nomine DEI Propheta offerri in Jerusalem *ad aram Domini Dei* thus, & holocatmoata; tolerabatq; adhuc Deus hanc observantiam, & nec-

* *Echa*, vel *kinoch.*

C.

* *Malachim.*

* *Echa*, vel *kinoth.*

* *Jeremiæ.*

& necdum eam oblivioni tradiderat, vel projecerat, cùm captivitate illa relaxata, adhuc tota legalis observantia, cùm omnibus suis ceremoniis vigere debuerat; nec tunc jam erat mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato, quia in alias celebritates, sabbata, & alia festa judaica, commutata non erant: Ergo hìc de captivitate Babilonica non est sermo. *Deinde:* Jeremias Threnos suos jam facta, & Malachias jam finita hac captivitate (ut pote ultimus Prophetarum ante Christum) prophetiam suam edidit: Ergo non de captivitate illa sunt locuti. *Demum:* Illud Is. 66. de mense ex mense & sabbato ex sabbato, post captivitatem decem tribuum dictum erat. Nam Isaias Is. 36. & sqq. innuit se etiam sub Ezechia rege Juda, filio Achaz; prophetasse, & usq; ad caput 66. prophetiam suam continuat, inibiq; demum, mensem esse mutandum in mensem, & sabbatum in sabbatum, prædicit. At decem tribus jam ante in captivitatem Assyriacam sunt ductæ, scil. adhuc sub Achaz rege Juda, Ezechiæ patre, ut 4. Reg. * 17. v. 1. legitur. Pariter illa prædictio Thren. & Malachiæ, post captivitatem illam, jam dudum peractam, erat facta. Non de tempore ergo captivitatum illarum, ast de tempore Messiæ, prophetiæ istæ loquuntur, dum hæ celebritates judaicæ jam sunt per Christum rejectæ. *Adverte* verò, quàm mirabiliter tum reliqua omnia, tum maximè illud Is. 66. *Erit mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato*, impletur nunc tempore Christi; jam enim est apud nos *mensis ex mense*, cùm non mensem *Nisan*, seu Martium, pro primo mense in mensibus anni habeamus, ut olìm judæi Exod. * 12. v. 2. habere debuerant, ast Januarium. Est pariter sabbatum ex sabbato, dum non jam diem sabbati, ut illi, ast diem Dominicum celebramus. Hinc D. Hier. * explicans id dicit:

D.

* *Malachim.*

E.

* *Veelle Semotch.*

* *in hunc loc.*

dicit: *Et erit, inquit mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato; ut de carnalibus sabbatis mensibusq; fiant spiritualia sabbata delicata.* *Dices* cum judæis: Potiùs prædixerunt Prophetæ, veniente Messia festa judaica etiam à gentibus fore observanda; ut Zach. 14. v. 16. ubi de gentibus dicitur: *Ascendent ab anno in annum, ut adorent Regem Dominum exercituum, & celebrent festum tabernaculorum.* *Resp.* hæc impleta jam esse partim adhuc ante Messiam, partim post Adventum illius. Ante Adventum impleta sunt litteraliter in illis gentibus, quæ post celebres Machabæorum victorias, vel à judæis devictæ, ut Josepho teste * erant Idumæi judaismum suscipiebant; vel judæis fæderatæ, quotannis ad festa eorum confluebant. Post Adventum verò, mysticè implentur in nobis, qui, non ut olîm judæi, semel in anno, ast toto vitæ nostræ tempore, festum tabernaculorum celebramus, ad cælestem terrã promissionis tendendo, & non habere hìc nos manentem civitatẽ sed futuram inquirere, Hebr. 12. v. 14. protestando. Sicut hebræi festum tabernaculorum ob id celebrabant, quia ad terram promissionis pergentes, non in urbibus vel domibus, ast in tabernaculis per annos 40. in deserto degebant.

F.

* l. 13. Antiqu. c. 17.

Demonstr. idem, ex motivo & fine institutionis sabbati aliorumq; festorum Lege veteri præceptorum. Nam *Sabbatum* præcepit observari Deus ob memoriam perfectæ seu completæ creationis mundi, à qua ille septimo die requieverat, ut ipse Exod. * 22. v. 8. & sqq. dicit: *Memento ut diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo - - - - Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & requievit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei sabbati, & san-*

G.

* Veelle Semoth.

& sanctificavit eum. Id autem erat Christi venturi figura, qui omnia opera Redemptionis sexto die complevit, & consummavit, dum in Cruce dicens. * *Consummatum est*, pro nobis mortuus fuit. Die autem septimo, i. e. die sabbati, requievit, quia & omnes, qui ante mortem ejus pij fidelesq; obierant, ab inferni doloribus * solvit, requieq; æterna donavit. Postquam verò id est planè completum, quod observatio sabbati figurabat, jam illud ultra observari non debuit, ast diem in Dominicam commutari, qua Christus morte victa & inferis indeq; captivis Patribus eductis, Victor à mortuis resurrexit. *Neq; dicant* judæi: Si sabbatum requiei Christi & sanctorum signum & figura fuit, impletô jam quód figurabat, magis adhuc observari debuit, tum ob memoriam exordij mundi, tum quòd à doloribus sancti hoc die requieverint. Imò duplex sabbatum observari debuerat, alterum ob memoriam originis mundi, & requietionis Christi ac sanctorum; alterum ob memoriam Resurrectionis ejus. *Non dicant* inquam: *Nam* contrarium Js. 43. v. 18. 19. præceperat Deus dicens: *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio nova.* Per quæ veteris sabbati observatio Lege nova jam vigente interdicitur. Et merito. Licet enim dies sabbati, & Dei in mundi creatione, & Christi in ejus recreatione seu redemptione, dies requiei erat, tamen etiam prima dies nostræ damnationis extiterat; vespere enim præcedentis diei, h. e. feriæ sextæ (ut plurimi docent, & non diffitentur judæi) primus homo peccavit, deq; felicitate & gloria, in ærumnas mortalitatis, ac damnationem æternam, cum omni sua posteritate, decidit, quem tamen Christus die sequenti, nempe Dominico, ex inferni limbo eduxit, secumq; ad immortalem ac beatam vitam resurgere

* *Joan.* 19. v. 30.

* *act.* 2. v. 24.

H.

I.

surgere fecit. Proinde non prima dies damnationis, ast salvationis, meritò jam celebrari debet. *Dat* elegans congruensq; *exemplum* Petrus Alphunsi. * Si v. g. rex aliquis nobilem civitatem extrueret, illamq; ædificiis exornans, ac muris, portis, turribus, vallibusq, communiens, omnibus bonis locupletaret, omniumq; delitiarum fertilem, & ad resistendum cuicumq; hosti satis firmam efficeret. Interim eadem die perfectæ extructionis civitatis hujus, eam hostis obsideret, graviterq; premeret; ac quotiescumq; aliquis de civibus in manus ejus incideret, eum in carcerem tenebrosum detruderet, varièq; affligeret. Rex autem conditor hujus civitatis & dominus, venturum esse tempus civibus promitteret, quo eos ab hoste illo liberaturus erat. Pro hoc verò nil ab illis exigeret, nisi ut diem illum quo condita erat civitas, ob hoc quoq quòd tempore suo erat venturus, ut ab hoste eos eriperet, ut sollemnem sibi celebrarent. Tempore autem sibi bene viso, mitteret rex filium, qui hostem profligaret, civitatiq; suam libertatem, primævamq felicitatem redderet; utiq; jam tunc à civibus dies illa potiùs celebranda foret, qua civitas est ab hoste erepta, non autem qua condita, illo enim die, quo erat perfecta, hostis eam oppresserat, ac spes tantùm erat quòd rex sit aliquando venturus, ab hosteq; illam erepturus. Sic etiam in proposito, non dies primus completæ creationis nostræ, quo etiam simul fuimus ab hoste avernali oppressi, spesq; tantùm nobis est data, quòd tempore suo à Christo redimemur, nunc à nobis celebrari debet, ast dies perfectæ redemptionis, è potestateq; dæmonis ereptionis, i. e. dies Dominicus, quo Christus mortem infernumq; destruxit, ac triumphator à mortuis resurrexit. *Phase* quoq; præceperat celebrari Deus, in memoriam

* *in Dialog. pag. 295.*

K

L.

moriam

moriam liberationis filiorum Jſràël de Ægypto; at nunc nos Christiani Paſcha noſtrum celebramus in memoriam liberationis omnium antiquorum juſtorum de inferno, redemptionisq; per Chriſtum conſummatæ. Nam utiq; æquum eſt, ut diem ſalvationis animarum, præferamus diei ſalvationis corporum, illamq præ hac colamus. Et hoc fuit prædictum Jer. 16. v. 14. *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & non dicetur ultrà: Vivit Dominus, qui eduxit filios Jſràël de terra Ægypti, ſed, Vivit Dominus, qui eduxit filios Jſràël de terra Aquilonis.* Q. d. Quòd non debeamus ampliùs recolere, celebrando phaſe judaicum, quòd DEUS filios Jſràël ex Ægypto eduxerat, aſt quòd omnes veros (non carne aſt ſpiritu) Jſràëlitas, de captivitate dæmonis, liberaverat. Per aquilonem enim intelligitur diabolus; ille enim Jſ. 14. v. 13. dicebat: *Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus aquilonis.* Et de illo Joel 2. v. 20. dicitur: *Eum, qui ab aquilone eſt procul faciam à vobis: & expellam eum in terram inviam & deſertam; - - - quia ſuperbe egit.* Idem dicendum & de aliis feſtis legalibus quia illa erant figuræ futurorum; ut feſtum tabernaculorum erat piæ vitæ Chriſtianæ figura, dum ſcil. pij Chriſti fideles ſunt ut advenæ & peregrini in mundo, ad Patriam cæleſtem tendentes. Feſtum expiationis figura erat Sacramenti Pænitentiæ, aliorumq; alia. Cùm ergo nunc nos ipſas res, olîm figuratas, tenemus, figuras non curamus. M.

Demonſtr. Quò ad delectum ciborum. Nam ipſemet Moyſes prædixit id futurum Deut. * 12. v. 20. & ſqq. dicens: *Quando dilataverit Dominus DEUS tuus terminos tuos, ſicut locutus eſt tibi, & volueris veſci carnibus, quas deſiderat anima tua: locus autem, quem elegerit Dominus DEUS tuus ut ſit nomen ejus ibi, ſi procul fuerit, occides de armentis & pecoribus,*

* *Elle Haddebarim.*

N.

ribus, quæ habueris, sicut præcepi tibi, & comedes in oppidis tuis, ut tibi placet. Sicut comeditur caprea & cervus, ita vesceris eis: & mundus & immundus in commune vescentur. Hæc in nobis nunc post Christum implentur, in Jsraëlitis enim carnalibus impleta non fuerant; termini enim Jsraël adèò dilati non erant, ut locus quem elegerit Deus strictè procul fuisset, tabernaculum nempe Maysaicum, vel templum Salomonicum; cùm enim Jsraël, contra præceptum divinum, plures ex veteribus habitatoribus Chanaan Judic. * 1. v. 21. & sqq. non deleverit, nec totam terram promissionis possedit. Post Christum vero nunc, dilatavit Deus terminos Jsraël, dum omnes Gentes sunt ad fidem conversæ, deditq; Christo Pater, Ps. 2. v. 8. possessionem ejus terminos terræ. Est quoq; procul. locus quem Deus elegerat, cùm vetus templum judaicum sit solo æquatum, funditusq; dirutum. Omni ergo carne, sive sit illa secundùm Legem Moysi munda, sive immunda, (omnis enim est munda quò ad naturam, cùm Gen. * 1. v. 31. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat: & erant valdè bona*, licet in illa gente prophetali, cui, 1. Cor. 10. v. 11. *Omnia in figura contingebant:* fuerit aliqua immunda quò ad significationem, quia varia vitia figurabat) jam quilibet fidelis, prout illi placet, sine ulla transgressione alicujus præcepti, vesci potest; unum enim Dei præceptum alteri contrarium non est, qui dum tempus unius præterit, dat aliud, quod illi subsequenti tempori est conveniens. Sic dederat priùs præceptum seu licentiam Nòë Gen. 9. v. 3. ut ipse, posteriq; omni carne animalium & piscium vesci possint, at post per Moysen, dum tempus illius præcepti Nòë dati elapsum, aliud hæbræis, aliquas carnes prohibendo, imposuit. Cujus præcepti cùm adveniente Christo iterum tempus præterijt,

Marginalia: * Sephetim. — O. — * Beresith. — P.

terijt,

terijt, antiquum illud privilegium, & concessio Nòé facta, de omnibus licitè comedendis, redijt. Rectissimè enim Matt. 15. v. 11. dicit Christus: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Et Apostolus Tit. 1. v. 15. *Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus* (quales sunt judæi) *nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mens & conscientia.* Hinc Nòé, Abraham, Isaac, Jacob, duodecim Patriarchæ filij Jacob, cum omnibus posteris usq; ad Moysen, imò & ipse Moyses ac Aaron, usq; ad Legem datam, sine exceptione omnibus vescebantur. Quorum cùm aliqua, (ob mysterium & figuram, ac ob id * ut Israëlitæ ab immundis idololatrarum sacrificijs, qui immunda etiam animalia, v. g. sues &c. immolabant, magis alieni fierent, ad Adventumq; Messiæ se per hanc abstinentiam præpararent) illis prohibita essent, veniente Christo, figurisq; illis impletis, ac fine illius prohibitionis cessante, prohibitio quoq; ipsa cessaverit. Quod Lev. * 26. v. 10. videtur esse prædictum: *Comedetis vetustissima veterum, & vetera novis supervenientibus projicietis.* Ubi, *vetustissima veterum* sunt ea quæ ante Legem veterem Patriarchæ Nòé, & posteris, sine omni delectu sunt ad comedendum indulta, *vetera* verò, est ciborum delectus in veteri Lege præceptus, *nova supervenientia* est Lex Christi, nullum (ut fuit sub Nòé) ciborum delectum præcipiens. Jam ergo nunc comedimus *vetustissima veterum*, utentes cibis Nòé Patriarchæ permissis, novaq; Lege Christi superveniente, *vetera* Legis Moysaicæ, ritè, nam ipso Deo jubente, projicimus.

* Corn. in Lev. 11. v. 2.

* Vaikra.

Q.



A. # ARTICULUS XXIV.

Quòd tunc quoq; reprobanda erant Sacrificia cruenta judaica.

Sacrificia cruenta judaica quòd cessarint, nemo est qui non videat. Cùm enim templum Jerosolimiticum, post Christum à judæis occisum, ut olim Propheta Dan. 9. v. 26. prædixerat, sit planè dirutum, judæi, quia extra illud sacrificare non audent, nullibi (Deo sic disponente & volente) sacrificant. At quia & hoc erat prædictum.

Demonstr. *Ex Azaria, & Psalmis.* Nam 2. Paral. * 15. v. 3. Azarias Propheta dicit: *Transibunt autem multi dies in Jsràël absq; verò Deo, & absq; sacerdote doctore,* (proinde & sine sacrificijs, quæ à solis sacerdotibus fieri potuerant) *& absq; lege.* Idem ferè dicitur Os. 3. v. 4. ut mox infra hic dicam. *Quòd* autem id, nec de captivitate Babilonica judæorum, nec de Assyriaca decem tribuum, intelligi possit, ast quòd de præsenti captivitate intelligi debeat, *Ostendo*: Nam non de captivitate, Babilonica, non fuerant enim tunc judæi *absq; vero DEO*, imò tunc eum exactiùs colebant, enixiùsq; in eum sperabant, præterita peccata sua confitendo, misericordiamq; poscendo, ut Baruch. * 1. 2. & 3. legitur. Tuncq; inter eos plures Sancti viri floruerunt, scil. Baruch, Ezechiel, Daniel, Ananias, Azarias, Misàël, Esdras, Zorobabel, Jesus Josedec, & alij. Habebant Joakim filiũ Helciæ Sacerdotem, & præter eum alios; Baruch 1. v. 7. Habebant altare, in quo *holocaumata & thus* Deo offerebant; ibid. v. 10. Habebant doctores, supranominatos scil. sanctos viros. Non erant *absq; lege*, ut dixit *Art. XXIII.*

* *Dibre Hajamim.*

B.

* *Jeremiæ.*

XXIII. lit. C. Habebant quoq; regem suum Joachin 4. Reg, * ult. v, 27. & sqq. & duces seu principes, ut Salathiel, Zorobabel, Sassabasar, & alios, 1. Esdræ 1. & 2. adducendus autem Osee prædicit, hoc tempore, de quo ille dicit, filios Jsraël futuros esse sine rege & principe. Nequit ergo de captivitate Babilonica judæorum id intelligi. Sed nec de captivitate Assyriaca decem tribuum. Nam Azarias & Osee hic dicunt hos filios Jsraël ad verum Deum suo posthinc tempore convertendos, ut dixi *Art. XXI. lit.* F. Decem autem tribus Jsraël postquam sub impio Jeroboam apostatârunt à DEO, nunquam deinceps sunt ad eum conversæ: postq; in captivitatem abductæ, in eaq; constitutæ, potius in Mochometismum, ex Jsraëlitis Tartari factæ (ut *Art. XIX. lit.* G. innui) defecerunt. Qui quamvis, saltem in fine mundi, (si adusq; persistent) ad verum Deum & Christum convertentur, tamen tunc non erit verum de eis dicere, quòd sint conversi Jsraëlitæ vel judæi, ast Tartari. Intelligendum ergo id potiùs de tempore Christi, quo nunc judæi sunt sine vero Deo, sine sacerdote, sine sacrificio, sine lege & rege &c. At de his plura *Art. XXVIII. lit.* F. Consonat his David, pluries in Psalmis suis innuans, quòd DEUS cruenta sacrificia nolit, eaq; repudiet. Sic Ps. 39. v. 7. & 8. *Sacrificium & oblationem noluisti: aures autem perfecisti mihi. Holocaustum & pro peccato non postulasti: tunc dixi: Ecce venio.* C.
Per quod innuitur Deum cruenta judaica sacrificia, veniente ac incarnato Christo, (cui ille aures perfecit, seu, ex Apostolo, Hebr. 10. v 5. *Corpus aptavit*) noluisse, non acceptasse, proinde & reprobasse; sacrificia verò spiritualia, i. e. obedientiam, seu rum q; præceptorum observantiam exegisse. Hinc Samuel Saul inobedienti, mandataq; D.

* Samuel. divina transgredienti, 1. Reg. * 15. v. 22. dixerat: *Numquit vult Dominus holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quàm victimæ: & auscultare magis quàm offerre adipem arietum.* Simile est Ps. 49. v. 13. &. 14. *Numquid manducabo carnes taurorum? aut sangvinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis: & redde, Altissimo vota tua.* Et ibid. v. ult. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Et Ps. 50. v. 18. & 19. *Quoniam si voluisses sacrificium dedissem utiq; holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* En Deus laudem sui, vitam virtuosam, spiritum contribulatum, pro sacrificio sibi gra-
E. to reputat, & cruenta sacrificia repudiat.

Demonstr. Ex Jsaia, Jeremia, Daniele aliisq; Prophetis. *Ex Jsaia.* Nam Js. 1. v. 11. & sqq. Deus protestatur inquiens: *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum. holocausta arietum, & adipem pingvium, & sangvinem vitulorum, & agnorum, & hircorum, nolui. Cum veniretis ante conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atrijs meis? ne offeratis ultra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi.* Ubi dum dicitur: *Holocausta arietum &c. nolui.* LXX. in præsenti vertunt: *nolo.* En quamvis Deus hæc sacrificia judæis in lege præceperit, tamen ea, etiam tempore Jsaiæ, jam reprobat, velut quandam sibi nauseam & abominationem parientia. Licet enim sacrificia illa erant quasi cibus Dei, tamen ad id requirebatur, ut per ea judæi, velut per
F. quasdam umbras, & externas imagines, religionem ac pietatem internam figurantes, religionis ac pietatis hujusmodi moneantur. Quod dum illi non attenderent, & veram pietatem ac religionem deserentes, manusq; plenas sangvine (ut hìc v. 15. Deus eis exprobrat) i. e. impudi-

pudicitiis, rapinis, homicidijs, alijsq; sceleribus, inquinatas, habentes, in his sacrificiis externis totam sanctitatem suam collocarent, perindeq; facerent, acsi quis famelico panes & carnes depictas ad manducandum porrigeret, verasq; negaret; DEUS illa sacrificia jam tunc ex parte, nunc autem ex toto rejecit, maximè quia ea erant tantùm nostrorum sacrificiorum figuræ, non instituerat q; illa sponte sua Deus, quasi ea appeteret, ast ut per hoc judæos à sacrificiis idolorum (ad quæ erant pronissimi) avocaret, uti hìc mox dicam. *Simile* est, & adhuc magis energicum illud Js. ult. v. 3. *Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virũ: qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem: qui offert oblationem, quasi qui sangvinem suillum offerat: qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo.* Audiant judæi præconia reprobatorum à Deo sacrificiorum suorum. *Ex Jeremia.* Jer. 6. v. 20. dicit Deus: *Ut quid mihi thus de Saba affertis, & calamum suave olentem de terra longinqua? holocautomata vestra non sunt accepta, & victimæ vestræ non placuerunt mihi.* Et Jer. 7. v. 21. & sqq. *Holocautomata vestra addite victimis vestris, & comedite carnes. Quia non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis, in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocautomatum, & victimarum. Sed hoc verbum præcepi eis, dicens: Audite vocem meam, & ero vobis Deus & vos eritis mihi populus.* Hocq; patet (ut docet D. Hier. *) quia Deus postquam hebræos ex Ægypto eduxerat, primò eis Decalogum Exod. * 20. dedit, in quo potissimus Dei cultus, puraq; religio, continetur; at cùm illi Exod. 32. in idololatriam prolapsi, aureum vitulum adorassent, eiq; (ibid. v. 6.) *holocausta: & hostias pacificas*, obtulissent, Deus condescendens fragilitati humanæ, jussit ut sibi potiùs sacrificarent quàm dæmoni, certasq; ovium, boum, vitulorum

G.

* in hunc loc.

* Veetle Semotb.

H.

lorum, hircorum &c. victimas, in Levitico immolari præscripsit, nunquam id præscripturus, nisi eos in sacrificia idololatrica videret pronissimos. Idem præcidit Jeremias Thren. * 2. v. 7. dicens: *Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ.* Ex Daniele. Nam Dan. 9. v. 26. & 27. clarissimè prædicitur, post occisum Christum, judæorum reprobatio, Jerosolimæ, templiq; destructio, ac sacrificiorum cruentorum cessatio: *Occidetur Christus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo - - - & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium: & erit in templo abominatio desolationis: & usq; ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* At de hoc jam sæpius, præsertim *Art. V.* *Ex aliis Prophetis.* Nam Os. 3. v. 4. dicitur: *Dies multos sedebunt filij Israël sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine ephod, & sine theraphim.* Et Os. 6. v. 6. *Misericordiam volui, & non sacrificium; & scientiam DEI, plusquam holocausta.* Et Os. 8. v. 13. *Hostias offerent, immolabunt carnes, & comedent, & Dominus non suscipiet eas.* Et Os. 9. v. 4. *Non libabunt Domino vinum, & non placebunt ei: sacrificia eorum, quasi panis lugentium omnes, qui comedent eum, contaminabuntur: quia panis eorum animæ ipsorum, non intrabit in domum Domini.* Et Amos 5. v. 22. & 23. *Quod si obtuleritis mihi holocautomata, & munera vestra, non suscipiam: & vota pinguium vestrorum non respiciam. Aufer à me tumultum carminum tuorum:* (inconditos scil. illos cantus, an veriùs boatus & ululatus, quos in synagogis tuis & cœmeteriis edis, auresq; meas molestas, quæ mihi æquè ac sacrificia sunt ingrata) *& cantica lyræ tuæ non audiam.* Et Mich. 6. v. 6. & sqq. *Numquid offeram ei holocautomata, & vitulos anniculos? Numquid placari potest Dominus in millibus arietũ,*

* Echa, vel kinoth.

I.

K.

arietū, aut in multis millibus hircorū pinguiū? . . . Indicabo tibi ô homo quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: Utiq; facere judicium, & diligere misericordiā, & solicitū ambulare cum Deo tuo. Et Malach. 1. v. 10. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munùs non suscipiam de manu vestra.* Et Malach. 2. v. 13. *Non respiciam ultrà ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra.* Quid his expressius?

Demonstr. idem *rationibus.* I. Quia Christus venit, non ut solos tantùm judæos à captivitate temporali, ast ut omnes homines ab æterna, redimeret, eosq́ ad se converteret, & salvaret, ut ostendi *Art. VIII. & X.* Ergo veniente illo sacrificia cruenta judaica repudiari debuerant. Hæc enim in uno tantùm Jerosolimitano templo offerenda erant, ac à sacerdotibus, ex unica tantùm tribu Levi descendentibus, immolari potuerant: impossibile autem esset, ut omnes Gentes in Christum credentes in solo Jerosolimitano templo, idq; per sacerdotes ex unica tantùm tribu progenitos, Deo sua offerant sacrificia; proinde Christus abrogatis cruentis sacrificiis in uno tantùm loco offerribilibus, sanxit, ut juxta Malach. 1. v. 11. in omni loco sacrificaretur & offerretur nomini ejus oblatio munda; & rejectis sacerdotibus Aaronicis, assumpsit sibi *de cunctis Gentibus*, juxta Is. 66. v. 21. *in Sacerdotes & Levitas.* Vide *Art. XVIII.* L.

II. Deus sacrificia illa præcipiens, perpendebat, (ut infinitè sapiens, providus, & misericors) circumstantias illas quæ tunc perpendendæ erant, h. e. propensionem judæorum, ad facienda cruenta sacrificia summopere affectorum; ac multitudinem gentium idololatricarum, ubiq; diffusarum, hujusmodi sacrificia idolis offerentium: proinde ne in idola defluerent, illis ea permisit, ut tamen sibi soli offerrentur, præcepit, non quasi ijs egeret, nido- M.

req; carnium, aut morte pecudum (quales deos suos Idololatræ putârunt) delectari vellet, nam utiq; stultum est & impium dicere id, vel cogitare de Deo, cùm ille Ps. 15. v. 2. bonorum nostrorum non eget, ac Ps. 103. v. 31. lætatur in operibus suis, vivis scil. & non mortuis; sed propter ipsos judæos, ut in cultu suo detineret eos. Hinc D. Hier. * dicit: *Hostiæ ergo & immolatio victimarum, non principaliter à DEO quæsita sunt: sed ne idolis offerrentur.* Et D. Aug. * *Quis nostrum nesciat magis ea* (Sacrificia) *perverso populo congruenter imposita, quàm DEO desideranti oblata.* Et D. Cyril. Alex. * *Legem illis instituit per Moysen, quasi spiritualium puerorum alumnum, & ita ab idololatria abduci præcepit: permisitq; tunc subditis cultum, juxta priscorum consvetudinem, offerreq; sibi gratiarum actiones & sacrificia.* Quia verò in nobis Christianis, in idololatrica sacrificia jam non datur talis propensio, veniente enim Christo venerunt dies Jer. 31. v. 31. & sqq. quibus verum DEUM omnes cognoverunt, *à minimo eorum usq; ad maximum*) proinde cruenta illa sacrificia tolli debuerant. *III.* Judæi tunc erant carnales, in exterioribus tantùm actionibus, tum aliarum Legis ceromoniarum, tum sacrificiorum, occupati, ac ad cognitionem rerum spiritualium & divinarum inepti, adeóq; permisit eis DEUS hæc sacrificia, donec veniret Messias, Legemq; suam novam, Jer. 31. v. 33. *in visceribus eorum, & in corde eorum* scriberet, hasq; externas & carnales ceremonias aboleret. *IV.* Hæc sacrificia Sacrificium Crucis, & Altaris Eucharistici, figurabant: Ergo ante Christum durare, postq; illum deficere ac abrogari debuerant; ut oriente sole, lux fulgorq; stellarum, extingvitur, ac tenebræ noctis dissipantur. Hinc D. Cyril. * ait. *Ubi Christus nostri omnium Salvator infulsit, abolitæ*

* in Isa. 1. v. 12.

* l. 18. contra Faustum.

* l. 4. contra Julianum.

N.

* ibid.

O.

quidem

quidem sunt figuræ, cessavit autem quæ quasi in littera umbræ infirmitas - - - Itaq; resecuit cruentas hostias, quasi exercitationis opera, veteribus dispensativè concessa. V. Illa sacrificia in solo Jerosolimitano templo Deus sibi offerri præcepit: at - - veniente Christo templum illud dirui à fundamentis voluit: ac consequenter illa sacrificia penitus reprobavit; sicut si medicus ægro ebibere in die poculum vini permitteret, conditionem adijciens, ut non alio poculo, ast hoc tantùm biberet, ac postea ipsemet illud poculum irreparabiliter frangeret, utiq; hôc ipso revocare concessionem suam censeri deberet.

Accedunt R. Pinnas, R. Haccados, & R. Simeon, docentes tempore Messiæ omnia sacrificia cruenta cessatura. Vide *Art. XVIII.* circa finem.

ARTICULUS XXV.

Quòd his stantibus & non obstantibus, Christus Legem Moysi non solverit ast adimpleverit. A.

OStensum jam, tempore Christi Legem Moysaicam in debito sensu, ac carnalem circumcisionem, sabbata, aliaq; festa legalia, cruenta sacrificia, & ciborum delectum debuisse planè abrogari & tolli; quia tamen Christus Matt. 5. v. 17. dicit: *Nolite putare quoniam veni solvere Legem, aut Prophetas: non veni solvere, sed adimplere;* judæi id legentes, debitèq; non intelligentes, ineptè discurrendo dicunt, quòd Christus Legem illam abrogare neq; potuerit neq; debuerit, vel si abrogavit, quód promissis suis hîc Matt. 5. non steterit, verumq; non dixerit; hinc impræsentia-

rum, in quo sensu Christus id dixerat, ostendendum. Cùm autem (uti omnes nôrunt) Divinæ Legis hujus præcepta sint triplicia, scil. *Alia* Decalogalia seu moralia,
B. quæ ad mores ritè formandos pertinent, ut sunt illa decem, quæ in duabus tabulis lapideis digito suo ipse Deus descripserat, & alia quædam, quæ sunt sparsim in Lege, ad ipsumq; Decalogum reducuntur. *Alia* ceremonialia seu legalia, quæ varias observantias, multiplicesq; ritus ac ceremonias, sacrificiorum, aliorumq; præscribunt. *Alia* judicialia, quæ spectant ad omnes, tum civiles, tum criminales causas, decidendas; proinde de omnibus his demonstrandum, quòd Christus ea non solverit, ast adimpleverit. Jam itaq;

Demonstr. *Quò ad præcepta Decalogalia seu moralia.* Hæc enim, cùm sint legis naturæ, eaq; omnium hominum cordibus inscripserat Deus, minimè Christus solvit, ast adimplevit, eximièq; ac plenè perfecit, tum de se (ait D. Hier. *) prophetata complens, tum quomodo hæc præcepta perfectiùs observentur & impleantur, clarè edocens. Et hoc patet, ex citt. Matt. 5. nam ibi postquam v. 17. dixisset, quòd non venerit Legem solvere, ast adimplere, mox id evidenter ostendit, dum pleraq; illa præcepta inducit, utq; pleniùs observentur, quædam eis adjungit.
C. Incipiens enim ab illo Exod. * 20. v. 13. *Non occides*; illud, aliaq; subsequentia, perfectiùs ac pleniùs observanda docet. Illud enim præceptum prohibebat homicidium; at ille citt. Matt. v. 22. & sqq. cordis iram, orisq; contumeliosa verba (cùm hæc ducant ad homicidium) interdicit. Præceptum Exod. 20. v. 14. vetabat adulterium; at Christus Matt. 5. v. 28. visum lascivum, cordisq; concupiscentiam damnat. Lex. Deut. * 25. v. 1. permittit, ut vir

* in hunc loc. Mat. 5.

* Veelle Semoth.

* Elle Haddebarim.

vir uxori possit dare libellum repudij, si illa ei non placuerit; at Matt. 5. v. 32. non permittit, imò dicit, quòd sic uxorem suam dimittens faciat eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulteret. Lex Lev. * 19. v. 12. prohibet perjurium; at Christus Matt. 5. v. 34. omne juramentum, indebitè perversè (ut mox id explicabo) factum. Lex Exod. 21. v. 24. & 25. præcipit, ut detur oculus pro oculo, dens pro dente, manus pro manu, pes pro pede, adustio pro adustione, vulnus pro vulnere, livor pro livore; at Christus Matt. 5. v. 29. & sqq. vult ut non resistamus malo, sed si quis nos percusserit in dexteram maxillam, præbeamus illi & alteram, & si velit nobiscum contendere, ac tunicam nostram tollere dimittamus ei & pallium. Lex Lev. 19. v. 18. jubet, ut diligamus amicum sicut nosmetipsos; Christus vero Matt. 5. v. 44. & sqq. mandat, ut diligamus etiam inimicos, pro illis oremus, ac eis benefaciamus, ut simus filij Patris cælestis, qui inimicis suis benefacit. En Christus Legem Decalogi (quæ præcise & pharisaicè sumpta, incompletè ac imperfectè, imò & impiè, intelligebatur, per suam Divinam doctrinam adimplevit, planè completam reddidit, & ad summum usq; perfecit. *Neq; dicant* judæi: Deut. 6. v. 18. dicitur: *Dominum Deum timebis, & illi soli servies, ac per nomen ejus jurabis*; & tamen id Christus solvit Matt. 5. v. 34. docens: *Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neq; per cælum* &c. Et illa lex Deut. 24. v. 1. de dando uxori libello repudij, est penitus ab illo sublata. Similiter lex poligamiam, seu pluralitatem uxorum permittens. Proinde videtur leges etiam morales solvisse, non implesse. *Non dicant* inquam Christus enim juramentum sustulit & prohibuit, in perverso tantùm sensu judaico, & pharisaico. Illi enim imò

* *Vaikra.*

D.

E.

* in Deut. 6. v. 13. docebant (ut refert Lyran. *) quòd juratio per nomen Domini, etiam temerè & sine necessitate, velut quidam virtutis & religionis actus, frequentari debeat; & hoc Christus reprobat, idq; meritò, nam in ipso Decalogo Exod. * 20. v. 7. præcipitur; *Non assumes nomen Domini DEI tui in vanum. nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustrà.* Et Jer. 4. v. 2. *Et jurabis: Vivit Dominus, in veritate, & in judicio,* (i. e. non temerè & frivolè) *& in justitia.* 2do: Idem blaterabant, quòd qui jurat, etiam falsò, per creaturas, v. g. per cælum, templum, altare &c. non peccet, ut id ipsemet Christus Matt. 23. v. 16. & sqq. scribis & pharisæis exprobat, taleq; juramentum ibi, tum hìc Matt. 5. prohibet, docens, quòd qui jurat in templo, juret in eo qui habitat in ipso, & qui jurat in cælo, juret in throno Dei, & in eo qui sedet super eum &c. Hocq; DEUS innuit Js. 65. v. 16. *Qui jurat in terra, jurabit in Deo amen.* 3tio: Christus (ut advertit D. Hier. *) non prohibet hìc jurare per DEUM, modo id fiat legitimè, ast per cælum, & terram, & Jerosolymam &c. uti patet ex textu. Nam judæi (ait) habuerant impiam consvetudinem per creaturas jurandi, & eas per hoc cultu soli Deo debito honorandi, ut illis Deus exprobrat, Jer. 5. v. 7. dicens: *Dereliquerunt me, & jurant in his qui non sunt dij.* Et Jer. 12. v. 16. *Docuerunt populum meum jurare in Baal.* Et Amos 8. v. 14. *Jurant in delicto Samariæ, & dicunt: Vivat Deus tuus Dan, & vivat via Bersabee.* Et Sophon. 1. v. 5. *Jurant in Domino, & jurant in Melchom.* Hæc ergo illicita, impia, & idololatrica juramenta, loco citt. prohibuit Christus & sustulit. *Deinde*: Tam de dando libello repudij, quàm de polygamia, nulla lex erat, ast nudè tantùm DEI, duritiæ ac fragilitati illorum condescendentis,

Margin notes: * Velle Semeth. — F. — * hic in Matt. 5.

dentis, permissio. Videns enim DEUS duritiam cordis eorum, ob quam parati erant, uxores suas, non placentes sibi, occidere, dari permisit uxori libellum repudij, si illa viro, ob duritiam cordis ejus, (ut Matt. 19. v. 8. ipse Christus explicat) non placuerit. Videns quoq; magnam populi illius lasciviam & incontinentiam, ita ut tunc vir unus una tantùm uxore contentus non esset, permisit ac toleravit polygamiam. Neutrum autem horum veniente Christo, ac per ejus gratiam duritia ac fragilitate illa jam cessante, permitti ac tolerari debuerat; matrimonialis enim contractus debet esse firmus & stabilis, ita, ut Gen. * 2. v. 24. relinquat homo patrem suum & matrem, & adhæreat uxori suæ, ac sint duo, non autem plures, in carne una; est enim naturæ conveniens, ut vir unus, unam quoq; uxorem habeat, cùm hoc cernatur in pluribus avibus, & animalibus. G.

*Beresith.

Demonstr. *Quò ad præcepta Legis ceremonialia.* Nam hæc Christus potiùs jubet servari, quò ad spiritualem & mysticam intelligentiam, sub cortice litteræ occultatam, principaliterq; à Deo intentam, Matt. 23. v. 2. & 3. dicens: *Super cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi. Omnia ergo quæcumq; dixerint vobis servate & facite.* Per hoc enim præcipit præcepta Legis, etiam ceremonialia, quô ad mysticum & spiritualem sensum, à discipulis quoq; suis, quos ibi v. 1. alloquitur, consequenter & à nobis, servari debere, quem sensum scribæ & pharisæi perspectum habebant. Nam Moyses 70. senioribus, quos jussu Dei Num. * 11. v. 16. & sqq. in deserto adhuc constituerat, secretiorem ac mysticum Legis suæ sensum, posteris quoq; tradendum, communicaverat, quem sensum Philo judæus * *Legem spiritualem* appellat; & hic usq; ad Christum seniotibus H.

* Vaiedabber.

* l. de plantat. Noë.

ribus

ribus judæorum erat cognitus, quemq; ille servare hìc jubet. Sic D. Hilar. * dicens: *Moyses quamvis veteris testamenti verba in literis condidisset: tamen separatim quædam ex occultis Legis secretiora mysteria septuaginta senioribus, qui doctores deinceps manerent, intimaverat. Cujus doctrinæ etiam Dominus in Evangeliis meminit dicens: Super cathedram Mosi, inquit, sederunt scribæ & pharisæi. Omnia ergo quæcumq; dixerint vobis servate & facite.* Consonat D. Aug. * inquiens: *Et illis temporibus* (antiquæ Legis) *fuerunt justi spirituales, quos non occidebat littera jubens, sed vivificabat spiritus juvans.* Deinde Christus alloquens Samaritanam Joan. 4. v. 23. & 24. dicit: *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est DEUS: & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Supra quod D. Cyril. Alex. * ait. *Præsens Adventus sui, tempus significat, in quo figuras Legis in veritatem, & umbram, in cultum spiritualem, & placentem Deo Patri vivendi normam, per Evangelicam doctrinam transmutari insinuat.* Hinc Christus actus virtutum, maximè charitatis Dei & proximi, Legem & Prophetas appellat, Matt. 7. v. 12. dicens: *Omnia ergo quæcumq; vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim Lex, & Prophetæ.* Et Matt. 22. v. 40. *In his duobus mandatis* (dilectionis nempe Dei & proximi) *universa Lex pendet, & Prophetæ.* Et inde Rom. 13. v. 10. Apost. lus infert: *Plenitudo ergo Legis est dilectio.* Et Rom. 7. v. 14. dicit: *Scimus enim quia Lex spiritualis est.* Imò & DEUS ipse, licet adhuc stante Lege veteri, pluries & expressè dicebat, sibi magis placere, si Lex illa spiritualiter, & quò ad intelligentiam mysticam observetur. De sabbato enim, inquantum ceremoniale erat Exod. * 16. v. 23. dicitur: *Requies*

* Enarrat. in Ps. 2. prope initium.

I.

* l. 1. contra adversarium Legis & Prophet.

* in Joan l. 2. c. 93.

K.

qui es sabbati sanctificata est Domino. Per quod sabbatum legaliter observátum, *Requies Domini* appellatur. At Js. 28. v. 12. Deus dicit: *Hæc est requies mea, reficite lassum, & hoc est meum refrigerium.* Et Js. 58. v. 4. & sqq. expressè ait, se nolle ut Judæi jejunent, & affligant se, tantùm carnaliter: *Nolite jejunare sicut usq; ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester. Numquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? numquid contorquere quasi circulum caput suum, & saccum & cinerem sternere? numquid istud vocabis jejunium, & diem acceptabilem Domino? Nonne hoc est magis jejunium, quod elegi? dissolve cogitationes impietatis, solve fasciculos deprimentes; dimitte eos, qui confracti sunt, liberos, & omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosq; induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* En Deus omne jejunium, carnaliter tantùm observatum, proinde & illud legale, quod in diebus expiationum Lev. * 23. v. 27. & sqq. præceperat, non acceptat, & spiritualem jejunii observantiam acceptaturum se dicit. Et adhuc expressiùs Zach. 7. ubi postquam v. 5. dixisset: *Cùm jejunaretis & plangetis in quinto & septimo* (mense) *per hos* (captivitatis Babilonicæ) *septuaginta annos: numquid jejunium jejunastis mihi?* mox v. 7. & sqq. ait: *Numquid non sunt verba, quæ locutus est Dominus in manu Prophetarum priorum - - - - Judicium verum judicate, & misericordiam & miserationes facite, unusquisq; cum fratre suo. Et viduam, & pupillum, & advenam, & pauperem nolite calumniari: & malum vir fratri suo non cogitet in corde suo. Et noluerunt attendere, & averterunt scapulam recedentem, & aures suas aggravaverunt ne audirent. Et cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent Legem, & verba quæ misit Dominus exercituum in Spiritu suo.* Hìc clarè Deus præceptum ceremo-

L.

* *Vaikra.*

ceremoniale Legis Moyſaicæ de obſervando expiationum jejunio, ſpiritualiter, i.e. de abſtinentia à vitiis, intelligendum eſſe declarat, Legemq; & verba ſua, ſe miſiſſe *in Spiritu ſuo* h. e. non in carnali tantum & litterali, aſt ſpirituali intelligentia, expreſsè inſinuat. Similiter per circumciſionem carnalem, circumciſionem & emollitionem cordis, per cruenta ſacrificia, obedientiam, mandatorum

N. ſuorum obſervantiam, miſericordiã, laudem & glorificationẽ ſui, volebat intelligi, ut oſtendi *Art. XXII. & XXIV.* Et hoc Chriſti Fideles mox poſt Spiritus S. Adventum, dum jam eos (1. Joan. 2. v. 27. *unctio ejus* doceret de o-

* *l. de Contemplatione* mnibus, cognoverunt, qui (uti narrat Philo *) Alexandriæ degentes, ſub S. Marco Apoſtolo & Evangeliſta, Legem Moyſaicam ſpiritualiter explicabant, ſicq; explicatam ſanctiſſimè obſervabant; & meritò, Lex enim hæc ſpiritualiter, i.e. in ſenſu myſtico ſub cortice litteræ occultato, intellecta, obſervatur perfectiùs, magiſq; Sanctitati & Sapientiæ Dei Legiſlatoris congruit. *Si enim* (ait S. Cy-

* *in Lev. l. 7.* ril. Alex. *) *ſecundùm hanc intelligentiam, quam docet Eccleſia, accipiatur Lex Dei, tunc planè omnes humanas ſupereminet leges, & verè Dei Lex eſſe credetur.* Hanc ergo, ſic intellectam, Legem, quòd Chriſtus non ſolverit, aſt ſervandam præceperit, *Do Exempla. I.* Dum in pluribus locis Lex

O. mandat, ut hædus vel taurus immoletur; & per hoc ænigmaticè innuitur, ut luxuriam ſignificatam per hædum, & ſuperbiam per taurum, occidamus in nobis, caſtiq; & humiles ſimus. Chriſtus expreſſè id præcepit Matt. 5. v. 8. docens: *Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt.* Et Matt. 11. v. 29 *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis cor-*

* *Vaikra.* *de.* II. Dum Lev. * 5. v. 6 & 7 ac alibi pluries, jubetur, ut agnus, turtur, aut columba offeratur; & per a-

gnum,

gnum, mansvetudinem, per turturem, castitatem, per columbam, simplicitatem, Deo esse offerendam, docetur. Idem docet & Christus Matt. 10. v. 16. *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Et 1. Tim. 2. v. 2. & 3. *Tranquillam vitam agamus, in omni pietate & castitate, hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo. III.* Dum Lev. 22. v. 23. præcipitur, ne animal sine aure, vel cauda offeratur; & per hoc innuitur Deo tale non placere obsequium, quod est contra obedientiam, tanquam sine aure, & sine perseverantia in finem, tanquam sine cauda, quæ est animalis extremitas. Christus quoq; hoc docet Luc. 10. v. 16. discipulis dicens: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit,* Et Matt. 10. v. 22. *Qui autem perseveraverit usq; in finem hic savus erit. IV.* Dum Lev. 11. v. 4. & sqq. jubetur, ne camelus, lepus, sus, aliaq; immunda animalia comedantur; per hocq; demandatur ut (loquor cum D. Aug *) *quos cibos Judæi vitant in pecoribus, vitemus in moribus,* seu ne simus immundi, peccatisq; ac vitijs inquinati; Idem Christus docet Matt. 15. ubi postquam v. 11. dixisset: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Explicat id discipulis v. 17. & sqq. dicens: *Quod in os intrat, in ventrē vadit, & in secessū emittitur. Quæ autē procedunt de ore, de corde exeunt & ea coinquinant hominem: de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. hæc sunt, quæ coinquinant hominem. V.* Dum Lev. 11. v. 10. prohibetur, ne pisces sine pinnulis & squamis, edantur; ac per hoc præcipitur, ne terrenis simus affixi; pisces enim pinnulis & squamis carentes cùm semper ferè in profundo limo terræ volvuntur,

P.

* *Orat. ad versus Jud.*

Q.

* l. 9. contra Julian. nec in altum enatare soleant, sunt (ait S. Cyril. *) figuræ hominum terrenis tantùm addictorum, & cælestia non respicientium. At & hoc Christus jubet Matt. 5. v. 3. *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Et Matt. 6. v. 19. & 20. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: - - - Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo. VI.* Dum ibid. v. 15. cavetur, ne ulla avis corvini generis manducetur; per idq; significatur, ne quis imbelles (ut facit avis rapax) per vim opprimat, alienaq; surripiat. Hoc etiam sæpe Christus inculcat, maximè pharisæos rapaces indigitans, ut Matt. 7. v. 15. *Intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Et Luc. 20. v. 47. *Devorant domus viduarum, simulantes longam orationem. VII.* Dum Deut. * 12. v. 23. dicitur: *Hoc solum cave, ne sangvinem comedas*; per hocq; mandatur, ne proximo mortem optemus, & quasi sangvinem ejus sitiamus, neve illum odio habeamus. Christus quoq; singulari suo præcepto id cavet Matt. 5. v. 44. demandans: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.*

* Elle Hadde barim.

R.

VIII. Dum Exod. * 23. v. 19. dicitur: *Non coques hædum in lacte matris suæ*; ac dum Deut. * 22. v. 6. & 7. jubetur, ut inveniens nidum avis, pullis suis incubantis, pullos solos auferat, at liberam matrem dimittat; hôcq; denotatur, nos misericordes esse debere, & ne afflicto afflictionem addamus præcavere. Hoc quoq; clarè Christus Luc. 6. v. 36. præcipit: *Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est. IX.* Dum Deut. 25. v. 4. mandatur. *Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas*; per hocq; præcipitur, ne operarios mercede sua fraudemus. Idem Christus Luc. 10. v. 7. docet: *Dignus est enim operarius mercede sua.* X. Dum Lev. * 19. v. 19. dicitur: *Agrum tuum non seres*

* Veelle Semoth.

* Elle Haddebarim.

* Vaikra.

seres diverso semine; eoq; vetatur, ne quis vanam & periculosam doctrinam cum semine verbi Divini commisceat. Hoc ipsum Christus reprehendit in pharisæis Matt. 15. v. 6. dicens: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Et Matt. 13. v. 25. dicit; quòd inimicus homo bono semini superseminavit zizania. *XI.* Dum ibid v. eod. additur: *Veste, quæ ex duobus texta est non indueris*: & hoc est idem acsi diceretur: non eris varius, inconstans, atq; mutabilis. Et Christus id docet, tùm in sermone Matt. 5. v. 37. *Sit autem sermo vester, est, est: non, non*: tum in operatione, Matt. 10. v. 22. *Qui autem perseveraverit usq; in finem, hic salvus erit.* Et Paulum Act. 23. v. 11. confirmando, dicit, *Constans esto: sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic te oporet & Romæ testificari.* *XII.* Dum Deut. 22. v. 10. jebetur: *Non arabis in bove simul & asino*; & per hoc innuitur, ne æquales labores & gravamina, robustiori ac infirmiori imponamus, paresq; eos in illis faciamus. Idem etiam Christus verbo & exemplo docuit Matt. 9. v. 15. dicens: *Numquid possunt filij Sponsi lugere quamdiu cum illis est Sponsus? Venient autem dies cùm auferetur ab eis Sponsus: & tunc jejunabunt.* Q. d. (ait S. Hier. *) Discipuli mei, qui nunc ante Passionem meam, & Adventum Spiritûs S. sunt adhuc infirmi & imperfecti, non possunt severiora jejunij & continentiæ sustinere præcepta, at veniet tempus, cùm per Spiritum S. fortes perfectiq; reddentur, & tunc portabunt hæc onera. Quod edoctus ab eo Apostolus Rom 15. v. 1. ait: *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere.* *XIII.* Dum Deut. * 22. v. 11. dicitur: *Non indueris vestimento quod ex lana linoq; contextum est*; ac per hoc mandatur ne simus hypocritæ & simulatores, aliud corde gestantes, & aliud ore ostentantes, ut ex lino inte-

S.

T.

* hic in Matth.

* Ebr. Hal-debarim.

rior vestis, ex lana verò exterior communiter conficitur. Christus simulationem & hypocrisim, tum alibi, tum maximè Matt. 23. v. 27. & 28. damnat & interdicit dicens: *Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ: quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurtitia, sic & vos à foris quidem paretis hominibus justi: intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate.*

U. Similiter, alia ceremonialia Legis illius præcepta, intelligi debent, ut præter tenorem verborum, contineant spiritualem sensum, & sententias, ad omnem virtutem & pietatem conducentes. Moyses enim, quia (ait Clemens Alexandrin. *) eruditus fuit in omni sapientia Ægyptiorum, qui solebant hieroglyphicis, Symbolis, & ænigmatibus, majora & altiora dogmata doctrinæ suæ depingere, pariter Legis suæ mandata (Deo etiam, ob ruditatem populi illius, sic ordinante) tradidit. Quem fortè sunt secuti aliqui philosophi & legislatores ethnici, quia ad normam Legis hujus Moysaicæ suas leges & præcepta tulerunt, superficialiter quidem quasi indifferentia, at si inspiciantur intrisecus ad virtutem & honestatem conferentia. Sic Pytagoras * docebat hæc ænigmata: *Stateram ne transilias*; i. e. ne prætergrediare justitiam, seu, ne sis avarus. *Ne ignem gladio fodias*; i. e. ne iratum & impudentem asperis verbis magis adhuc ad iracundiam concites. *Coronam ne vellices*; i. e. leges, quæ civitatum sunt velut coronæ, ne offendas. *Ne cor edas*; i. e. ne teipsum

W. mærore curisq; conficias. *Neq; super chænicem vel modium sedeas*; i. e. ne ignaviter vivas. *Hirundines in domum ne suscipias*; i. e. garrulos & impotentis lingvæ homines, contubernales tibi non facias, *Per viam publicam ne ambules*; i. e. ne multorum sequaris errorem. *Deorum imagines in annulis*

* l. 6. Stromatum.

* teste D. Hier. l. 3. contra Ruffin. & D. Cyril. l. 9. contra Julian.

annulis ne feras; i. e. sententiam & sermonem de diis ne facile manifestes & divulges. *Cùm profectus fueris, ne redeas*, i. e. post mortem vitam istam ne desideres. *Onus portantibus imponendum, non autem simul deponendum*; i. e. non cooperandum alicui ad ignaviam, ast ad virtutes & labores. *Hæc Pythagoras*. Quia ergo Christus præcepta Legis Moysi ceremonialia, legislatoria & authentica interpretatione sua explicavit, ac planè plena reddidit, non solvit ea, ast summè eximièq; complevit. Nam (ut ait D. Cyril. *) *omnis obscuri ænigmatis plenitudo meritò intelligitur veritas - - - Ideò transitus ad veritatem ab umbris, Legem Moysi non tollit, sed manifestiorem ejus mentem exhibet*, X.

* l. 9. contra Julianum.

Demonstr. *Quò ad præcepta judicialia.* Nam Lex illa judicialis erat imperfecta, imperfectisq; hominibus scil. judæis accomodata & lata, qui erant apti timore magis pœnæ quàm honestatis amore ad virtutem impelli, educandiq; fuerant uti rudes pueri, proindæ & Lex velut rigidus pædagogus eorum esse debuerat, ut fatetur Apostolus Gal. 3. v. 24. *Lex. pædagogus noster fuit in Christo.* Sicut ergo (dat exemplum Lyran. *) non destruitur puer, dum fit vir, cùm in eo ætate tantùm ejusdem personæ mutata, transit pueritia, at melior status permanet; & sicut non solvitur nec destruitur ad virtutem impulsus, dum qui puer manens, timore rigoreq; pœnæ impellabatur ad eam, nunc vir factus, honestatis amore (ut perfecti assolent) ad illam allicitur; sic Lex illa non est per Christum soluta, dum ille in aliquibus rigorem ejus per se temperavit, in aliis verò, suis ministris, temperandum commisit, prout communitati fidelium, pro varietate personarum, locorum, & temporum, utile esse animadverterint; sic enim meliorem modum observandæ & administrandæ justitiæ ordinavit. Y.

* in Matt. 5. v. 17.

vit. *Deinde*: Lex illa universalis non erat, omnibusq; totius orbis Gentibus (quæ converti ad Christum debuerant) accomodari non poterat, solisq; Judæis, Palæstinam tunc incolentibus, ut poté populo duro ac rudi, serviebat; nam Gentes, ut sunt locis & lingvis differentes, sic etiam moribus, & humoribus, proinde non omnes possunt ijsdem legibus judicialibus subijci, atq; regi. Christus ergo illam perfecit ac complevit; dum universalem reddidit, Spiritu S. Ecclesiam suam dirigendo, ut Leges universales Canonicas, omnibus Christicolis proportionatas, sanciret; ac principes sæculares movendo, ut ferrent jura sua civilia, temporibus & moribus Gentium sibi subditarum accomoda. Qui etiam ex illis veteribus legibus judicialibus pleraq; selegerunt, quæ generatim omnibus Gentibus, locis, & temporibus inservient, qualia sunt: Ut homicida Gen. * 9. v. 6. interficiatur. Ut occidens hominem Exod. * 21. v. 14. per industriam ac insidias, jure asyli non gaudeat, ast etiam ab altari Dei avellatur, & occidatur. Ut vulnerans non lethaliter, ibid. v. 19. restituat operas ejus, & expensas in medicos. Ut adulteri, incenstuosi, sodomiæ aut bestialitatis rei, Lev. * 20. v. 1. & sqq. moriantur. Ut maledicens Deo, vel blasphemans nomen Domini, Lev. 24. v. 16. reus mortis damnetur. Ut percutiens alterius animal, ibid. v. 18. reddat vicarium. Ut qui superbierit nolens obedire summi Sacerdotis imperio, Deut. * 17. v. 8. moriatur. Ut in judicio unus testis non valeat, Deut. 19. v. 15. ast in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Ut falsus testis ibid. v. 16. & sqq. crimen talione luat. Et alia plura.

Z.

* Beresith.

* Veelle Semoth.

* Vaikra.

* Elle Haddebarim.

Accedit Eleazarus Judæorum Summus Pontifex, ante Christum florens, qui Legem ceremonialem Moysaicam, symbo-

symbolicam & ænigmaticam esse agnovit. Nam, teste Cornel. * interrogatus ab Aristea, Ptolomæl Philadelphi regis Ægypti Legato: Cur Moyses quædam animalia vetuisset comedi, vel sacrificari, quibus aliæ Gentes uterentur? respondit: hæc Moysis præcepta esse symbolica & ænigmatica, qualia sunt symbola Pythagoræ (supra hic allata) & hieroglyphyca Ægyptiorum. Ex quo liquet, quòd Christus Legem Moysi non solvit, qui præcepta ejus ænigmatica doctrinâ suâ cælestî enodavit, sicq; enodata, nobis observanda tradidit.

* *in Canonibus facem Pentateucho præferentib. Can. 27.*

A.

ARTICULUS XXVI.

Quòd Gentes in Christum credentes relicturæ erant sua idola; consequenter, quòd nos, qui Christi & Sanctorum Imagines colimus, idololatræ non simus, ut inquè criminantur judæi.

Messiam venisse, illumq; D. nostrum JESUM à Nazareth, & non quempiam alium, esse demonstratum jam multis *Art. IV. V. VI. VII. & XII.* Nunc demonstrandum, quòd ineptè hallucinentur, ac iniquè nos criminentur judæi, blaterantes, nos idololatriam committere quòd Christi Sanctorumq; colamus imagines. Hoc enim est contra omnes Prophetas, uno ore clarissimè prædicentes, tempore Christi omnia idola & idololatriam penitus tollendam, & omnino destruendam esse, ac omnes Gentes verum Deum culturas. Et id.

B.

Demonstr. I. *Nam* Js. 2. v. 17. & 18. dicitur: *Elevabitur Dominus solus in die illa: & idola penitus conterentur.*

Et ibid.

Et ibid. v. 20. *In die illa projiciet homo idola argenti sui, & idola auri sui, quæ fecerat sibi ut adoraret, talpas & vespertiliones.* Et Is. 17. v. 7. & 8. *In die illa inclinabitur homo ad Factorem suum, & oculi ejus ad Sanctum Israël* (i. e. Christum) *respicient: & non inclinabitur ad altaria, quæ fecerunt manus ejus: & quæ operati digiti ejus non respiciet, lucos & delubra.* Et Is. 30. v. 22. *Contaminabis laminas sculptilium argenti tui, & vestimentum conflatilis auri tui, & disperges ea sicut immunditiam menstruatæ.* Et Is. 31. v. 7. *In die enim illa abjiciet vir idola argenti sui, & idola auri sui, quæ fecerunt manus vestræ in peccatum.* Et Jer. 16. v. 19. & 20. *Ad te Gentes venient ab extremis terræ, & dicent: Verè mandacium possederunt patres nostri, vanitatem quæ eis non profuit. Numquid faciet sibi homo deos, & ipsi non sunt dii?* Et Ezech. 36.

C. v. 25. *Mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab universis idolis vestris mundabo vos.* Et Ezech. 37. v. 23. *Neq; polluentur ultrà in idolis suis, & abominationibus suis.* Et Nahum 1. v. 14. & 15. *De domo Dei tui interficiam sculptile, & conflatile, - - - non adiciet ultrà ut petranseat in te Belial: universus interiit.* Et Sophon 2. v. 11. *Horribilis Dominus super eos, & attenuabit omnes deos terræ: & adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ Gentium.* Et Zach: 13. v. 2. *Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum: Disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur ultra: & pseudoprophetas, & spiritum immundum auferam de terra* En tam clarè, totq; Prophetæ prædixerunt tempore Christi omnem idololatriam idolaq; tollenda; at quomodo Prophetæ veritatis forent, si nos Christiani idololatræ, idolaq; nostra, sacræ imagines essent?

D. Demonstr. II. Ex illis omnibus locis Psalmorum & Prophetarum, quibus *Art. X. lit.* G. & sqq. ostensum ad

Messiam

Messiam, Deum verum & Hominem, omnes Gentes, antehac idololatricas, convertendas, illum adorandas, magnificandas, deprecaturas, ita, ut Redemptor illarum Sanctus Jsràël, Deus omnis terræ vocetur, Gentesq; antea idola colentes, benedicant verum Deum & laudent, ac *in vocent omnes in nomine Domini, & serviant ei humerô unô*, non dicatq; tunc vir proximo suo, & vir fratri suo: *cognosce Dominum*, quia omnes cognoscent eum, à minimo eorum usq; ad maximum. Hæc enim vera non essent, si nos jam post Christi Adventum, idola in sacris nostris Imaginibus coleremus, ut hi perversi homines criminantur. Quod & hinc constat, quia (ut *Art. XI. lit.* G. & sqq. patuit) veniente Christo Gentes erant illuminandæ; illuminatæ autem non essent, ast plusquam in Ægyptiacis tenebris persisterent, si in sacris imaginibus idola colerent. His *Adde* illud Ps. 46. v. 10. *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.* Et Ps. 85. v. 9. & 10. *Omnes Gentes quascumq; fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum. Quoniam magnus es tu, & faciens mirabalia: tu es DEUS solus.* Et Js. 45. v. 24. *Mihi curvabitur omne genu, & jurabit omnis lingva.* Et Habac. 2. v. 14. *Replebitur terra, ut cognoscant gloriam Domini.* Ergo cùm nos congregati nunc simus cum Deo Abraham; cùm per fidem ad Deum verum venimus, coram illo adoramus confitentes, quòd ipse magnus & faciens mirabilia, ipse DEUS solus; cùm illi genu nostrum curvamus, & per illum solum juramus; cùm nunc post Christum repleta est terra ut cognoscamus gloriam Domini; summa cæcitas, imperitia, & malitia judaica est, idololatriam nobis objicere, quòd sacras imagines veneremur.

E.

Demonstr. III. *Ex ratione* è Scrip. petita. *Nam* palpabilis est inter sacras Imagines, ac idola gentilium, differentia. Idolum enim est similitudo & imago falsa, ut

F. Jer. 10. v. 14. dicitur: *Confusus est artifex omnis in sculptili: quoniam falsum est quod conflavit*, Et Habac. 2. v. 18. *Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus, conflatile, & imaginem falsam?* Talis namq; similitudo nil repræsentat Nã repræsentat Jovem, Mercuriũ, Venerem, Bacchum, vel vitulũ judaicum, verum DEUM esse, quod est falsum, cùm illi, homines mortales & impij, vitulus verò judaicus (quem adorantes judæi, *mutaverunt* Ps. 105. v. 20. *gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum*) mutum, brutumq; animal, & non Deus erat. Sicut ergo si imago aliquem infimæ fortis homunculum, multò magis aliquod brutum, repræsentaret ut Imperatorẽ vel regem, falsa esse diceretur imago, sic dum idolum quampiam Creaturam repræsentat ut Deum, est falsa imago. Hinc & Apostolus 1. Cor. 8. v. 4. ait: *Scimus quia nihil est idolum in mundo.* Nam quamvis quò ad esse materiale est aliquid, seu quò ad materiam ex qua est confectum, aurum v. g. argentum, œs, lapis, vel lignum, tamen quò ad esse formale, seu repræ-

G. sentativum (in quo ratio imaginis maxime & unicè consistit) est nihil, nihil enim repræsentat, nisi meram chimæram. *At* imago Christi, SSmæ, aut alicujus Sancti, quò ad esse sui formale & repræsentativum non est imago falsa, aut nihil, repræsentat enim Christum, Beatissimam, vel aliquem Sanctum, qui revera datur, estq; veneratione, cultuq; pio ac reliogioso dignus; proinde talis imago nequit dici idolum; sicut regis effigies (qui revera rex est vel fuit) non est idolum, at Imago vera, quia repræsentat rem veram, non autem falsam, aut chimæricam.

Hinc

Hinc licet Deus omnia idola, sæpe, & severissimè, in Lege & Prophetis prohibuerat, tamen ea à veris imaginibus clare discriminans, Exod. * 25. v. 18. duos Cherubim aureos & productiles facere Moysi præceperat. Et 3 Reg. * 6. v. 23. & sqq. Salomonem regem Jsraël, adhuc tunc pium & Sanctum minime reprehenderat, dum ille duos Cherubim de lignis olivarum in oraculo fecerat, & ibid. v. 32. & 25. Cherubim, & palmas, & cælaturas, valde eminentes sculpserat, & alia plura. Imò David 1. Paral. * 28. postquam Salomoni præcepisset & ordinasset, ut talia in templo à se extruendo faceret, subdit, quòd horum omnium descriptum exemplar de manu ipsiusmet Dei acceperit v. 19. inquiens: *Omnia, venerunt scripta manu Domini ad me, ut intelligerem universa opera exemplaris.* Et Deus patentè id probavit dum 2. Paral. 7. v. 1. templum illud, in quo erant hæ imagines, Maiestas Domini implevit, ac ibid. v. 16. elegit, & sanctificavit locum illum, ut sit nomen ejus ibi in sempiternum: illæ enim similitudines non erant idola, falsum aliquod & confictum numen exprimentia, ast veræ imagines, res veras (quarum aliquæ erant etiam proportionata sibi veneratione dignæ, ut v. g. Cherubim) adumbrantes. *Dices* cum judæis: Deus severissimè prohibuit in Lege & Prophetis fieri ac coli imagines, ut Exod. * 20. v. 4. *Non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra.* Et Deut * 4. v. 15. & 16. *Non vidistis aliquam similitudinem in die qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel feminæ* &c. Et J 40. v. 18. *Cui ergo similem fecistis DEUM? aut quam imaginem ponetis ei?* Et ibid. v. 25. *Cui assimilastis*

* *Veelle Semoth.*

* *Malachim.*

H.

* *Dibre Hajamim.*

* *Veelle Semoth.*

* *Elle Haddebarim.*

I.

stis me, & adæquastis, dicit Sanctus? Contra quæ omnia (ajunt) faciunt Christiani, sculpendo, pingendo, conflando, nedum Sanctorum, sub speciebus masculorum & feminarum, ast & Deitatis ipsius. v. g. Trinitatis, imagines. *Resp.* Quid dicent judæi dum ostendero, Deum nedum imagines fieri præcepisse, ast & ipsum eas fecisse, illasq; à sanctis Patriarchis & Prophetis, debito sibi honore, cultas esse? *Nam*, jam patuit, quòd Deus Moysi & Salomoni, Cherubim, aliasq; imagines, in tabernaculo & templo fabricare præcepit; ac itidem Moysi serpentem æneum, qui (Joan. 3. v. 14.) fuerat Christi in Cruce exaltati Imago, Num. * 21. v. 8. facere, ac pro signo ponere demandavit. Idē Gen. *1.v.27. *Creavit hominē ad imaginē suam: ad imaginem Dei creavit illum*; quam imaginem Dei, cultu sibi debito veneratus est Abraham, dum Gen. 24. v. 7. *adoravit populum terræ, filios videlicet Heth.* Et uxores ac filij Jacob, Gen. 33. v. 7. adoraverant Esau. Et Gen. 42. v. 6. adoraverunt Joseph fratres ejus, Et alij alios. Idem Deus ex aére efformavit imagines, apparuitq; Abrahæ Gen. 18. v. 2. sub specie trium virorum stantium prope eum; Lot. Gen. 19. v. 1. sub specie duorum Angelorum; Jacob Gen. 28. v. 13. sub figura Domini innixi scalæ, & Gen. 32. v. 24. sub specie viri luctantis cum eo: Moysi Exod. * 3. v. 2. *in flamma ignis de medio rubi*; Michææ 3. Reg. * 22. v. 19. ac Jsaiæ c. 6. v. 1. sub specie Domini super solium suum, ac super solium excelsum & elevatum sedentis; Danieli c. 7. v. 9. sub specie antiqui dierum; Amos c. 9. v. 1. sub specie stantis super altare; & aliis pluribus. Quem in his imaginibus, quód Abraham & Lot adoraverint, Scrip. locis citatis testatur, quòd autem & alij id fecerint, non est dubium, nisi velis dicere, eos bardos & irreligiosos

* *Vaieddaber.*
K
* *Beresith.*
* *Veelle Semoth.*
* *Malachim.*

ſos fuiſſe, quod dicere, foret impium. *Addo:* Scabbellum pedum Dei, ſcil. Arca fæderis, (hæc enim erat tale ſcabellum, juxta illud Davidicum 1. Paral. * 28. v. 2. *Cogitavi ut ædificarem domum, in qua requieſceret Arca fæderis Domini, & ſcabellum pedum Dei noſtri*) adorari eſt juſſa, ob ſanctitatem quam habebat, præcipitur enim Pſ. 98. v. 5. *Adorate ſcabellum pedum ejus: quoniam ſanctum eſt.* Jacob quoq; Gen. * 28. v. 17. erga locum Bethel, in quo illi Dominus ſcalæ innixus apparuit, tantam reverentiam & timorem ſacrum concepit, ut diceret: *Quàm terribilis eſt, locus iſte! non eſt hìc aliud niſi domus Dei, & porta cæli.* Quid ni etiam ſint colendæ Sacræ Imagines Cherubim; & ſi Arca ac locus Bethel venerari debuerat, quia ſanctus erat, cur non ſacra Imago, cùm ſit quoq; ſacra. *Addo item:* Ipſimet judæi faciunt ſibi tum naturales tum artificiales imagines, eaſq; adorant. Nam ſi volunt orare, neceſſario ſibi in mente aliquã imaginẽ & ſimilitudinẽDei debent effingere, ſiq; verè orant, eam omnino adorant; aliàs humanô modô non agerent, neq; verè orarent. In ſynagogis quoq; ſuis habent Decalogum & Pentateuchum artificialiter in membranis deſcriptum, quem in ſuo altari locant, & adorant. Bibliaq; ſacra ſic venerantur, ut in eo loco ſedere non audeant in quo illa poſita erant; venerantur ergo & illi imagines; nam utiq; illa ſcriptura eſt Legis, ac Verbi Divini artificialis imago. Hinc *Ad imum dico* ibi tantùm prohiberi idola, i. e. ſculpturas, ficturas, & picturas falſas, falſorum ſcil. ac fictorum deorum, ne adorentur & fiant. Hocq; patet ex antecedentibus & conſequentibus; nam ibid. v. 3. præceſſit: *Non habebis deos alienos coram me.* Et v. 5. ſubſequitur: *Non adorabis ea* (tanquam deos aliquos) *neq: coles.* Quod fateri & judæi cogun-

L.

* Dibre Haiamim.

* Bereſith.

M.

cogntntur, nam & ipsi decem tantùm præcepta Decalogi numerant, quod idem facit Script. Exod. * 34. v. 28. dicens: *Scripsit in tabulis verba fœderis decem*; quod etiam repetitur Deut. * 4. 13. Deut. 10. v. 4. Si autem id: *Non habebis deos alienos coram me.* Et id: *Non facies tibi sculptile* &c.

N. Et id: *Non adorabis ea neq; coles*; diversa essent præcepta, non denotarentq; idem, scil. deos alienos, seu falsorum deorum idola, non esse colenda, non essent decem tantùm præcepta, ast duodecem, h. e. alia novem, & hæc tria. *Ad 2dum.* Etiam *dico*: Quòd & per hoc Deus sacras imagines minimè prohibuerit, ast significaverit, se noluisse ut rudes hebræi aliquam similitudinem ejus viderent, per hocq; ansam ad idololatriam (ad quam erant pronissimi) arriperent, faciendo aliquod simulacrum idololatricum masculi vel feminæ, jumentorum, avium, vel reptilium, stultèq; talem esse Deum cogitando, ac per hoc non verum Deum, ast falsum adorando. Verus enim DEUS non est mas vel femina, multò minùs jumentum, avis, vel reptile; & deus, mas vel femina, &c. non est verus D E U S.

O. *Ad 3tium & 4tum dico*: Sensum inibi esse: Cur falsa simulacra vestra, Deo vero assimilastis, ei adæquastis, deumq; vestrum vobis fecistis, putando illa increata & omnipotentia? Cur in eorum imaginibus ineffabilem & incomprehensibilem Deitatem exprimi & effigiari putastis, quæ nulla creata imagine vel similitudine est exprimibilis? Quia enim idololatræ simulacra Deo vero similia & æqualia faciebant, imò ea esse corpus veri Dei, ac ipsum Deum verum censebant etiam verum Deum simulacris similem & æqualem. Sed quid hæc ad sacras Dei & Sanctorum Imagines? has enim nec Deum esse putamus, nec eis ineffabilem & incircumscribilem Deitatem exprimimus, solasq;

tantùm

tantùm apparentias ac species, sub quibus aliqua Persona TRINITATIS apparuit, ante oculos ponimus, sculpendo v. g. vel pingendo Patrem Divinum sub specie Senis Antiqui dierum, ut Danieli c. 7. v. 9. visus fuit; Filium, ut Hominem Juvenem, transfixas manus, pedes, latusq; habentem, quia, ille Philip. 2. v. 7. *formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* in humana juvenili ætate, cùm esset Ps. 73. v. 12. *Rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ*, cruci affixus, lanceaq; transfixus; Spiritum S. in specie columbæ, quia, juxta omnes Evangelistas, in tali specie super Christum baptizatum descendit. Si enim DEUS, talem sui figuram nobis exhibuit, cur eam non liceat imagine simili exprimere? Nam utiq; Daniel (præterea Abraham, Lot, Jacob, Moysen, Michæam, Jsaiam, Amos, quibus quoq; Deum apparuisse Script. testatur, ut hìc supra innui) qui Deum, ut Antiquum dierum, in vestimento candido quasi nix, & capillos quasi lana munda habentem, se vidisse, calamo descripserat, posset idem penicillô depingere, vel celte sculpere, sicq; ejus Imaginem (sacra certè veneratione dignam) fabrefacere; cùm speciei alicujus perfecta descriptio sit illius quasi depictio, & è contra. *Demum*: Datô etiam hôc (licet sit falsum ut patuit) quòd Deus Judæis, ante Christi Adventum, nullam, etiam veram, permisisset imaginem, tamen non sequitur, quòd nec modò post ejus Adventum id nobis Christianis permittere debuit. Tunc enim Judæi, toto orbe idola colente, ad idololatriam erant pronissimi, proinde si illis etiam veræ concederentur (ut nunc nobis conceduntur) imagines, sensim mentē & sensū in eas defixissent, inibi q; hæsissent, illasq; non imagines veri Dei, ast ipsum verum Deū putassent, ut factum est cū serpente

P.

Q. pente æneo, à Moyse jussu Dei facto, cui illi usq; ad tem-
* Beresith. pora Ezechiæ, 4. Reg. * 18. v. 4. *adolebant incensum.* Nunc autem post Christi Adventum, in ejus Fidelibus non est tale periculum, quia sunt Jl. 54. v. 13. universi docti à Domino, & quia Jer. 31. v. 34. non docet ultrà vir proximum suum, & vir fratrem suum dicens: *Cognosce Dominum*: omnes enim cognoscunt eum, à minimo eorum usq; ad maximum. Hinc mira est judæorum cæcitas, quòd id videntes non videant, & audientes non audiant, & corde non intelligant, pios veri Dei, Servorumq; ejus, cultores, iniquè idololatras dicendo. At (si non major) eadem est nostri temporis novatorum, ijsdem cum judæis
R. armis nos petentium. Nec mirum; eodem enim mendaci spiritu, ut & illi, aguntur. Nam, sicut illos *spiritus mendax*, unà cum impio Achab, à cultu veri Dei abdu-
* xit ac perdidit, 3. Reg. 22. v. 22. dicens: *Egrediar, & ero*
Malachim. *spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus*, sic & istos. In cujus signum, Annus Dñi 1517. quo Lutherus omnium harum pestium coryphæus, spuria sua dogmata prædicare cæpit, Chronosticè exprimitur in his verbis diaboli; *Ero spIrItUs MenDaX.*

ARTICULUS XXVII.

Quòd judæi stultè dicant se à DEO diligi, quia licet in hoc sæculo in laboribus hominum non sint, tamen à DEO, quò ad carnalia, victum scil. & amictum, &c. passim præ nobis prosperantur.

A. Temporalis prosperitas quòd crebro non sit signum dilectionis, ast iræ imminentis Divinæ, Lex & Prophetæ

pleno

pleno ore clamant, ut nonnisi planè surdi, & stulti, se id non audire, simulare possint. Faciunt hoc tamen judæi, nam, & cum nostris loquendo (licet passim id seriò vitent, nulla perversitatis suæ, in quibus quoquô modô subsistant, fundamenta habendo) dum quasî talî effugiô eludere nostra non possunt, pro universali resolutione afferunt: id, quod dicitur, verum non esse, cùm illos DEUS diligat, nil enim laborant, & bene se habent. In synagogis quoq; eorum rabbini ac synagogistæ persæpe plenis buccis declamant: En hi miseri Christiani pro nobis nocte ac die laborant, & nos nil operando labores, & sudores vultûs eorum manducamus; illi onera, & nos opes portamus; illi non rarò à Dominis suis premuntur, nos non item, imò plerumq; majori eorum benevolentia, familiaritate, ac favore, quàm eorum necessarij, & quandoq; etiam filij, perfruimur. Diligimur ergo à Deo, sumusq; populus ejus electus, ut & olîm eramus, &c. At quòd sit planè stulta, & plusquàm brutalis, hæcce horum hominum, penitus terræ affixorum persvasio. B.

Demonstr. *Ex Lege.* Nam cùm Num. © 11. contra Deum murmurârunt hæbræi, ac appetivêre carnes non contenti mannâ, Deusq; pravo eorum desiderio satisfecit, & innumerabiles coturnices misit, v. 33. additur: *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujuscemodi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plagâ magna nimis.* En judæi secundùm voluntatem suam, qua concupierant carnes, prosperati à Deo, copioseq; carnibus saturati, non tamen ab eo dilecti, quia mox *plaga magna nimis*, tam temporali, quàm fortè & æterna, percussi. Hinc eos Deut. © 6. v. 10. & sqq. præmonebat Moyses: *Cumq; introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, pro qua juravit*

* *Vaiedabber.*

* *Elle Haddebarim.*

 ravit

C. *ravit patribus tuis, Abraham, Jsaac, & Jacob: & dederit tibi civitates magnas & optimas, quas non ædificasti, domos plenas cunctarum opum, quas non extruxisti, cisternas quas non fodisti, vineta & oliveta quæ non plantasti, & comederis, & saturatus fueris: cave diligenter, ne obliviscaris Domini.* Et verè erat opportuna monitio; temporalis enim prosperitas, rerumq; terrenarum affluentia DEI oblivionem, in hominem, nimiùm his addictum, inducit, ac consequenter iram divinam accendit. Quod agnovit & Salomon Prov.

* Misle. * 30. v. 8. & 9. deprecans ac dicens: *Divitias ne dederis mihi - - - ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus.* Hoc etiam post infeliciter experti sunt judæi, dum in terram promissionis inducti, prosperitatibus terrenis inescati, persæpe (ut ex lib. Judic. * patet) sunt veri Dei obliti, & ob id severè ab eo puniti. Quod eis Deut. 32. v. 15. & 16. prædixitMoyses. *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit: incrassatus, impingvatus, dilatatus, dereliquit Deum Factorem suum, & recessit à Deo salutari suo. Provocaverunt eum in diis alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitaverunt.*

* Sophetim

D.

Demonstr. *Ex Job, Psalmis, & Salomone.* Nam Job magis sibi adversa quàm prospera hujus mundi optabat Job. 6. v. 8. & sqq. dicens: *Quis det ut veniat petitio mea: & quod expecto tribuat mihi DEUS? Et qui cæpit, ipse me conterat: solvat manum suam, & succidat me? Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat.* En magna, & verè cælestis hujus viri Divini sapientia, non in temporali prosperitate, (ut stulti & belluini judæi) ast in adversitate, totam consolationem suam statuentis. Hinc postquam idem c. 21. v. 7. & sqq. prosperitatem temporalem quorundam descripsisset, v. 13. subdit: *Ducunt in bonis dies suos, &*

E. *in puncto ad inferna descendunt.* Per hoc indicans temporalem

lem prosperitatem sæpe esse iræ Dei, ac æternæ perditionis, indicium, ac initium. Et David Ps. 36. v. 7. & sqq. quemvis admonet dicens: *Noli æmulari in eo, qui prosperatur in vita sua; in homine faciente injustitias - - - Quoniam qui malignantur, exterminabuntur: sustinentes autem* (in adversitate) *Dominum, ipsi hereditabunt terram.* Utq; magis inculcet æternam infelicitatem crebro imminere eis, qui hic in omnibus presperantur, & è contra his æternam salutem, qui tribulantur, ibid. v. 35. & sqq. addit: *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani. Et transivi, & ecce non erat, & quæsivi eum, & non est inventus locus ejus. Custodi innocentiam, & vide æquitatem: quoniam sunt reliquiæ homini pacifico. Injusti autem disperibunt simul: reliquiæ impiorum interibunt. Salus autem justorum à Domino: & protector eorum in tempore tribulationis* &c. Per quæ & prosperitas impiorum, cum æterna perditione eorum, & adversitas justorum, cum subsequente eam æterna salute & beatitudine, graphicè exprimuntur. Et Ps. 72. v. 5. & 6. judæi quasi digito ostenduntur, dum dicitur: *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur: Ideò tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua.* Et mox v. 18. subditur: *Facti sunt in desolationem, subitò defecerunt: perierunt propter iniquitatem suam.* Quid ergo prodest Judæis quòd in laboribus hominum nunc non sunt, cùm brevi in æterna perditione erunt cum dæmonibus, ac (juxta Ps. 48. v. 9.) laborabunt in æternum, & vivent adhuc in finem. Salomon quoq; Prov. * 1. v. 32. dicit: *Prosperitas stultorum perdet illos.* Et Ecclæ * 8. v. 14. ait. *Sunt justi,* (Christiani) *quibus mala proveniunt, quasi opera egerint impiorum: & sunt impij,* (judæi) *qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant.* F.

* Mischle.
* Coheleth

Demonstr. *Ex aliis Prophetis.* Nam Js. 26. v. 10. dicit G.

 cit

cit DEUS: *Misereamur impio*, (ut Judæis nunc miseretur DEUS, non puniendo statim eos pro enormibus eorum impietatibus, & in temporalibus prosperando) *& non discet justitiam: in terra sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini.* En, quàm sunt dementes Judæi, qui lætantur & gloriantur, quòd in temporalibus prosperantur, non attendentes id esse signum imminentis iræ Divinæ, ac damnationis æternæ. Hinc affectuosè ait S. Bernard. * *Tunc magis irascitur Deus, cùm non irascitur: Misereamur, inquit, impio, & non discet facere justitiam. Misericordiam hanc ego nolo; super omnem iram miseratio ista, sepiens mihi vias justitiæ, - - - Volo irascaris mihi Pater misericordiarum, sed illâ irâ qua corrigis devium, non qua extrudis de via. Illud nobis tua benigna animadversio parit, hoc formidolosa nutrit dissimulatio. Cùm enim sentio te iratum, tunc maximè confido propitium: etenim cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Et Jer. 12. v. 1. & 2. dicitur: *Quare via impiorum* (judæorum, hæreticorum Turcarum &c.) *prosperatur: bene est omnibus, qui prævaricantur & iniquè agunt? Plantasti eos* (in bonis terrenis & carnalibus) *& radicem miserunt: proficiunt & faciunt fructum: prope es tu ori eorum*, (ad nutum pro voto, quasi ad os, omnia eis tribuendo quæ desiderant; at quia nec modico flagello tangis terga eorum) *& longè* (es) *à renibus eorum.* Et mox v. 3. additur: *Congrega eos quasi gregem ad victimam*, (i. e. sicut pecora mactanda congregantur in caulas, ut saginentur in eis, posteaq; mactentur) *& Sanctifica eos in die occisionis.* Simile est Os. 4. v. 16. *Quoniam sicut vacca lasciviens declinavit Jsraël: nunc pascet eos Dominus, quasi agnum in latitudine.* Q. d. Quia impij Jsraëlitæ declinaverunt de via mandatorum ac cultus Divini, sicut vacca lasciviens, ac jugum excutiens, ideò pascet illos Deus ut agnos saginan-

* Serm. 42. in Cantica.

H.

I.

ginandos, in pascuis latissimis & uberrimis prosperitatum temporalium, ut ijsdem inescati, postea in infernale macellum deducantur, sintq; velut sues, & porci, qui tantùm ad macellum pingvescunt, & interitum. Hinc ad illos Amos 6. v. 1. & sqq. dicitur: *Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ: - - - - Qui separari estis in diem malum: & appropinquatis solio iniquitatis. Qui dormitis in lectis eburneis, & lasciviitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti* &c. Et Christus Luc. 6. v. 24. sqq. *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. Væ vobis qui saturati estis: quia esurietis.* &c. Et meritò. Impij enim judæi sunt ut scelesti Sodomitæ, bonis terrenis affluentes, & justum Lot (per quem veri Christi fideles figurantur) iniquè Gen. * 19. v. 4. & sqq. opprimentes; at mox (salvô illô & incolumi) igne sulphureo à Deo combusti. Sunt, ut reprobus Esau, *pingvedine terræ* abundans, & fratrem suum Jacob (nos figurantem) innocenter Gen. 27. v. 41. & sqq. persequens; cui Abdiæ. v. 10. dicitur: *Propter interfectionem, & propter iniquitatem in fratrem tuum Jacob, operiet te confusio, & peribis in æternum.* Sunt ut Ægyptij, ac Pharao, spolijs seu bonis Christianorum inhiantes, & Exod. * 15. v. 9. dicentes: *Dividam spolia implebitur anima mea*; at mox v. 10. *submersi quasi plumbum in aquis* (perditionis æternæ) *vehementibus.* Sunt, ut caper emissarius, qui Lev. * 16. v. 10. & 21. liber emittebatur in solitudinem, alterô caprô in victimam DEO oblatô. Sicut enim caper emissarius videbatur esse felicior, caprô illô alterô immolatô, quia non immolabatur, ast ad virens desertum, ut liberè ibi pasceret, mittebatur; reipsa tamen erat infelicior, nam sibi ipsi relictus, ac extra omnem curam, & custodiam pastoris constitutus, laceratio-

* *Beresith.*

K.

* *Veelle Semotch.*

* *Vaikra.*

L.

ni ac

ni ac devorationi ferarum erat expositus; sic judæi, à Deo rejecti, in terrenis liberè spatiari sinuntur, ast mox ab infernalibus lupis devorantur, ut pote (Ps. 80. v. 13.) dimissi secundùm desideria cordis, & euntes in adinventionibus suis. Christiani verò, piè vivendo, prosperaq; mundi contemnendo, & adversa ejus gratanter acceptando, in victimam Deo gratam cedunt, hìcq; contribulati, post, consolationem, æternam nanciscuntur. Quod Christus Luc.
* Homil. 40. in Evang. 16. v. 19. & sqq. declaravit, dum (juxta D. Greg. *) diviti epuloni, qui induebatur purpurâ & bysso, epulabatur quotidie splendidè, & recepit bona in vita sua, judæos, Lazarò, mendico ulceribus pleno, fameq; enecto, qui in vita recepit similiter mala, Christianos comparat, ubi tamen epulo in flamma infernalis ignis cruciatur, Lazarus autem in cælo consolatur. *Dices* cum judæis: Lev. *26.* v. 44. & 45. prædicitur præsens status judaicus & dispersio, & simul divina erga illos dilectio, dum diciur: *Et tamen etiam cùm*
M. *essent in terra hostili, non penitus abjeci eos neq; sic despexi ut consummarentur, & irritum facerem pactum meum cum eis. Ego enim sum Dominus Deus eorum.* Ex quo patet (aiunt) quòd eos, ut occisores Messiæ (prout calumniosè à Christianis vocantur) Deus à se non repulerit, ast diligat, in medio inimicorum (juxta citt. Lev.) conservans, pascens, præ alijsq; prosperans, ac per hoc ostendens, quòd illud crimen sibi objectum non commiserint. Idq; & hinc constat.
* Veelle Semoth. *Nam* dum Exod. * 32. v..4. & sqq. filij Jsràël aureum vitulum confecerunt, ac ut deum illum adorârunt, DEUS omnes illos penitus delere voluit, ibid. v. 9. & 10. dicens ad Moysen: *Cerno quòd populus iste duræ cervicis sit: dimitte*
N. *me ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamq; te*
* Vaiedaber. *in Gentem magnam.* Simile quid factum Num. * 24. v. 12.
dum

dum ijdem ab exploratoribus concitati, contra Deum ac Moysen consurrexerant. Si ergo omnes eos delere tunc Deus voluerat, multò magis nunc debuisset delere, si Christum Deum verum & Hominem (ut eis à Christianis impingitur) occidissent; longè enim est horrendiùs crimen Deicidium, quàm vituli adoratio, vel contra DEUM murmuratio. Quia ergo illos non delevit ast fovet; sunt immunes ab hoc crimine, Deusq; illos diligit. *Resp.* Illa Script. Lev. * 26. quam judæi pro se afferunt, non ad præsentem, quæ est perpetua, ast ad præteritam Babilonicam, quæ erat temporalis, quia tantùm 70. annorum, captivitatem pertinet, ex qua DEUS judæos educturus fuerat. Quod hinc evidenter patet. Nã ibid. scil. Lev. 26. v. 34. & 43. dicit Deus: *Terræ quoq; memor ero: quæ cûm relicta fuerit ab eis, complacebit sibi in sabbatis suis, patiens solitudinem propter illos.* Hoc autem impletum, dum in captivitatem Babilonicam judæi sunt abducti, ut 2. Paral. * 36. v. 20. & 21. dicitur: *Si quis evaserat gladium*, (Chaldæorum judæam & Jerusalem excidentium) *ductus in Babilonem servivit regi* (Nabuchodonosor) *& filijs ejus, donec imperaret rex Persarum*, (Cyrus) *& compleretur sermo Domini ex ore Jeremiæ*, (quòd judæi futuri erant in captivitate Babilonica 70. annis, Jer. 25. v. 12.) *& celebraret terra sabbata sua*: (juxta citt. Lev. 26. *cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum, usq; dum complerentur septuaginta anni.* Non ergo ibi (uti clarè patet) est sermo, de captivitate præsenti per Titum, ast de præterita per Nabuchodonosor facta, in qua temporaliter tantùm Deus punivit, at penes hoc simul dilexit, postq; in terram promissionis reduxit, in eaq adhuc manentes, per Prophetas suos (ut *Art. XXIV. lit.* B. innui) reditum appromittendo, consolatus fuit. At præsens captivitas

* *Vaikra.*

O.

* *Dibre Haiamim.*

P.

vitas est Ira Dei perpetua, quod hinc constat, quia nunc inter eos nullus apparet Propheta qui eos consolaretur, ac reductionem promitteret. Hinc captivitas Babilonica vocatur in Script. *Transmigratio*, ut Jer 13. v. 19. *Translata est omnis Juda transmigratione perfecta.* Et Thren, * 1. v. 3. *Migravit Judas propter afflictionem, & multitudinem servitutis.* Et alibi sæpe. Moderna verò, dicitur Dan. 9. v. 27. *Desolatio*, quæ perseverabit usq; ad consummationem & finem. *Ad additum dico*: Deus judæos non ob id conservat & nutrit, quòd diligat eos, ast ob rationes sequentes. I. Ut omnium Gentium sint servi, & in oculis omnium improperium, maledictio, & fabula, ut illis Deut. * 28. v. 37. prædixerat Moyses: *Et eris perditus in proverbium ac fabulam omnibus populis, ad quos te introduxerit Dominus.* Omnes enim Gentes quærunt ad invicem: Cur Deus judæos, olim gentem dilectam & electam perpetuæ subjecerit servituti?

* *Echa*, vel *kinoch*.

* *Elle Haddebarim*.

Q. Et respondent: Ob scelus Deicidij, quòd scil. Filium Dei, & Messiam suum, atrociter interfecerint. Si autem Deus, statim post crimen illud commissum, penitus eos delesset, elapsis jam nunc tot sæculis, tam ingens judæorum piaculum, inter homines oblivioni datum, prorsus ferè fuisset, sicq; notam infamiæ ac improperij hi scelerati homines effugissent; sicut pluribus gentibus, regibusq; evenit, quorum gesta, quin & memoria, sunt vetustate deleta. II. Quia Deus quosdam de eis quandoq; convertendos videt, & idcirco propter illos totam illorum gentem conservat. Hocq; prædictum Js. 65. v. 8. *Hæc dicit Dominus: Quomodo si inveniatur granum in botro, & dicatur: Ne dissipes illud, quoniam benedictio est: sic faciam propter servos meos,* (ex judæis

R. ad me convertendos) *ut non disperdam totum.* Si autem id non obstaret, jam dudum perfidam & sangvinariam gentem

tem judaicam, *ut olim Gen. * 19. v. 24. & 25. Sodomã & Gomorrham, funditus Deus deleret, ut idem Propheta fatetur Js. 1. v. 9. dicens: *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen*; (Christum nempe tunc, & nunc illos convertendos ex judæis adhuc nascituros) *quasi Somoda fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus.* III. Ut sint nobis contra inimicos fidei in testimonium. Quod prædictum Ps. 58. v. 12. *Deus ostendet mihi super inimicos meos; ne occidas eos: ne quando obliviscantur populi mei. Disperge illos in virtute tua.* Quod explicans D. Aug. * ait: *Per omnes Gentes dispersi sunt judæi, testes iniquitatis suæ & veritatis nostræ. Ipsi habent codices, de quibus prophetatus est Christus, & nos tenemus Christum.* Et meritò. Ipsi enim nobis contra inimicos fidei testimonia Legis & Prophetarum afferunt. Nam si judæi penitus essent deleti, possent nobis ethnici, aliiq; infideles dicere, quòd oracula de Christo Legis & Prophetarum confinxerimus; nunc autem dicere id nequeunt; dum provocamus ad judæos, quantumvis nostros capitales hostes, qui hæc testimonia Scripturarum, ita se habere, testantur. Et hanc rationem pulchrè urget D. Aug. tum *in loc. Ps. citt.* tum *l. 16. contra Faustum Manich. c. 21.* IV. Ut perfidia illorum & malitia, erudiret fidem & virtutem fidelium; magis enim pij Christi fideles in fide & pietate proficiunt, dum illorum cæcitatem & perversitatem suspiciunt. Sicut quoq; plures ex Chananæis, Deus in ingressu filiorum Jsraël in terram promissionis, non delevit ast vivere permisit, ut Judic. * 3. v. 1. *erudiret in eis Jsraëlem.* Hinc D. Aug. * inquit: *Ne putetis gratis esse malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus aut ideò vivit ut corrigatur, aut ideò vivit ut per illum bonus exerceatur.* V. Quia aliqui saltem ex eis habent quædam opera moraliter bona, pro

* *Beresith.*

* *Enarat. in Ps. 58.*

S.

* *Sophetim*

* *Enarat. in Ps. 54.*

quibus Deus infinitè bonus & justus, in hac saltem vita pro-
T. sporare eos, ac per hoc præmiare debet. Ille enim sicut nullum malum impunitum, sive in hac sive in altera vita, sic nullum bonum impræmiatum relinquit. Hinc etiam Ezech. 29. v. 18. & 19. pro expugnatione Tyri, quæ fuerat opus moraliter bonum, dedit Deus temporalem mercedem, licet aliàs impio, Nabuchodonosor regi, expugnationem scil. & spoliationem Ægypti, ad Prophetam dicens: *Fili hominis, Nabuchodonosor rex Babilonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum - - - & merces non est reddita ei, neq; exercitui ejus, de Tyro, pro servitute qua servivit mihi adversus eam. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego dabo Nubuchodonosor regem Babilonis in terra Ægypti: & accipiet multitudinem ejus, & deprædabitur manubias ejus, & diripiet spolia ejus: & erit merces exercitui illius, & operi, quo servivit adversus eam.* En Deus etiam impijssimos in hac vita prosperat, ne eorum etiam minima opera, moraliter bona, impræmiata relinquat. Quid ergo glorientur judæi, quòd eos Deus diligat, quia prosperat? nam simile quid posset impius Nabuchodonosor, ac post Romani imperatores ethnici, ut & nunc Turcici, tot victoriis, dominiis, opibusq; prosperati, ac locupletati, dicere, se à Deo diligi. At quàm stultè?

A.

ARTICULUS XXVIII.

Quód judæi contra antiquos Patres & Scripturam faciunt, quòd genua flectere nolint, dicentes quod id eis non liceat; quòdq; revera in verum Deum non credant.

* Dan. 9. v. 26. & Os. 1. v. 9.

Non populus DEI * gens judaica, usq; adèó verum cultum

tum Dei abjecit, ut à pseudoprophetis suis (rabinos puto) seducta, nec per genuflexionem, supremam Maiestatem Divinam adorare velit, id sibi non licere dicens. Hinc fit, quòd dum aliquis judæus pro suis sceleribus decapitari jubetur, nec etiam tunc (ut frequenter cernimus) vult genuflectere, ne tali cultu Deum honoret. At quòd hoc contra antiquos Patres & Script. faciant. B.

Demonstr. *Nam* Scripturæ referunt Sanctos Patriarchas & Prophetas, aliosq; celebres viros, per genuflexionem adorasse Deum. Ut dum *3.* Reg. * 8. v. 54. de Salomone dicitur: *Surrexit de conspectu altaris Domini; utrumq; enim genu in terram fixerat, & manus expanderat in cælum.* Et 2. Paral. 6. v. 13. *Deinceps flexis genibus contra universam multitudinem Jsràël, & palmis in cælum levatis ait,* Et 2. Paral. 29. v. 30. legitur: *Præcepitq; Ezechias & principes Levitis, ut laudarent Dominum sermonibus David, & Asaph Videntis: qui laudaverunt eum magnâ lætitiâ, & incurvato genu adoraverunt.* Et 1. Esdr. 9. v. 5. ait Esdras: *Curvavi genua mea, & expandi manus meas ad Dominum Deum meum.* Et de Daniele Dan. 6. v. 10. dicitur: *Fenestris apertis in cænaculo suo contra Jerusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturq; coram DEO suo, sicut & ante facere consueverat.* Et Propheta Mich. 6. v. 6. ait: *Quid dignum offeram Domino? curvabo genu Deo excelso?* En rex Salomon, Levitæ, Princeps Esdras, Daniel & Michæas Prophetæ, Deum per genuflexionem adorarunt, idq; facere (ut de Daniele dicitur) consveverunt; & moderni judæi, homuntiones vilissimi & abjectissimi, qui (Ps. *21.v.7.*) *opprobrium hominū, & abjectio plebis*, ac (Js. 49. v. 6.) *fæces* inter homines, rectè dici possunt, ex mera & intoleranda superbia, hoc facere renuunt, quasi illis, alijsq; piis & sanctis hominibus di-

* *Malachim.*

* *Dibre Haiamim.*

C.

gniores forent, vel ab eis Deus esset hoc honore indignus. *Deinde* Patres antiqui, etiam in terram prostrati, adorârunt Deum. Ut Abraham, cui cùm Gen. * 18. apparuisset Dominus, in convalle Mambre, scil. tres viri stantes propè eum, illos v. 2. *cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, & adoravit in terram.* Jacob Gen. 33. v. 3. *adoravit pronus in terram septies.* Filij Jsràël in Ægypto, cùm Exod. * 4. v. 31. audissent, quòd eos Dominus visitasset, afflictionemq; illorum respexisset, *proni adoraverunt.* Moyses Exod. 34. v. 8 transeunte Domino coram eo, *curvatus est pronus in terram, & adorans ait.* Idem Moyses & Aaron Num * 20. v. 6. ingressi tabernaculum fœderis, *corruerunt proni in terram, clamaveruntq; ad Dominum.* Filij Jsràël 2. Paral. * 7. v. 3. in dedicatione templi, videntes descendentem ignem & gloriam Domini, *corruentes proni in terram super pavimentum stratum lapide, adoraverunt, & laudaverunt Dominum.* Josaphat rex, cum omni Juda & habitatoribus Jerusalem, 2. Paral. 20. v. 18. *ceciderunt proni in terram coram Domino, & adoraverunt eum.* Esdras cum omni populo 2. Esdr. * 8. v. 6. *incurvati sunt, & adoraverunt Deum proni in terram.* Similia fecerunt & alij, ut in Script. passim est obvium. Quæ ergo est impudentia superbissimæ mentis judaicæ, DEUM, genuflectendo, adoráre nolle, quem tot, & tanti viri, etiam procidendo in terram, adorârunt? *Demum*: Script. prædicit Deo omne genu esse incurvandum, Js. 45. v. 24. *Mihi curvabitur omne genu.* Illumq; à barbaris quoq; Gentibus, quales sunt Æthiopes, per procidentiam in terram, adorandum, Ps. 71. v. 9. *Coram illo procident Æthiopes: & inimici ejus terram lingent.* Insuperq; præcipit ut id omnes faciant, Ps. 65. v. 4. *Omnis terra adoret te, & psallat tibi.* Et Ps. 94. v. 6. *Venite adoremus, & procida-*

D. E.

* *Beresith* * *Veelle Semoth.* * *Vaiedabber.* * *Dibre Hajamim.*

procidamus : & ploremus ante Dominum, qui fecit nos. Non ergo judæi agnoſcunt ſe eſſe homines, cum cæteris hominibus à Deo conditos, dum id facere nolunt, quòd omnes Gentes faciunt, ut de eis prædicitur, illisq; præcipitur; reprobosq; phariſæos imitari malunt, quàm pios veri Dei cultores; phariſæi enim, ex intolerabili tumore & ſuperbia, orando genua non flectebant, aſt ſtabant, putantes ſe eſſe juſtos & ſanctos, confidenterq: ac familiariter loqui cum Deo debere, ut de uno ex illis Luc. 18. v. 11. legitur: *Phariſæus ſtans, hæc apud ſe orabat.* An verè hos impios homines, & non Sanctos Patres antiquos, qui nedum genuflectendo, aſt & in terram procidendo, adorabant Deum, judæi imitari debeant? ipſi viderint. F.

Demonſtr. Quòd judæi revera nunc in verum Deum non credunt. Nam 2. Paral.* 15. v. 3. Azarias Propheta id prædixit dicens: *Tranſibunt autem multi dies in Jſraël abſq; Deo vero, & abſq; ſacerdote doctore, & abſq; Lege.* Nunc autem judæi ſunt abſq; ſacerdote doctore, & abſq; Lege: Ergo & abſq; Deo vero; hæc enim omnia tria Propheta conjunxit, & ut ſimul futura, prædixit. Quòd autem nunc ſint abſq; ſacerdote, doctore & abſq; Lege, (præter dicta. *Art. XXI. lit.* F. & *XXIV. lit.* A. & ſqq.) patet ad oculum. *Nam* nunc non ordinant nec ungunt ſacerdotes ſuos ritu veteri, G. Lev. * 8. præcepto, adèoq; illos non habent, ſine tali enim ordinatione & unctione veri ſacerdotes eſſe non poſſunt. Neq; nunc (quod hinc ſequitur) agnum unum mane, & alterum ad veſperam, (ut Num. * 28. v. 3. & 4. jubetur) Deo offerunt, nec neomeniarum, ſabbatorum, azymorum, vel hebdomadarum holocauſta celebrant; nec panes propoſitionum, quavis hebdomada renovandos (Lev. 24. v. 5. & ſqq.) coram Deo ponunt; aut lucernas veſpere accen-

* *Dibre Hajamim.*

* *Vaikra.*

* *Vaiedabber.*

re accendunt. Thymiama quoq; nec habent nec ſcremant; ornamentaq; ſacerdotalia Lege præcepta non habent; miniſteriorũ viciſſitudines per ſingulas hebdomadas, juxta Legis præſcriptum, non obſervant, nec Levitas inſtituunt, eosq; muſicis inſtrumentis pſallere faciunt. Legem lepræ in homine, veſtimento, vel domo (Lev. 13. & 14.) ac ſeminifiui & menſtruatæ, cujus obſervatio (Lev. 15.) maximè
H. ad ſacerdotes ſpectabat, in nullo prorſus obſervant, proinde ſunt pro defacto *abſq; ſacerdote doctore.* Quamvis enim ſuos rabbinos & ſynagogiſtas habeant, tamen cùm hi ritè ſecundùm Legem ordinati non ſunt, ac non verbum Dei, aſt impias ſtultasq; Thalmudicas ineptias, illos edoceant, ſunt (Matt. 15. v. 14.) *cæci: & duces cæcorum*, veriq; ac meri seductores, non autem ſacerdotes doctores. Alij quoq; judæi de primogenitis tam hominum quàm jumentorum, pomorumq; ac aliorum fructuum, in arboribus. vel in terra progenitorum, decimas, ſecundùm Legem non ſolvunt; imò omnes, tam illi qui haberi pro ſacerdotibus volunt, quàm etiam alij, ſunt ſecundùm Legem immundi, nullus enĩ eſt in illis qui mortuũ vel ſepulchrũ ejus non tangeret, immundusq legaliter per hunc contactum non fieret. Quæ macula, quia, juxta Num. 19. tantùm aquâ cum cineribus vaccæ rufæ combuſtæ commixtâ expiari poterat, & talem aquam habere nunc illi non poſſunt, & illi immundi, & mulieres eorum menſtruatæ, ſemper manent, ad quas
I. tamen illi accedunt, & ſecundùm Legem rei ſunt mortis cum illis, cùm Lev. * 20. v. 18. dicatur: *Qui coierit cum muliere in fluxu menſtruo, & revelaverit turpitudinem ejus, ipſaq; aperuerit fontem ſangvinis ſui, interficientur ambo de medio populi ſui.* Sunt ergo verè modo abſq; ſacerdote doctore, & abſq; Lege, conſequenter & vero DEO. Et hoc inſuper

patet

patet Dan. 9. v. 26. ubi dicitur: *Occidetur Christus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus est.* Negârunt autem, & adusq; negant judæi Christum verum Deum, non suntq; ejus populus, proinde, non credendo in eum, in verum Deum non credunt. Et Os. 1. v. 9. *Vos non populus meus* (dicit Deus ad judæos) *& ego non ero vester*, i. e. Deus. Quorum ergo verus Deus non est Deus, illi in verum Deum non credunt, eatenus enim alicui verus Deus est Deus quatenus ille credit in eum, juxta illud Patriarchæ Jacob Gen. * 28. v. 20. & 21. *Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via - - - erit mihi Dominus in Deum*; i. e. Credam, ut & modò credo in eum, illumq; colam ut Deum *Addo rationes*, id evidenter ferè demonstrantes. I. Quia judæi (ut *Art. XXI. lit.* F. ostendi) ad verum Deum usq; in fine mundi convertentur: Ergo nunc revera in eum non credunt; qui enim usq; post hinc ad verum convertetur DEUM, nunc necdum conversus est ad illum, non creditq; in eum. II. Iidem, ex impia doctrina sua Thalmudica credunt in talem deum qui sit materialis, non immensus, non omnipotens, non beatus, non sanctus, ast circumscriptus loco, plura facere non potens, miser, plorans, ut leo rugiens, quotidie orans, & aliquando peccans &c. ut mox *Art. XXIX. & XXX.* ostendo: Ergo in verum Deum non credunt; verus enim Deus nec est materialis, nec non immensus, nec non omnipotens, nec miser, plorans, rugiens, orans, vel peccans; hæc enim omnino Deitatem tollunt. *Neq*; debent hi blasphemi audiri, quando dicunt se in verum Deum credere, quia in hunc DEUM credunt, qui creavit cælum & terram. *Hæc* enim dicendo blasphemant, nam utiq; deus materialis, non immensus, non omnipotens, miser, plorans, orans, & peccans, (in qualem illi credunt)

K.

* *Beresith.*

L.

credunt) non est Iste Deus qui creavit cælum & terram. Estq; summa blasphemia, idemq; cum ethnicis crimen, tali deo (qui nec deus dici meretur) cæli & terræ creationē adscribere, simile enim est dicere, ut pagani dicebant, quòd v. g. Juppiter, Mars, vel Apollo, aliæq consimiles infernales larvæ, cælum & terrā creaverint. III. Judæi non credunt in Christum, qui est verus Deus: Ergo in verū Deum non credunt; in hunc enim non credere, qui est verus Deus, est in verum Deum non credere. Hinc Christus judæis Joan. 8. v. 19. dixit: *Neq; me scitis, neq; Patrem meum: si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis.* Et discipulis Joan. 14. v. 1. *Creditis in Deum, & in me credite.* Et ibid. v. 7. *Si cognovissetis me, & Patrem meum utiq; cognovissetis.* Et ad Philippum ibid. v. 9. & 10. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum - - - Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est.* Et meritò, ipse enim (Joan. 10. v. 30.) & Pater unum sunt, i. e. unus verus DEUS. IV. Judæi non credunt in Deum in Natura Unum, & in Personis Trinum, ast tantùm in deum, tum in natura, tum & in persona unum; talis autem deus, in natura & persona unus, non est verus Deus, ast falsus, confictusq; deaster, qui à parte rei non datur, ast est mera chimæra: Ergo in verum Deum non credunt.

M. *Neq; dicas:* Antiqui Patres, ante Christum viventes, non credebant in Deum Trinum, ast tantum in Unum; & tamen in verum Deum credebant: Ergo & moderni judæi dum in unum tantùm Deum & non in Trinum credunt, tamen adhuc videntur in verum Deum credere. *Non dicas* inquam: Antiqui enim Patres, quibus Mysterium TRINITATIS revelatum non fuit (aliquibus enim ex eis revelatum fuit, ut Abrahæ Gen. * 18. v. 1. & 2. Moysi Exod. * 3. v. 6. & alibi. Jsaiæ c. 6. v. 3. & aliis)

N.

* *Beresith.*

* *Veelle Semoth.*

liis) credebant Deum esse Unum non exclusivè & negativè, negando scil. Tres Personas esse in eo, (id enim nesciebant) ast præcisivè ac abstractivè, præscindendo nempe, ac de hoc non cogitando, utrum sint Tres in illo Personæ? Moderni autem judæi positivè id negant, idq; post factam revelationem à Christo; proinde illi in verum Deum credebant, at non isti. Admonendi sunt ergo illi simpliciores Catholici, qui dum occurrit eis judæus, & velut salutando dicit: *Laudetur Dominus Deus*, illi ei respondent: *In sæcula Semper.* Vel: *Amen.* Per hoc enim (præterquam, quòd indulgentiam nullam consequantur, hæc enim à Sacra Sede concessa est solis fidelibus, idq; laudando Jesum Christum, se consalutantibus) ni eos excusaret simplicitas, illum deum viderentur laudare, in quem nunc credunt judæi, qui verus DEUS non est, ut ostendi.

ARTICULUS XXIX. A.

Quòd judæi in impio suo Thalmud Essentiam DEI blasphement, & consequenter aliqua Attributa ejus.

Hactenus deplorandam cæcitatem, ac plusquam brutam imperitiam judaicam pro modulo meo demonstrabam, nunc jam demonstranda venit, summa, & ferè diabolicam superans, eorum impietas, qui non verentur summam DEI Essentiam, proinde & Attributa ejus, maledico & maledicto ore blaspemare, Deoq; in impia doctrina sua Thalmudica, talia impingere; qualia à Divinitate illius infinitè exulant. Hinc *in Art. præced.* dixi illos in verum Deum non credere, in talem enim credunt, qualem sibi

in perversa mente sua effingunt, qualis deus illorum, verus Deus non est. Ne autem suspicetur quispiam, hæc,
B. quæ sum relaturus, esse ex odio judæorum conficta, annoto graves Authores, omniq; exceptione majores, ex quibus hasce impiorum Thalmudistarum blasphemias punctatim & verbatim transcripsi. Et hi sunt: Nicolaus Lyranus, Ordinis Nostri Thèólogus, & Commentator S. Script. celeberrimus, tum sparsim in variis locis, tum maximè *in libello, contra perfidiam judæorum.* Cornelius à Lap. pariter Vir doctissimus, ac Script. Commentat. famosissimus, citans persæpe pro se Galatinum. Ludovicus Granatensis, *in præparatione ad Catechismum, à pag.* 701. adducens Hieronymum *de Sancta Fide*, ex judæo Christianum, *Benedicti XIII.* Papæ celebrem Medicum, & in omni hebræorum doctrina versatissimum. Petrus Alphunsi, seu Alphunsus, ex judæo Christianus *in* suis *Dialogis contra jud. à pag.* 8. Marianus
C. Costenus, *in Typo Veræ Religion. à pag.* 633. Sebastianus Slescovius, in libello inticulato: *Odkrycie Zdrád, Złośliwych Ceremoniy* &c. Dicere autem, nihil tale, ut scribunt hi Authores, reperiri in Thalmud, (ut impudenter aliqui dicunt judæi,) est nedum omnem rationem, ast & sensum, exuere; quis enim posset esse tam demens; ut scienter aliqua confingeret, in publicumq; ederet, quæ publicè redargui, & convinci falsitatis possent. Maximè quia illi Authores sunt inculpatæ & intaminatæ notæ, pluresq; ex eis (ut Lyran. Cornel. Hier. à S. Fide. Alphunsi,) in hebraismo, & Thalmud peritissimi; qui etiam librum & caput illius allegant, dum aliquid ex eo adducunt. Jam ergo.

Demonstr. Quòd judæi in impio Thalmud Essentiam DEI blasphement. *Nam*, in 1ma parte Thalmud, *tit. Be-*

dictiones

dictiones, blarerant, Deum corpore & anima constare, corporeumq; ac consequenter non immensum nec infinitum esse. Dicunt enim * Deum caput & brachia habere, & in cæsarie pixidem quandam gestare, ligatam corrigiâ, ipsiusq; corrigiæ nodum; à postera capitis parte sub cerebro esse firmatum; intra pixidem verò esse quatuor chartulas judæorum laudes continentes. In summo autem sinistri brachij gestare aliam pixidem, simili modo ligatam corrigiâ, in eaq; esse chartam, continentem omnes illas judæorum laudes, quæ in quatuor prioribus, quas gestat in capite, sunt descriptæ. Idq; inde probant; quia Exod. * 33. v. 23. dixit Deus ad Moysen: *Videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris.* Deum enim (ajunt) vidit Moyses posteriora Dei, vidit nodum corrigiæ, nodus autem corrigiæ, debet esse nodus alicujus pixidis. De illa autem, quam (ut stultizant) gestat in brachio, probant ex Js. 62. v. 8. *Juravit Dominus in dextera sua, & in brachio fortitudinis suæ.* Per brachium enim fortitudinis, intelligunt sinistram divinam, in qua illa pixidis virtus continetur. *At* hæc est summa dementia & blasphemia. *Tumq;* Deum esse corporeum, neq; prudentiores ethnici admiserunt, præter deliros hæreticos Anthropomorphitas, ac stultos Machometanos, Tartaros & Turcas. Imò expressè dicit Script. illum esse spiritum; ut Gen. * *1.* v. 2. *Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Et Gen. 6. v. 3. *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Et Ps. 138. v. 7. *Quò ibo à Spiritu tuo.* Et alibi sæpe. Hinc Joan. 4. v. 24. dicit Christus expressè. *Spiritus est Deus: & eos qui adorant eum in spiritu & veritate oportet adorare.* Insuperq; eadem Script. contradistingvit Deum à carne, ut Job. 10. v. 4. *Numquid oculi carnei tibi sunt: aut sicut videt homo, & tu*

* *Petrus Alph. citat. pag. 5. & sqq.*

D.

* *Vsette Semoth.*

E.

* *Beresith.*

* Dibre Hajamim.

& tu videbis? Et 2. Paral. * 32. v. 8. ait Ezechias: *Cum illo enim* (i. e. Sennacherib, volente obsidere Jerusalem) *est brachium carneum: nobiscum Dominus DEUS noster.* Et Js. 31. v. 3. *Ægyptus, homo, & non Deus: & equi eorum, caro, & non spiritus.* Non est ergo Deus corporeus, ut hi blasphemi delirant. *Tumq;* Script. docet Deum nullam habere corpoream, similitudinem; ut Js. 40. v. 18. *Cui ergo similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?* Et ibid. v. 25. *Cui assimilastis me, & adæquastis, dicit Sanctus?* Et Js. 46. v. 5. *Cui assimilastis me, & adæquastis, & comparastis me, & fecistis similem?* Ergo non est corporeus, alias aliquam corpoream haberet similitudinem, quod esset contra Script.

F. *Tumq;* Eadem Script. docet Deum esse immensum, nec ullo comprehendi loco; ut 2. Paral. 2. v. 6. *Cælum, & cæli cælorum capere eum nequeunt.* Et 2. Paral. 6. v. 18. *Ergone credibile est ut habitet Deus cum hominibus super terram? Si cælum & cæli cælorum non te capiunt, quanto magis domus ista, quam ædificavi?* Et Ps. 138. v. 7. & sqq. *Quo ibo a Spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum ades. Si sumpsero pennas meas diluculò, & habitavero in extremis maris: Etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua.* Et Jer. 23. v. 23. & 24. *Putasne Deus è vicino ego sum, dicit Dominus? & non Deus de longe? Si occultabitur vir in absconditis: & ego non videbo eum dicit Dominus? numquid non cælum & terram ego impleo.* Non est ergo corporeus; alias immensus non esset, & aliquô loco comprehendi deberet.

G. *Tumq;* Script. inquit aliquas etiam creaturas esse spiritus; ut Angelos, Job. 4. v. 15. *Et cum spiritus* (i. e. Angelus) *me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ.* Et Ps. 103. v. 4. *Qui facis Angelos tuos, Spiritus.* Et Ps. 142. v. 10. *Spiritus tuus bonus deducet*

ducet

ducet me in terram rectam. i. e. Angelus Custos, cui, Ps. 90. v. 11. mandavit Deus, ut custodiat hominem in omnibus viis ejus. Ac animas humanas, Ps. 30. v. 6. *In manus tuas commendo spiritum meum.* Et Ecclæ * 12. v. 7. *Revertatur pulvis in terram suam unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Et Zach. 12. v. 1. *Dominus extendens cælum, & fundans terram, & fingens spiritum hominis in eo.* Ergo multó magis Deus est purus spiritus; aliàs aliquæ creaturæ essent perfectiores quàm ille; purus enim spiritus est omni corpore perfectior ac præstantior. *Addo*: Quòd, si DEUS corpore & anima constaret, darentur plura increata, diversæ naturæ, realiterq; à se distincta (anima enim & corpus, sunt diversæ naturæ, ipsumq corpus diversis membris heterogeneis omnino debet constare) consequenter plures dij diversi, aliaq; plura sequerentur absurda, quæ Thèólogi Dogmatici contra Anthropomorphitas recensent, quæ ego hìc omitto, judæi enim (ut pote gens rudis & hebes) intelligendis istis pares non sunt. Ex jam dictis tamen sequitur, quòd hæc impia Thalmudistarum blasphemia tollat totam veri Dei Essentiam, unà cum immensitate, infinitate, imò & simplicitate illius. *Ille* quoq; discursus eorum est planè stultissimus & ineptissimus. *Nam* (præterquam, quòd per posteriora Dei Exod. 33. denotetur tum Humanitas Christi, tum effectus, seu creaturæ Dei. Et per brachium Js. 62. tum Christus, qui Js. 53. v. 1. *Brachium Domini* dicitur, tum fortitudo Divina & omnipotentia) ipsa ratio dictat, quòd per posteriora nedum cervix, ast & quævis posterior pars corporis, intelligi possit; per brachium verò fortitudinis, magis dextera quàm sinistra manus (cùm ordinariè fortior sit dextera quàm sinistra) significari debeat. Quô ergo judæi fundamento dicunt, quòd

* Coheleth

H.

I.

quòd Moyses videndo posteriora Dei, cervicem ejus, & in ea corrigiæ nodum viderit? vel quòd Deus in brachio suo Sinistro alterã illã chimæricã pixidẽ corrigiâ alligatam gestet? *Item* Intellectus sanus cogitare etiam non permittit, quòd Deus aliquid in capite deferat; illud enim, vel esset quid creatum? & hoc non; aliàs ab aliqua creatura Deus suum ornamentum haberet; vel quid increatum? & nec hoc; aliàs præter unum Deum, alterum ens increatum esset. *Item*: Illa corrigia, quam, non minùs stultè ac blaspemè Deum gestare in capite hi impij dicunt, vel est aliquid Dei; vel non est, ast res alia extranea? Si est aliquid Dei, præterquam quòd blasphemum sit, ac stultissimum dicere, quòd aliquid Dei sit corrigia, quæ ex corio jumentorum conficitur; insuper sequitur Deum non esse simplicem ast compositum ex diversis & distinctis à se partibus. Si non est aliquid Dei, ast res quædam ex-
K. tranea? vel est crearura vel Creator? Si creatura; sequitur, quòd quia illa corrigia caput Dei circumcingeret, jam creatura aliqua capite Dei major esse deberet. Si Creator; jam duo creatores, proindeq; & dij, admittuntur; non estq; mi-
* rum quód hi perversi homines, Exod. * 32. v. 4. & sqq.
Veelle Semotch. ac 3. Reg. * 12. v. 30. vitulum, deum esse putârunt, eumq; ut Deum, adorârunt, quia etiam nunc corrigiam (quæ fit
* *Malachim.* ex vitulorum, aliorumq; jumentorum corio) stultiores ac hebetiores vitulis, putant esse deum, aut Deum, corrigiam. *Item*: Vel Deus illam corrigiam in capite & brachio, ex aliqua, vel sine ulla necessitate, gestaret? Si ex aliqua necessitate, sequeretur, quòd Deus esset alicui necessitati subjectus, ac re aliqua distincta à se, scil. corrigiâ illa indigeret, proinde insufficiens sibi ad esse, Deusq; non esset. Si autem sine necessitate; frivo è id faceret, & nec

sic

sic verus Deus foret. Perfide ergo Thalmudistæ, per hanc blasphemam chimæram, tollunt Deitatem veram, dumq; videri volunt judæi, sunt athei. *Item*: Cùm corrigiâ nedum pixis, ast etiam diadema, mitra, gemma vel aliud pretiosum monile, aut quidpiam aliud, alligari possit; ac cùm in pixide nedum chartulæ, ast etiam quidquam aliud contineri valeat; insuper, cùm in chartulis, nedum laudes & benedictiones, ast etiam vituperia & maledictiones judæorum possunt esse descriptæ, quô fundamento possunt illi dicere, quòd Moyses videndo tantùm in cervice DEI (ut blasphemant) nodum corrigiæ, illâ esse pixidem alligatam sciverit? vel unde, in illa pixide chartas esse reconditas; deprehenderit? ac unde, quòd in illis chartulis judæorum laudes sint descriptæ, intellexerit? Dicere enim id eum ex divina revelatione scivisse, (uti dicunt judæi) est iterum blasphemum, ac sine omni fundamento, dictum. Blasphemum: nam utiq; blasphemia est dicere, quòd Deus Moysi res tam impias, suæq; Dignitati & Majestati tam summè derogantes, revelaverit. Sine omni verò fundamento, quia quòd id ei Deus revelaverit, Moyses nullibi meminit, nec ullus post eum Propheta. *Addo* tamen, me libenter fateri, quòd plures Scripturas, & præsertim quatuor (ut & illi quatuor chimæricas illas chartulas blasphemè confingunt) habeat de judæis Deus ante oculos Majestatis suæ ima est illa, cæteris hic adducendis, prolixior, quam jussu Dei Moyses de eis conscripsit Deut. * 28. v. 16. & sqq. *Maledictus eris* (judæe] *in civitate, maledictus in agro. Maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ. Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, & greges ovium tuarum. Maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens.* Et reliqua, usq; ad v. 68. inclusivè.

L.

M.

* *Elle Haddebarim.*

vè. 2da eſt, Jſ. 30. v. 8. & 9. *Scribe ei ſuper buxum, & in libro diligenter exara illud, & erit in die noviſſimo in teſtimonium uſq; in æternum. populus enim ad iracundiam provocans eſt, & filij mendaces, filij nolentes audire Legem Dei.* 3tia eſt Jſ. 65. v. 6, & 7. *Ecce ſcriptum eſt coram me: non tacebo, ſed reddam & retribuam in ſinum eorum iniquitates veſtras & iniquitates patrum veſtrorum ſimul, dicit Dominus.* 4ta eſt Jer 17. v. 1. *Peccatum Juda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in ungve adamantino, exaratum ſuper latitudinem cordis eorum.* Has Scripturas Judæi legant, & videant; An ſint laudes eorum?

N.

Dices: Script. paſſim dicit, Deum caput, faciem, oculos, nares, manus, brachia, dorſum, pedes, cæteraq; corporis membra habere. Dicit quoq; illum habere & animam; ut Lev. * 26. v. 11. *Non abijciet vos anima mea.* Et ibid. v. 30. *Abominabitur vos anima mea.* Et Jſ. 1. v. 14. *Sollemnitates veſtras, odivit anima mea.* Et alibi pluries. Videtur ergo Deus corpore & anima conſtare, proindeq; corporeus eſſe. *Reſp.* Quia dicta Script. perlæpe ſunt obſcura, nec cuivis facilè pervia, hinc aliis locis clarioribus, juxta ſaniorē ſenſum, enodari, & ſi aliter nequit fieri, allegoricè explicari debent. Patet autem ex dictis, quòd Deo membra corporis, vel anima propriè dicta, quæ ſcil. ſit forma corporis, nequaquam attribui poſſint, aſt tantùm allegoricè, juxta morem Script. in qua membra corporis, & anima, talibus quandoq; rebus tribuuntur, quibus, juxta rectæ rationis lumen, nonniſi allegoricè convenire poſſunt. Nam utiq; terra, os, faciem, & umbilicum non habet; & tamen Gen. * 4. v. 11. ad Cain dicitur: *Maledictus eris ſuper terram, quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſangvinem fratris tui de manu tua.* Et Gen. 6. v. 7. *Delebo, inquit, hominem, quem creavi, à facie terræ.* Et Jud. * 9. v. 37. dicit Gaal ad Zebul:

* Vaikra.

* Bereſith.

O.

bul: *Ecce populus de umbilico terræ descendit.* &c. Montes, & viæ capita habere vel lugere nequeunt; tamen Can. * 4. v. 8. ad Sponsam dicitur: *Veni: coronaberis de capite* (montis) *Amana.* Et. Js. 51. v. 20. *Dormierunt in capite omnium viarum.* Et Thren. * 1. v. 4. *Viæ Sion lugent, eò quòd non sint qui veniant ad sollemnitatem,* Bestiæ, gladij, infernus, vel flumina, manus habere non possunt; dicitur tamen Ps. 21. v. 21. *Erue à framea DEUS animam meam: & de manu canis unicam meam.* Et Ps. 62. v. 11. *Tradentur in manus gladij.* Et Ps. 88. v. 49, *Eruet animam suam de manu inferi.* Et Ps. 97. v. 8. *Flumina plaudent manu.* Infernus, animam, os, vel ventrem non habet; & tamen Js. 5. v. 14. dicitur *Dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absq; ullo termino.* Et Jonæ 2. v. 3. *De ventre inferi clamavi.* Homo, alterius hominis, oculus vel pes physicus esse. & alas habere non potest; tamen Job. 29. v. 15. dicitur: *Oculus fui cæco, & pes claudo.* Et Jer. 2. v. 34. ad judæos: *In alis tuis inventus est sangvis animarum pauperum & innocentium.* Aves vocem hominis portare. sententiamq; proferre, lapis clamare, & lignum respondere, nequeunt; & tamen Ecclæ * 10. v. 20. dicitur: *Aves cæli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas annuntiabit sententiam.* Et Habac. 2. v. 11. *Lapis de pariete clamabit: & lignum quòd inter juncturas ædificiorum est, respondebit.* Similia sunt ferè innumera. Sicut ergo hæc figuratè tantùm & allegoricè sumi debent, sic & illa, in quibus membra corporis, vel anima, attribui DEO videntur, per membra enim, varia Attributa & Perfectiones Divinæ, per animam verò Omnipotens ejus Voluntas denotatur. Curnam verò Deus Attributa & Perfectiones suas sub allegoria membrorum vel animæ in Script. expresserit? *Ratio* est: Quia cùm sit Clementissimus, & erga homi-

* *Sir Hasirim.*

* *Echa, vel kinoch.*

P.

* *Cohelet*

 ga homi-

ga homines (ut ita dicam) Humanissimus, etiam antequam Homo fieret, humanis verbis & modo nos alloqui voluit, ne si alloqueretur Divino, nullus nostrum id caperet. Sic D. Aug. dicens: *Quia nihil dignum de Deo dici potest, propterea usq; ad ista perventum est, quæ cùm homines indigna esse putaverint, cogantur discere, etiam illa quæ convenienter de ineffabili Divina Excellentia se dicere existimant, indigna esse Maiestate Dei: cujus Sapientia cùm descensura esset usq; ad corpus humanum, priùs usq; ad humana verba descendit.*

* *contra Adimantum. c. 13.*

A.

ARTICULUS XXX.

Quòd judæi in impio Thalmud etiam directè, omnia ferè Divina Attributa blasphement.

NOn hìc omnes blasphemias & impietates Thalmudicas volo afferre in medium, his enim enarrandis ac recensendis vix quis posset sufficere, ast aliquas tantùm referam & refellam ut, loquendo de Attributis Divinis, propositum verum esse demonstrem. Itaq; judæi in Thalmud blasphemant.

B.

Contra Immensitatem Divinam. Nam *l. 3. Thalmud* * blaterant, Deum in loco esse sex partibus terminato; probantq; id ex illo Dan. 10. v. 20. *Cum ego egrederer*, (ait ad Danielem Angelus) *apparuit princeps Græcorum veniens.* Ex quo stultè inferunt, quòd DEUS sit in tali loco, ubi sit introitus & exitus. Ac, plus quam delirè concludendo, quòd si id ita est, Deus est in loco, sex partibus terminato. *Item*: Dicunt * Deum tantùm esse in occidente; probantq; id ex illo 2. Esdr. * 9. v. 6. *Exercitus cæli te adorat.*

* *Petrus Alphunsi, pag. 26.*

* *Idem pag. 13.*

* *Nehemiæ.*

rat. Hinc enim ſic arguunt: quòd cùm omnes ſtellæ in occidentem decidunt, tunc exercitus cæli ſuplicat Deo, & quoniam hæc ſtellarum ſuplicatio fit in occidente acutè & verè judaice inferunt, Deũ eſſe tantum in occidente. *Item: L. Havoda Saza. c. 1.* * blaterant, quòd Deus Sedens ſuper Cherub maximè velocem octodecim millia mundos, quos creavit viſitat. Proficiendoq; in blaſphemia, *l. Berac. c.* 1. latrant, quòd poſt everſionem templi Jeroſolimitani, quatuor tantùm cubitorum ſpatium DEO eſt in toto mundo relictum. *At* (præterquam quòd impiæ illæ illationes Thalmudicæ ſunt planè deliræ, ac ſtultiſſimæ; delirum enim & ſtultiſſimum eſt ſic diſcurrere: Angelus egrediebatur, & alius angelus, ſcil. princeps Græcorum, veniebat; ſtellæq; Deum adorant; ac templum judaicum eſt everſum: Ergo Deus eſt in loco ſex partibus terminato; in occidente, vel in ſpatio quatuor cubitorum tantum) *in Art. præced.* oſtenſum, quòd Deus ſit ubiq; ita ut (ſecundùm Pſ. 138.) nemo poſſit à Spiritu & facie ejus fugere, cùm ſit in cælo, in inferno, in extremis maris, illumq; (2. Paral. 2. v. 6.) cælum, ac cæli cælorum capere non poſſint, ac qui (Jer. 23.) cælum & terram impleat. *Item.* Expreſſè dicit Script. Deum eſſe toto orbe majorem, ita ut infinita ſit magnitudo illius; ut Job. 11. v. 8. & 9. *Excelſior cælo eſt, & quid facies? profundior inferno, & unde cognoſces? Longior terrâ menſura ejus, & latior mari.* Et Pſ. 144. v. 3. *Magnus Dominus & laudabilis nimis: & magnitudinis ejus non eſt finis.* Et Iſ. 6. v. 3. *Plena eſt omnis terra gloria ejus.* D.
Quæ ergo eſt judæorum temeritas & impietas, dum effutire audent, Deum eſſe in loco ſex partibus terminato, eſſe tantùm in occidente, aut quatuor cubitorum ſpatio? volareq; ſuper Cherub, ad viſitandos octodecim millia mundos? *Ratio* quoq; hanc temeritatem evidenter reprobat.

* *Ludov. Granat. cit. pag.* 703.

C.

bat. *Nam* si Deus esset in loco, sequeretur quòd aliquis locus esset, in quo Deus non esset, proinde aliqua creatura sine Deo, imò & major eo, esse posset, Deusq; omnia scire & operari in eo loco non posset, in quo ipse non esset. Quæ omnia penitus sunt absurda, blasphema, omniscientiamq; Divinam ac omnipotentiam, imò & totam Deitatem tollentia, *Dicere* autē cum judæis, Deum in uno etiam tantùm existentem loco, in omni loco omnia scire & operari posse, quia potest scientiam suam & operationem in omnia loca diffundere, ut & sol. in cælo tantùm existens, radios tamen suos in omnem terram diffundit. *Hoc nil juvat*, imò etiam blasphemiam auget; nam nec Divinam immensitatem id salvat, omniscientiamq; ac omnipotentiam tollit.
E. Sequeretur enim, quòd per scientiam illam suam & operationem non æqualiter in omni loco omnia sciret & operaretur Deus, ut & sol non æqualiter, per radios, calorem, & virtutem suam, in omni loco operatur, virtus enim diffusa non est æqualis in principio, medio, & termino, ut docent Philosophi & ratio ipsa ostendit. Dicere autem non æqualiter omnia scire & operari Deum, est omniscientiam & omnipotentiam ejus interimere. *Addo.* Contra Script. quoq; esse, quòd plures mundos quàm unum creaverit Deus, ut eos sedens super Cherub visitet.
*Beresith. Nam Gen. * 2. v. 1. & 2. dicitur: *Igitur perfecti sunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum. Complevitq; Deus die septimo opus suum quod fecerat: & requievit die septimo ab universo opere quod patrârat.* En perfectio cæli & terræ, proindeq; unius tantùm mundi, universum opus Dei quod patrarat, adèòq; plures ille mundos non fecit, quos, sedens super Cherub, inviseret. Hinc Deum fecisse cælos, terram, aquilonem, & mare, seu unum mundum confitetur Psaltes

Ps. 88.

Ps. 88. v. 12. & 13. dicens: *Tui sunt cæli, & tua est terra, orbem terræ & plenitudinem ejus tu fundasti: aquilonem & mare tu creasti.* Quamvis autem Ps. 17. v. 11. dicatur: *Ascendit super Cherubim, & volavit:* quod in patrocinium nefandi sui erroris judæi possent arripere; tamen de Deo quà Deo litteraliter id non potest accipi; aliàs Deus nedum immensus non esset, ast etiam aliquo, h. e. Cherub illo, indigeret, ut ei inequitare posset; illeq; Cherub esset Deo, in aliquo saltem, perfectior, quia velocior. Quæ sunt summè blasphema. Debet ergo id figuratè intelligi, ut sensus sit quòd Deus per summam suam scientiam transcendat infinitè & supereminеat etiam super Cherubim. Nam *Cherubim* interpretatur *plenitudo scientiæ.* Et hoc etiam verum est de Christo quà Homine, * immediatè enim de illo, ibid. v. 10. dictum: *Inclinavit cælos, & descendit:* puta: in carnem; illeq; *ascendit super Cherubim* cùm Joan. 1. v. 14. plenus gratiæ & veritatis fuit. Imò (ut *Art. XVI. lit.* D. innui) debet id de eo intelligi etiam litteraliter; ille enim post Resurrectionem, in cælos ascendit, supergressusq; inibi omnes Angelorum ordines, in dextera Patris resedit. F.

* *ait. D. Hieron. in hunc. loc.*

Contra Beatitudinem Divinam. Nam *l. Barachot c.* 1. * dividunt noctem in tres partes, & in qualibet earum, dicunt Deum ut leonem rugire ac dicere: Heu, quia domum meam delevi, & meum templum combussi, & filios meos (judæos) in gentibus captivos feci: *Et in eod. cap.* blaterat R. Josephus, quòd aliquando in quandam ruinosam domum ad adorandum intraverit, & egrediens de illa, in Eliam inciderit, qui eum salutavit dicens: Pax tibi Rabbi. Cui ille respondit: Pax sit tibi Rabbi Domine. G.

* *Granaten. pag.* 702.

Ad

Ad quem iterum Elias; Fili, quam vocem in hac diruta domo audisti? Cui ille respondit: Audivi vocem clamantem tanquam columbæ, & dicentem: Heu, quia domum meam everti, & meum templum combussi; Cui ad hæc Elias: Fili mi, non solùm id dicit per horam, sed totum diem. Et in hora qua Jsràël synagogam ingreditur, & orationi respondent, Deus suum caput depilat, & inquit: Beatus ille rex est, qui sic à suis filijs, in suis domibus, honore afficitur. Sed væ patri, qui suos filios captivos fecit, & væ filijs, qui captivi, & à sui patris mensa remoti fuerunt. Consonat his Petrus Alphunsi * objiciens judæis, quòd in Thalmud doceant, Deum quotidie semel in die plorare, & ab oculis ejus duas prodeuntes lachrymas in mare magnum incidere, & has esse ilum fulgorem qui tempore nocturno cadere de stellis videtur. Causam autem hujus fletus divini * judæi assignant captivitatem & dispersionem suam, quam (latrant) deflet Deus ter quotidie, rugiendo ut leo, cælum pedibus, more calcantium in torculari, pulsando, ut columba gemendo, caput movendo, pedes collidendo, manibus, more dolentium, plaudendo, ac dicendo: Heu mihi, heu mihi! ut quid domum meam in desertum redegi, & templum meum cremavi! & filios meos in gentes transtuli! Heu patri qui transtulit filios suos, & heu filijs, qui translati sunt de mensa patris sui? Adduntq; * quòd hanc vocem, in quodam loco rimoso, quidam doctor illorum, scil. rabbi ille Josephus, audierit. *At* dignæ igne infernali lingvæ! quæ tam dirè Deum blasphemant, miserumq; ac similem damnatis vel desperatis efficiunt! *Nonne* toties in Script. Deus *Benedictus* esse dicitur? ut Gen. * 9. v. 26. *Benedictus Dominus Deus.* Et Gen. 14. v. 20. *Benedictus Deus excelsus.*

H.

* in Dialog. pag. 28.

* teste eod. Alph. pag. 29.

* idem ibid. pag. 30.

* Beresith.

Et Ps.

Et Ps. 67. v. 20. *Benedictus Dominus die quotidie.* Et Ps. 71. v. 18. & 19. *Benedictus Dominus Deus Jsràél - - - Et benedictum nomen Maiestatis ejus in æternum.* Et alibi pluries. Maledicti autem judæi dicunt eum esse maledictum, *væ* sibimet ipsi, tanquam damnato & extremè misero, idq ter quotidie concinentem. Proinde non credunt in Benedictum D. Deum excelsum, ast in infelicem, miserum, continuaq; calamitate depressum; non in benedictum die quotidie, ast in afflictissimum ter in die; non qui in æternum sit Benedictus Deus Jsràél, ast qui in sempiternum ploret & gemat pro Jsràél. Certè magna cæcitas nebulonum horum, qui & inde nolunt in Christum credere, quòd secundùm Humanitatem assumptam, semel tantùm est passus, & talem sibi suum deum effingunt, ac in eum credunt, qui tot, tantosq; dolores, secundùm etiam naturam suam divinam, idq; quotidie, ac ferè continuò & perpetuò, sustinere debeat. *Item:* Deus est (uti omnes Gentes consentiunt) Summum Bonum, ac omnium bonorum interminatus & inexhaustus Oceanus. Et hinc Gen. * 15. v. 1. dicit ipse: *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Et Exod. * 33. v. 19. ad Moysen: *Ego ostendam omne bonum* (i. e. memetipsum) *tibi.* Et Psaltes omnia bona creata, quæcumq; sunt in cælo & terra, parvipendit respectu Summi Boni Dei Ps. 72. v. 25. *Quid enim mihi est in cælo? & à te quid volui super terram?* Qua fronte ergo hi blasphemi, Summo Bono, à quo, & per quod sunt omnia bona, tantas calamitates & mala non erubescunt obtrudere? *Item:* Deus dicit se esse felicem & gloriosum Prov. * 8. v. 18. *Mecum sunt divitiæ, & gloria, opes superbæ, & justitia.* Dicit ibid. v. 30. & 31. se per singulos dies delectari, ac omni tempore quodammodo lude-

re, deli-

I.

K.

* *Beresith.*

* *Veelle Semoth.*

* *Misle.*

re, deliciasq; ex eo quòd ſit cum filijs hominum captare: *Delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore; ludens in orbe terrarum: & deliciæ meæ, eſſe cum filijs hominum.* Summa ergo eſt blaſphemia de illo fingere quòd contriſtetur, ſe affligat, & ploret, qui per ſingulos dies & omni tempore felix & glorioſus eſſe, delectariq; ludere, ac deliciari, dicitur. *Item*: Script. beatos illos apellat qui in cæleſtibus atrijs cum Deo habitant; ut Pſ. 64. v. 5. *Beatus, quem elegiſti, & aſſumpſiſti: inhabitabit in atrijs tuis.* Et Pſ. 83. v. 5. *Beati, qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Et ibid. v. 11. ſubditur. *Melior eſt dies una in atrijs tuis ſuper millia.* At quomodo eſſent beati, qui cum tam ærumnoſo & calamitoſo deo habitarent, illiusq; afflictionis & miſeriæ oculati teſtes, ac proinde & participes forent? qui enim alterum, maximè quem diligit, dirè affligi ac excruciari conſpicit, ipſe quoq; affligitur & excruciatur; idemq; ferè cum eo perpetitur. Nec melior eſſet dies una in atriis talis dei, ſuper millia imò æquipararetur inferno; ſummum enim eſſet ſanctis tormentum, ſi deum, dolentem, gementem, ut leo rugientem, manus complodentem; pedes collidentem, *væ*, & *eheu* ſibi ingeminantem, viderent & audirent, cum eoq; perpetim habitare deberent; ſatiusq; eligerent in terra, imò & inferno eſſe, quàm in cælo, tantos dolores & angores divinos, cominus cernere. *Demum*: Quia potiùs eſt expreſſè in Lege prædictum, quòd Deus lætabitur poſtquam judæos diſperſerit, templumq; urbem, ac regnum eorum ſubverterit; nam Deut. * 28. v. 63. dicitur: *Sicut ante lætatus eſt Dominus ſuper vos, bene vobis faciens, vosq; multiplicans: ſic lætabitur diſperdens vos atq; ſubvertens, ut auferamini de terra, ad quam ingredieris poſſidendam.* En Deus præ-

L.

M.

* Ille Haddebarim.

prævidens hanc Thalmudistarum blasphemiam, clarè & expresse prædixit, se non ploraturum, ast lætaturum, postquam judæos dispersferit ac subverterit, cui per summam vesaniam, contradicunt hi impij, fulgcrem illum, qui noẞe cadere de stellis videtur. (quem ferè & pueri esse quendam vaporem accensum, bellè nôrunt) lachrymas dei plorantis blaterantes.

Contra Omnipotentiam. Nam * super illud Ps. 7. v. 12. *Deus judex justus, fortis, & patiens, numquid irascitur per singulos dies?* glossando impij Thalmudistæ blasphemant, Deum singulis diebus semel irasci, idq; de tali re, de qua se non potest ulcisci; quòdsi posset, quiesceret profecto ira ejus. Dicunt quoq; illum primâ horâ diei irasci, quòd illa hora reges iniquitatis exurgentes, diademata sibi imponant, & solem adorant, & id ipse impedire nequit. Stultizant insuper * quòd ipsius horæ punctum quo Deus irascitur, nemo unquam noverit, nisi Balaam filius Beor, de quo Num. 22. & sqq. & gallus gallinaceus. *At* (præterquam quòd ex citt. textu Ps. 7. contrarium potiùs sequatur, quòd scil. Deus non irascatur quotidie de re tali, quam ulcisci & impedire non potest, dicitur enim inibi de eo quòd sit nedum justus, ast etiam fortis, & patiens, qui non irascitur per singulos dies, si autem irasceretur quotidie de re tali, quam ulcisci & impedire non posset, neq; esset fortis neq; patiens, quòdq; per singulos dies non irasceretur, falsum, esset) Deum esse Omnipotentem omnis ferè clamat Script. Nam Gen. * 17. v. 1. & Gen. 35. v. 11. ipse Deus dicit: *Ego Deus Omnipotens.* Et Jacob pluries & expressè eum Omnipotentem appellat, ut Gen. 43. v. 14. *Deus autem Omnipotens faciat eum vobis placabilem.* Et Gen. 28. v. 3. *Deus Omnipotens apparuit mihi*

Petrus Alphunsi pag. 27.

N.

* *idem Alphunsi pag. 28.*

* *Beresith.*

O.

in Luza. Et Gen. 49. v. 25. *Deus patris tui erit adjutor tuus, & Omnipotens benedicet tibi.* Et Moyses Exod. * 15. v. 3. lætus canit: *Dominus quasi vir pugnator, Omnipotens nomen ejus.* Et alibi in locis ferè innumeris. Eadem Script. dicit DEO nihil esse difficile; ut Gen. 18 v. 14. *Numquid Deo est difficile?* Et Jer. 32 v. 17. *Non erit tibi difficile omne verbum* Et ibid. v. 37. *Numquid mihi difficile erit omne verbum?* Et Zach. 8. v. 6. *Si videbitur difficile in oculis reliquiarum populi hujus in diebus illis, numquid in oculis meis difficile erit, dicit Dominus exercituum?* Dicit quoq; Script. quòd manus Dei non sit invalida, parvula, vel abbreviata; ut Num. * 11. v. 23. *Numquid manus Domini invalida est?* Et Js. 50. v. 2. *Numquid abbreviata & parvula facta est manus mea?* Et Js. 59 v. 1. *Ecce non est abbreviata manus Domini.* Hinc Job. c. 42. v. 2. dicit ad Deum: *Scio quia omnia potes.* Quæ ergo est judæorum perversitas & malignitas de DEO Omnipotentissimo, diabolico plusquam ore latrare, eum de tali re irasci, quam ulcisci & impedire non potest? *Deinde.* Deut. * 32. v. 43. dicit Moyses de Deo: *Sangvinem servorum suorum ulciscetur: & vindictam retribuet in hostes eorum.* Et Salomon 2. Par. * v. 23. *Facies judicium servorum tuorum, ita ut reddas iniquo viam suam in caput proprium, & ulciscaris justum.* Et Propheta Nahum 1. v. 2. *Deus æmulator, & ulciscens Dominus: ulciscens Dominus & habens furorem: ulciscens Dominus in hostes suos, & irascens ipse inimicis suis.* En ulciscitur omnia Deus; potestq; ulcisci. Cur ergo latrant judæj? *Demum:* Inaudita, & vix credibilis fatuitas est dicere, quòd de illo horæ momemento quo DEUS irascitur, nemo sciverit vel sciat nisi Balaam filius Beor, & gallus gallinaceus; vix enim febricitanti, aut plenè deliro in mentem posset venire, quòd

de illo

* *Veelte Semotch.*

* *Vaiedabber.*

P.

* *Elle Haddebarim.*

* *Dibre Hajamim.*

de illo, Balaam ariolus, & magus sciverit, aut gallus, volucris carens intellectu, sciat, quod Abraham, Moyses, aliiq; Patriarchæ & Prophetæ ignoraverant. Q.

Contra Sanctitatem Divinam. Nam. * *in Bava Mecicha c. Meca Haboet*, blaterat R. Ismael, dicens: Magnum est, pax, cùm mendacia dixerit Deus, ut Abraham Saræ reconciliaret. Et *in Hulin. c. Elloe terefot*, illud Gen. * 1. v. 16. *Fecitq; Deus luminaria magna: luminare majus* &c. latrat R. Simeon, inquiens, quòd hora creationis luna & sol æqualia erant. & luna coram Deo stetit, ac dixit: Domine bonum est, ut duo reges unâ coronâ utantur. Propter hanc causam jussit DEUS, ut lunæ lumen imminueretur. Tunc illa, hac injuriâ valde commota, inquit: Domine, quoniam dixi quod æquum erat; me imminuisti? tunc Deus ut eam leniret, & ei satisfaceret, inquit: Id ne molestè feras; quia sol nonnisi interdiu apparebit, & tu interdiu & noctu. At hæc, neq; hac re, contenta fuit, imò dixit: Domine, candela ante solem quid prodest? Tunc dixit Deus: Faciam ut meus populus Jsraël suas orationes in tuis mensibus efficiant. Neq; hoc fuit luna contenta, quoad Deus se errasse dixit, & Moysi præcepit, ut cujuscumq; lunæ fine bovē vel caprum sacrificaret, ut hoc peccatum DEO condonaretur. Idq; probat hic delirus Rabbi ex Num. 28. ubi Deus jubet, ut hoc animal propter peccata immoletur. Et *in Bava Batraa, c. Hamor*, refertur, quòd Raba, filius Rabbanæ, per quandam viam proficiscebatur, & quidam agaso dixit ei: Ostende mihi montem Sinai. Ille cum eo ivit, & ibi vocem audivit dicentem: O me perditum! heu, qui juravi, quis me absolvet? Ubi verò ad suam scholam reversus fuit, id suis præceptoribus narravit, qui eum reprehenderunt, dicentes: R.

* *Granat. citt. pag. 703. & seq.*

* *Beresith.*

tes: Qua hora hanc vocem audivisti, tibi dicendum erat: Domine ego te ab hoc jurejurando absolvo. Et glossa R. Salomon dicit; quòd hoc jusiurandum, cujus absolutionem Deus petebat, est captivitas Jsràél. *At* quanta, quamq; summè miranda sit, hæc dementia, quis non videat? Hi e-
S. nim maledicti homines, diaboli malitiam perversitate sua
* superantes, faciunt Deum mendacem, de quo Num. * 23.
Vaiedabber. v. 19. dicitur: *Non est Deus quasi homo ut mentiatur: nec ut filius hominis ut mutetur.* Faciunt eum injustum & non rectum, operaq; ejus non esse perfecta, ac sine omni iniquitate, quia lunam (plasphemant) injuriavit; contra illud Deut. * 32. v. 4. *Dei perfacta sunt opera, & omnes viæ ejus judicia: Deus fidelis, & absq; ulla iniquitate, justus & rectus* Faciunt eum à creatura, scil. luna illa, iniquitatis ac injustitiæ redargutum, planeq; convictum, ita ut coactus fuerit fateri se erasse; contra illud Job 21. v. 31. *Quis arguet coram eo viam ejus.* Et illud ipsiusmet DEI ad Job c. 40. v. 3. *Numquid irritum facies judicium meum: & condemnabis me, ut tu justificeris?* Faciunt eum iniquum, in aliquo saltem opere suo, scil. in illa creatione lunæ, contra Ps. 144. v. 13. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis: & sanctus in omnibus operibus suis.* Faciunt eum in conscientia
T. anxium, pænitentem, ac absolvi ab alio flagitantem, ut in illo jurejurando de captivitate Jsràél, contra illud 1. Reg.
* *Samuel.* * 15. v. 29. *Porro Triumphator in Jsràél non parcet, & pænitudine non flectetur: neq; enim homo est ut agat pænitentiam.* Faciunt deniq; illum simpliciter peccatorem, ut pote, mendacem, injurium, iniquum, temerè jurantem, ita ut post
* *Vaikra.* hujus eum pæniteat; contra illud Lev. * 11. v. 44. *Sancti estote, quia ego Sanctus sum.* Et Js. 6. v. 3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.* Et illud Ps. 109. v. 4.
Juravit

Juravit Dominus & non pœnitebit eum. Hæc autem sunt summæ impietates & blasphemiæ, plusquam diabolicæ. *Addo:* Stultitia stultitiarum est dicere, (quòd luna in principio creationis suæ, æquale lumen cum sole habuerit; nam cùm luna (juxta Gen. * 1. v. 16.) creata sit ut luminare minus, quod præesset nocti, lumen æquale ut sol, habere non potuit, aliàs non minus quàm sol luminare esset noctiq; præesse non posset, cùm & eo tempore, quo nox esse deberet, diem faceret. Est quoq; insignis stultitia fingere, quòd luna Deum adierit, illumq; allocuta fuerit &c. id enim enti inanimato, qualis est luna, tribuere, est utiq; insigniter stultum. * *Beresith* U.

Contra Sapientiam Divinam Nam. * *l. Hevoda Saza, c. 1.* interrogant: Quibusnam in rebus Deus sit occupatus? respondentq; quòd tribus primis diei horis Legi Moysaicæ studet; & tribus sequentibus sedet, ut pueros doceat, qui in tenera ætate sunt mortui; alijs tribus, mundum universum judicat, tribus verò ultimis, animum laxat, & ludit cum pisce, seu cum serpente Leviathan, Et *l. Berac. c. 1.* dicunt, quòd Deus tribus primis horis diei sedet, ut Thalmud studeat. *At* & hìc inaudita fatuitas, & blasphemia. *Nam* 1. Reg. * 2. v. 3. dicitur: *Deus scientiarum, Dominus est.* Et Job. 12. v. 13. *Apud ipsum est sapientia, & fortitudo, ipse habet consilium & intelligentiam.* Et Ps. 146. v. 5. *Sapientiæ ejus non est numerus.* Quanta ergo est perversitas & impietas dicere, quòd ille Legi Moysaicæ quam ipse condidit, vel stolido Thalmud judaico, quod deliri fabricârunt rabbini, tam sedulò studeat? *Item* Deus totam terram, imò fines ac terminos mundi, insuperq; creaturas creandas ac creabiles, perfectissimè cognoscit & videt; nam 2. Paral. * 6. v. 9. dicitur: *Oculi enim Domini* * *Granat. pag. 703.* W. * *Dibre Hajamim.*

Domini contemplantur universam terram. Et Job 28. v. 25. *Ipse enim fines mundi intuetur: & omnia, quæ sub cælo sunt, respicit.* Et Jer. 1. v. 5. *Priusquam te formarem in utero, novi te.* Anne ille solam Legem Moysaicam, miserumq; Thalmud judaicum ignorabit, illiq; studebit? *Item* Deus etiam cogitationes cordis intuetur; scit, & scrutatur; nam * Samuel. 1. Reg. * 16. v. 7. dicitur: *Dominus autem intuetur cor.* Et Job 42. v. 2. *Scio quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio:* Et Ps. 7. v. 10. *Scrutans corda & renes Deus.* Et alibi sæpius. Cui ergo potest in mentem venire, quòd qui videt cordis arcana ille ignoret Legem Moysaicam, doctrinamq;

X. stultam Thalmudicam? Hinc ipsemet Deus reprehendit hos blasphemos Js. 40. v. 27. &28. dicens. *Quare dicis Jacob, & loqueris Jsraël: abscondita est via mea à Domino, & à Deo meo judicium meum transivit? Numquid nescis, aut non audisti? Deus sempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ: non deficiet, neq; laborabit,* (multò minus Legi vel Thalmud studebit) *nec est investigatio sapientiæ ejus.*

Contra Summitatem seu *Supremitatem Divinam.* Nam in Thalmud * blasphemant, quòd Deus quotidie oret, ut misericordia ejus sit super iram ejus, & ut eat in populo suo in misericordia. *At* impiè, ac contra Script. & rationem. De vero enim Jsraël Js. 54. v. 10. dicit Deus: *Montes enim commovebuntur, & colles contremiscent: misericordia autem mea non recedet à te, fœdus pacis meæ non movebitur: dixit miserator tuus Dominus.* Quomodo ergo potest Deus orare, ut super populum illius sit misericordia ejus, quam immutabiliter super illum futuram appromittit. *Item* Sæpius in Script. dicitur, quòd misericordia Dei sit à sæculo; ut Ps. 24. v. 6. *Reminiscere miserationum tuarum Domi-*

Y. *ne, & misericordiarum tuarum, quæ à sæculo sunt.* Quòd sit

* Alph. pag. 30.

sin æter-

in æternum; ut Ps. 88. v. 3. *In æternum misericordia ædificabitur in cælis* Quòd illâ sit plena terra; ut Ps. 32. v. 5. *Diligit misericordiam & judicium: misericordia Domini plena est terra.* Et alibi pluries. Ergo nequit Deus orare ut in eo sit misericordia, quæ ab ipso nunquam potest abesse. *Item*: Deus est Dominus Altissimus, ut sæpe in Script. dicitur, & signanter Ps. 82. v. 19. *Cognoscant quia nomen tibi Dominus: tu solus Altissimus in omni terra.* Ad quem ergo ille oraret? Nam non ad alium; aliàs ille alius esset illo altior ac præstantior, & proinde Deus, non esset Altissimus. Non etiam ad seipsum; nam, si homo esset mente captus, qui seipsum oraret ut aliquid faceret, pariter talis esset & Deus, quod cogitare de illo est summè blasphemum. *Insuper*, si Deus seipsum oraret, vel posset id pro quo orat facere vel non posset; Si non posset frivolè ergo oraret Si posset, vel vellet id, pro quo orat, facere, vel non vellet si non vellet; frustra, frivolèq; oraret: si vellet; ad quid ergo sine ratione & necessitate oraret, ut id faceret? Meritò ergo de his blasphem s judæis illud dici potest, quod de sapientibus ethnicis D. Paulus Rom. 1. v. 21. dixerat: *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Z.

ARTICULUS XXXI.

Quòd maledicti judæi etiam Christum verũ Messiam in impio suo Thalmud horrendè blasphement ac despiciant. A.

Ut alias prophetias, malitiam ac impietatem judaicam prædi-

prædicentes, ad ungvem verificant in se maledicti judæi, sic & illam Js. 1. v. 4. *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis: dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Jsraël, abalienati sunt retrorsum.* Hæc enim gens peccatrix, populus gravi iniquitate, semen non Abrahæ; ast nequam, imò (Joan. 8. v. 44.) diaboli, filij scelerati, postquam jam *dereliquerunt Dominum*, in verum Deum non credentes, Essentiamq; ac Attributa Divina (ut patuit) blasphemantes; blasphemant quoq; *Sanctum Jsraël* Christum, qui eminenter est *Sanctus Jsraël*, quia (Dan 9. v. 24.) *Sanctus Sanctorum.* Et hinc D. Hier. * ait: *Si expedit odisse homines, & gentem aliquam detestari; mirô odiô aversor circumcisos, usq; hodie enim persequuntur Dominum nostrum Jesum Christum in synagogis sathanæ.* Aliquas tantùm horum maledictorum contra Christum blasphemias hìc in medium affero.

* *Epist. 65. ad Pammachium & Oceanum:*

B. I. Dum Propheta Dan. 7. vidit quatuor bestias, quatuor magna imperia, scil. Chaldæorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum denotantes, & in quarta bestia, quoddam cornu parvulum ortum, quod inibi à v. 25. sermones contra Altissimum erat locuturum, & sanctos Altissimi contriturum, ac putaturum posse se mutare tempora & leges, quæ omnia tradentur in manu ejus, usq; ad tempus, & tempora, & dimidium temporis. Maledicti judæi, * per hoc cornu, intelligunt Dominum nostrum Jesum. Nam (latrant) Jesus adinstar cornu parvuli habuit parva principia, quia fuit filius fabri, ad scholamq; suam piscatores vocavit, ac cruci est affixus cum latronibus Contra Altissimum loquebatur sermones, dicendo se esse Filium Dei. Contrivit sanctos, & putabat quòd possit mutare tempora & leges, quia Legis Moysaicæ obser-

* *Corn. à Lap. in Dan 7. v. 8.*

cæ observatores persequebatur, ipsamq; hanc Legem immutare voluit. Hacq; in manu ejus sunt tradita ad tempus, & tempora, & dimidium temporis, i. e. ad semiquatuor annos, per quos prædicavit. *At mentita est iniquitas sibi.* *Tumq;* Post cornu illud contritum: statim erat futurum extremum judicium, sanctiq; contra quos cornu illud pugnavit, regnaturi. Nam ibid. v. 26. dicitur: *Judicium sedebit, ut auferatur potentia, & conteratur, & dispereat, usq; in finem. Regnum autem, & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, detur populo Sanctorum Altissimi.* Quare ergo post mortem D. Jesu judicium extremum mox subsecutum non est? Cur non regnant judæi? imò regnum eorum radicitus est à Tito excisum, ipsiq; per totum mundum dispersi? *Tumq;* Falsum est quòd D. Jesus habuerit parva principia. Nam ille ex regia stirpe David est ortus; ab illibata Virgine, Angelo nuntiante, & Spiritu S. obumbrante, conceptus; pastoribus ab Angelis annuntiatus; à Magis regibus, duce stella, adoratus; à formidoloso rege Herode, ne illi regnum eriperet, ad necem requisitus; à Joanne Baptista, Simeone justo, Anna filia Phanuel Prophetissa, & alijs, ut expectatus Messias, proclamatus &c. Et quamvis filius fabri putari, viles sibi piscatores in discipulos eligere, ac inter latrones crucifigi moriq; voluerat, tamen id fecit, ut superbiam mundi retunderet, ac prophetias impleret, quæ illum pauperem venturum, Zach. 9. v. 9. piscatores ad prædicandum missurum, Jer. 16. v. 16. crucifigendum, Ps. 21. v. 17. & Zach. 13. v. 6. inter latrones reputandum Js. 53. v. 12. moriturum & occidendum, Js. 53. v. 8. & Dan. 9. v. 26. prædixerunt. Insuperq; hoc totum Divina magnificârunt miracula. *Tumq;* D. Jesus loquebatur qui-

C.

D.

dem sublimia, divinam suam doctrinam prædicando, seq; esse Filium DEI, docendo; at hæc vera fuisse, summa comprobabant miracula, prophetiæq; firmabant. *Tumq;* Mentiuntur judæi, quòd D. Jesus Legem Moysaicam mutaverit, quò ad legitimam ejus intelligentiam, potiùs enim eam adimplevit, summèq; perfecit, ut *Art. XXV.* ostendi. Nec potestatem suam per semi quatuor annos tantùm exercuit, (de potestate enim exercenda, non autem de prædicatione, ut judæi contra Script. blaterant, in hoc loco dicitur, ut patet ex illo, ibid. v. 25. *Tradentur in manu ejus usq; ad tempus, & tempora; & dimidium temporis*) sed ad hæc usq; tempora, per annos plusquam mille septingentos in Ecclesia sua regnando; *potestas* enim
E. *ejus, potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum ejus, quod non corrumpetur.* Ut de eo ibid. v. 14. dicitur. Et mira est judæorum cæcitas, qui per cornu illud, blasphemè & stultè, volunt D. Jesum intelligi, & non vident illum, ibid. v. 13. & 14. clarè à Propheta depictum, cum nubibus cæli quasi filium hominis venientem, & usq; ad Antiquum dierum pervenientem, in conspectu ejus oblatum, cui ille dedit æternam potestatem, regnum, ac honorem, ut omnes populi, tribus, & lingvæ, illi serviant, ut tot jam annorum centurijs D. Jesu serviunt? *Addo*: Quòd potiùs cornu illud parvulum aptimè exprimat, à judæis expectatum & recipiendum, pseudo-messiam illorum, antichristum. *Nam* ille habebit parva ac despecta initia, nascetur enim ex scorto, per operationem satanæ. * Loquetur sermones contra Altissimum, quia cùm erit mancipium diaboli, dicet se esse Messiam, & Deum. Mutare se
F. posse putabit, Leges Evangelicas, & tempora Status Gratiæ, veram Fidem Christi reprobando. Sanctos Altissimi, i. e. Christi-

* 2 Thess. 2. v. 9.

Christianos proteret, truculentissimè eos persequendo. Exercebitq; tantùm potestatem suam per tempus, tempora, & dimidium temporis, h. e. per semi-quatuor annos devastabit Ecclesiam; donec D. Jesus *spiritu labiorum suorum interficiat* hunc *impium*, ut & hoc prædictum Js. 11. v. 4.

II. Dum Judæi non possunt negare quòd Dominus noster Jesus Christus miracula patraverit (illa enim eum patrasse quasi demonstrativè ostensū *Art. XII. lit.* T. *& sqq.* ut se esse non degeneres filios illorū reproborū comprobent, qui Luc. 11. v. 15, diabolico ore latrabant: *In beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia*, latrant quoq; & illi, blasphemantes, * quòd D. Jesus per magicam artem miracula sua fecerit, quam in Ægypto didicit, dum infans in eam profugit. *At* impij! quo pacto possetis aliquem blasphemum falsitatis convincere, qui diceret, (ut Apuleius, *Apolog. 11.* & Plinius *l. 30. c. 1.* dicebant) quòd etiam Moyses per artem magicam, quam in Æpypto didicerat, miracula sua patraverit? Certè Moyses diutiùs in Ægypto manserat quàm D. Jesus, quia & ibidem est natus, & educatus, & per plurimos post annos conversatus, ut enim Exod. * 7. v. 7. dicitur: *Erat Moyses octoginta annorum, & Aaron octoginta trium, quando locuti sunt ad Pharaonem filios Jsràél ex Ægypto educturi*, & ipsi ex ea egressuri; at D. Jesus est infans in Ægyptum illatus, & ex ea puer in terram Jsràél reportatus, juxta illud, quod Matt. 2. v. 20. Angelus dicit ad Joseph: *Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & vade in terram Jsràél: defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri.* Si ergo D. Jesus (ut latratis) magicam artem in Ægypto didicit, per eamq; miracula patravit, idem dicet blasphemus de Moyse. *Item;* Si D. Jesus in Ægypto magicam artem didicisset,

[*] *Alph. pag. 161. & 262.*

G.

* *Veelle Semoth.*

ſet, per eamq; miracula ſua patraſſet, tunc tempore illo inibi deberent eſſe talis artis magiſtri, qui ſimilia, imò majora quam D. Jeſus, ut pote ejus magiſtri patrarent miracula: (à quo enim ille didiciſſet hanc artem, ſi hi illic non eſſent) at non erant, nec miracula ſimilia, mul-
H. tò minùs majora, quàm D. Jeſus; fecerat: (nemo enim ex illius temporis hiſtoricis, aliquam de hoc, vel minimam mentionem facit. Et aliàs mira hæc illorum mago rum divulgari & audiri deberent, prout miracula D. Jeſu ſunt divulgata adusq; & audita) Stulta eſt ergo & frivola hæcce judæorum blaſphemia. *Item*: D. Jeſus aquam in vinum convertit; de quinq; panibus quinq; millia hominum ſatiavit; unô verbô leproſos, paralyticos, hydropicosq; ſanavit; cæcis, etiam ſic natis, viſum, claudis greſſum, ſurdis auditum, mutis loquelam, in momento, ſolo nutu, reſtituit; mortuos, & (quod majus omnibus eſt) ſemetipſum occiſum ſuſcitavit &c. Hæc autem miracula per artem magicam patrari non poſſunt, longè enim virtutem dæmonum tranſcendunt. Nam v. g. leproſus mundari nullatenus poteſt, niſi vel per medicinam, vel per verum miraculum, Dei virtute patratum. Quòd id fiat per medicinam, hinc patet, dum ſenſim caro leproſi purgatur, vel per potiones interiùs, vel unctiones exteri-
I. ùs. Dum autem nil fit horum, at inſtantaneè, ſoloq; tan-
* tùm verbo, aliquis mundatur leproſus (ut 4. Reg. * 5.
Malachim. Eliſeus Naaman Syrum, & Chriſtus plures, ut in Evangeliis legitur, à lepra mundaverat.) jam id per virtutem divinam, verumq; miraculum cenſendum eſt fieri. Cæcus quoq; & maximè ſic natus, nec per medicam, nec per
* teſte Alphunſi, pag 264: magicam artem illuminari poteſt. Hinc Aſſitha magus * teſtatur, quod per artem nicromanticam cæcis veraciter lumen

men reddi non possit. Aqua quoq; in vinum mutari, plures homines paucis panibus satiari, & (quod est maximũ) mortui resuscitari, per magicam artem non possunt. Nam utiq; (ut credunt & ipsi judæi) Moyses Exod. * 15. v. 25. aquas amaras in dulces, & Eliseus 4. Reg. 2. v. 21. aquas pessimas in optimas, & terrã sterilem in fertilem, ac 4. Reg. 4. v. 41. pulmentum mortiferũ, in salutiferũ miraculo Dei transmutaverat. Miraculô quoq; idẽ Eliseus 4. Reg. 4. v. 42. & 43. viginti panibus hordeaceis, centum viros satiaverat, ac Elias mortuum filium viduæ Sareptanæ, 3. Reg. * 17. v. 22. Eliseus Sunamicidis 4. Reg. 4. v. 35. & alium mortuum (quamvis tunc jam & ipse mortuus) per solum ossium suorum contactum, 4. Reg. 13. v. 21. ad vitam revocaverat. Instantaneæ quoq; ac unô verbo, vel nutu, paraliticorum, hydropicorum, surdorum, mutorum, claudorum, aridorum, sanationes, fieri tantùm per divinum miraculum possunt. Et idcirco Js. 35. v. 5. & 6. soli appropriantur Messiæ, dum dicitur: *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Per virtutem ergo divinam hæcce miracula D. Jesus patraverat. *Item:* Honor & gloria Patris sui cælestis, unicus semper scopus & finis patrandorum miraculorum fuit apud D. Jesum: (hinc illa sine fructu in patria sua incredula Matt. 13. v. 58. & coram Herode impio, ac vanè curioso, rege, Luc. 23. v. 9. patrare noluerat, quamvis illum eorum patratio à morte etiam tunc fortè liberare potuerat) Ergo per magiam ea non fecit; mira enim per magiam facta (præterquã quòd passim patrantur in damnum alterius, ubi è contra miracula D. Jesu in beneficium corporum & animarum cessérunt) ad vanam curiositatem pascendam ordinantur. *Denum:*

Veetle Se. motb.

K.

L.

mum: Thalmud ipsum, *Tit. de Synedrin* * dicit, quòd antiqui hebræorum judices, scil. illi Rabbini in Concilio Synedrin congregati, omnes artis magicæ debuerant esse periti; ut magos & magas, si qui tales essent, agnoscere, convincere, & condemnare possent. Si ergo D. Jesus, per artem magicam (ut hi impij blaterant) miracula sua patrasset, proculdubiò illi convicissent eum; coràm Pilato ex regulis artis magicæ deducendo, illum magum, proindeq; dignum morte, fuisse; maximè cùm ad hunc finem *convenientia* alia *testimonia* (Marc. 14. v. 56.) non habuerant. Horum tamen nil factum, ast tantùm anteà Luc. 11. v. 15. quidam ex pharisæis, coràm plebe imperita, convincentia documenta nec exigente nec capiente, blasphemè submurmurabant, eum in beelzebub principe dæmoniorum ejcere dæmonia. *Addo:* Quòd R. Natronai, ante Christum vivens, *in Tract. Sanhedrin. c. Heles* prophetice prædixerat, quòd degeneres, ipsum subsequentes judæi, sic divina Christi miracula, calumniaturi erant, dicens: *Christus faciet miracula, sed dicent ea esse à magia, vel a spiritibus immundis.* Et hoc nunc infeliciter verificant in se judæi. *Dices:* Firmius magus unum leprosum mundaverat; Assitha quoq; alter magus perhibet, quod per artem magicam possint ità mortui suscitari, ut cùm illis possit homo colloqui: Ergò etiam hæc miracula per magiam fieri possunt. *Resp.* Hinc sequi, quòd Naaman ab Eliseo non sit per miraculū à lepra mundatus, filius Sareptanæ ab ac Elia, filius Sunamitidis ab Eliseo ad vitam revocatus, si leprosi mundari, & mortui suscitari per magiam possent. Hoc autem est blasphemum, & contra illud Deut. * 32. v. 39. *Ego occidam, & ego vivere faciam: percutiam, & ego sanabo.* Et 1. Reg. * 2. v. 6. *Dominus mortificat & vivificat, deducit ad infe-*

* *teste Grotio l. 5. n. 5.*

M.

* *Elle Haddebarim.*

* *Samuel.*

ad inferos & reducit, &c. Hinc falsum est, quòd Firmius magus leprosum verè curaverit; ille enim per illusionem magicam intuentium tantùm oculos deceperat, ut viderent hunc esse quasi à lepra mundatum, qui non erat. Quod & hinc patuit, dum (teste Alph. *) æger post aliquod tempus in eandem lepram recidit, imò & tunc dum videbatur esse curatus, licet carnem suam mundam aspiceret, nunquam tamen interiùs (ut ipse post fassus) infirmitatem non sensit. Resuscitatio quoq; mortuorum à magis, non est vera resuscitatio, sast mera illusio, illi enim verè non vivunt, ast vivere tantùm videntur, dæmone aliquam eorum speciem ostentante. Quod etiam hinc patet (ut advertit idem Alph.) quòd ultrà, quàm longa est umbra sua, ambulare non possunt, sed cùm ad ejus finem pervenerit, mortui, ut ante, corruunt. Multò minùs in domos suas redeunt, moreq; hominibus usitato vivunt. Verè autem per divinum miraculum suscitati, ambulant quò volunt, inter homines, ut & priùs, degunt, comedunt & bibunt, ac ut cæteri, ad tempus à Deo definitum, vivunt. Et tales erant illi, quos Elias, Eliseus, & D. Jesus à mortuis suscitaverant. N.

* *in Dialog. pag. 263. & 264.*

O.

III. Dum deniq; hi impij vident, se non posse cum aliquo fundamento dicere, D. JESUM magica arte miracula sua patrasse, aliam addunt blasphemiam blaterantes * eum illa patrasse virtute verbi *Sem hammephoras*, quòd ille (grunniunt) furtim ex templo Jerosolimitano sustulerat. Sic enim blasphemant *l. Maila Imperque*: Regnante regina *Helu* quodam tempore *JESUS Nazarenus* intemplum Jerosolimitanum venit, & in lapide, in quo olìm arca fœderis steterat, scriptos characteres magni nominis Dei, scil. *Sem hammephoras*, invenit,

* *Liran in libello contra perfidiã jud. & slesiovius in libro: Odkryicie zdrad &c.*

nit, quos quicumq; penes se portaret, ac uti illis sciret, talia ut Moyses miracula facere posset. Seniores igitur sacerdotum, duos leones æneos effecerunt, qui illos characteres custodirent, ita, ut si quis vellet eos transcribere, secumq; è templo asportare, rugirent contra illum leones, ut hoc nomen descriptum dimittere, omninoq; illius oblivisci deberet. Ad *JESUS* (latrant) hæc omnia arte elusit; scidit enim sibi pellem supra genu, & chartulam cum descripto illo nomine Dei, illuc imposuit, ubi ejus virtute, mox est vulnus illud sanatum, cicatrixq; obducta. Dum egrederetur è templo, rugierunt contra illum leones, illeq; perterritus, hujus nominis est oblitus, at chartula, in qua illud descripserat, penes eum remansit, per quam ille varia patrabat miracula, præsertim coram pueris eum sequentibus ac venerantibus. Qui etiam aviculas de limo terræ formabant, & secus viam, qua erat transiturus, ponebant & ille nominis *Sem hammephoras* virtute, in sufflando in eas, vivas, avolantesq; reddebat. Seniores sacerdotum his auditis, reginam *Helu* adierunt, postulantes ut eum comprehendi faceret, quia turbas seducit, Cæsaribusq; Romanis non obedire docet. Misit cum illis regina servos suos; at Galilei acriter defendebant eum; quibus ille dicebat: Nolite me defendere, defendet me Pater meus cælestis. Tunc molarem lapidem jussit mari injici, illiq; supernatanti insiliens, per mare fluctuabat, in eoq; pisces manibus capiens, turbis in littore stantibus jaciebat. Quæ, cum regina *Helu* audisset, dixit: Verè hic homo est à Deo missus. At seniores his turbati, conduxerunt Judam Iscariot, omnia secreta *JESU* Nazareni scientem, datisq; ei triginta aureis, introduxerunt illum in templum, ut inibi transcriptô, & memoriæ

P. (margin, beside "scribere, secumq; è templo")

Q. (margin, beside "debant eum; quibus ille dicebat")

memoriæ

moriæ datô, verbô *Sem hammephoras*, *JESUM* comprehendere valeat. Quod dum factum, abierunt nocte cum Juda, ut *JESUM* comprehenderent; cùmq; pervenissent ad hortum, in quo ille fuerat cum discipulis, ac vellent eum comprehendere. ille, virtute *Sem hammephoras* evolavit in àëra; quô visô seniores præceperunt Judæ, ut ipse quoq; ejusdem verbi virtute evolaret post eum. Evolavit, & in àére medium *JESUM* sic fortiter tenuit, ut in terram ambo corruerint, hocq; lapsu, manum sibi, (alij dicunt, pedem) ipse *JESUS* fregerit. Et hunc (latrant) *Jesu* Nazareni casum deplorant die Parasceves Christiani. Post hæc (pergunt blasphemare) seniores comprehendentes Jesum, voluerunt eum in ligno suspendere, ast nequiverunt, omnia namq; ligna verbo Sem hammephoras adjuravit, ac inutilia ad id reddidit. Et invenerunt magnum caulem brassicæ, in eoq; illum suspenderunt. *Hucusq*; verba hujus impijssimæ, insanissimæ, omniq; prorsus ratione destitutæ blasphemiæ. *Nam*, proprimis, cùm nedum Evangelistæ, ast & omnes historici, etiam judæi, (qualis erat Flavius Josephus, cujus verba *Art. XII. lit.* X. adduxi) omnesq; veteres ac novi chronologi, ac ipsa series & connexio temporum, constanter testetur, D. Jesum tunc passum & crucifixum fuisse cùm Romani imperij clavum Tiberius imperator tenebat, Galilæam Herodes Antippa ut Tetrarcha regebat, Pontius Pilatus Judæam ex brachio Romanorum Jerosolimis gubernabat, quæ ergo fuit, aut ubi regnavit hæc regina *Helu*, quæ stolidè hìc fingitur? Dicere enim quòd fuerit *D. Helena* quæ Crucem Christi quæsivit & invenit (ut mihi Lublini judæus quidam responderat) est extremè stultum & imperitum, cùm *D. Helena* trecentis usq; annis post Christum

R.

S.

ſtum imperaverat. *Item:* Illius verbi *Sem hammephoras*, quis primus author fuerat? quis illi hanc virtutem omnia miracula perpetrandi indiderat? quis illô, ante *D. Jeſum*, ad facienda miracula uſus fuerat? vel, ſi nullus, cur nam id aliquis non fecerat? & quòd per illud fieri miracula poſſint, unde ſciri, ſine ulla prorſus experientia, potuerat? ac inſuper, quisnam propheta, vel ſaltem alicujus fidei hiſtoricus, hujus tam prodigioſi nominis mentionem fecerat? Certè? Joſephus, *in lib. Antiquitatum*, ac *de bello judaico*, omnia ſacra & ceremonias judæorum recenſet, & de nomine *Sem hammephoras*, altè ſilet, quia ſic adhuc ut moderni judæi mentiri & blaſphemare erubuit. *Item:* ſi verbô illô miracula facere quivis ille poſſet, qui eô rectè uti nôſſet, quid opus erat, ut ſeniores ſacerdotum ridiculos illos æneos leones facerent, qui illud cuſtodirent,
T. nullumq; illud addiſcere vel perſcribere ſinerent, cùm per ejus virtutem, omnes, ne illum locum accederent, nomenq; illud viderent aut legerent, ipſi ſoli impedire poſſent? vel cur inviderent, ne alij talia patrârent miracula ſicut Moyſes, cùm Num. 11. Moyſes prophetantibus
* Vaiedabber. in caſtris Eldad & Medad non inviderit, aſt adJoſue dicentē ut prohiberet eos v. 29. dixerit: *Quid æmularis pro me? quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum ſuum?* Vel cur judæi talia miracula ut *D. Jeſus*, neq; nunc faciunt, neq; ante fecerant? cur Judam Iſcariotem pretio triginta aureorum (ut mentiuntur, potiùs enim triginta tantùm argenteis *D. Jeſus* eſt venditus) conduxerant, cùm poſſent ipſi ſoli, ut potè verbô illo optimè uti ſcientes, ſine omni prorſus expenſa, omnia hæc peragere? *Item* Si *Sem hammephoras* ad omnia perpetranda miracula
U. bene ſe utentibus inſerviret, poſſet ergo *D. Jeſus*, (imò & qui-

& quivis alius) æneis illis leonibus, ne contra illũ rugirent, silentium imponere, nedum omnia ligna, ast & illum fabulosum & chimæricum brassicæ caulem adjurare, Judam eludere neve in terram caderet, manumq; sibi, aut pedem frangeret, faciliter efficere. *Item:* Cur hoc miraculoso nomine, non juvarunt se judæi, cùm brevi post à Tito Jerosolimis arctissimè obsessi & oppressi fuerunt? cur eo, interfectos à Romanis judæos non resuscitârunt? hostilemq; non profligârint exercitum? cur civitatem, templum, ac semetipsos, virtute illius ab extremo non liberârunt excidio? Nil respondent, ast in se illud Os. 4. v. 6. verificant: *Conticuit populus meus, eò quòd non habuerit scientiam. Adde*: Quòd Arca fœderis in Sancto Sanctorum Exod. * 26. v. 33. & 34. reposita fuerat, consequenter & lapis, in quo (ut aiunt) illa steterat, ibi esse debuerat. Ingredi autem in Sancta Sanctorum nulli prorsus licebat nisi soli Summo Sacerdoti Aaronico, idq; non semper, Lev. * 16. v. 2. ast semel tantùm in anno, ibid. v. 34. Ergo *D. Jesus*, qui Aaronicus sacerdos non erat, ingredi illuc non poterat: proinde totum blasphemæ hujus fabulæ fundamentum ruit. Rectè ergo summa Veritas Christus Joan. 8. v. 44. ad judæos dicit: *Vos ex patre diabolo estis: & desideria patris vestri vultis facere. ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit.* &c. Nedum enim illi, omnium Prophetarum persecutores, & post Christi *proditores & homicidæ* fuerunt, (ut eis D. Stephanus Act. 7. v. 52. exprobrat) ast & in veritate, ut diaboli filij non degeneres, non steterunt, hæc, & alia plura, (quæ, ne pias aures offendã, hìc non affero) blasphema contra illum loquentes mendacia, quamvis ille ad eos redimendos venerat, ut ad litteram verificent in se illam Os. 7. v. 13. maledictionem

* *Veelle Semoth.*

* *Vaikra.*

divinam: *Væ eis*, (damnationis æternæ) *quoniam recesserunt à me: vastabuntur*, (à Tito) *quia prævaricati sunt in me: & ego redemi eos*: (inCruce) *& ipsi locuti sunt contra me mendacia.*

A.

ARTICULUS XXXII.

Quòd judæi in Thalmud, plura contra rectam rationem, bonos mores, ac justitiam legalem, doceant.

* Petrus Alphun. pag. 64.
* Gen. 50.

Contra rectam rationem. I. Nam * fabulantur in Thalmud, quòd filijs Jacob patrem suum ad sepulchrum * deferentibus, filij Esau, suum pariter patrem ad sepulchrũ portantes, cum magno comitatu occurrerunt. Cumq; utrinq; magnus esset exercitus: & singulæ partes sepulchrum sibi vendicare vellent, Dan filius Jacob montem magnum ascendit, & tantæ magnitudinis lapidem ex eo præcidit, quanta erat multitudo totius exercitus Esau, illumq; capiti suo impositum attulit, ut eum super illos projciens, omnes uno ictu prosterneret. Ast veniens, cùm jam filios Esau cum filijs Jacob invenisset concordes, lapidem quem detulerat, in mare projecit, cujus magnitudine aqua maris terminos suos excedens, duas civitates sui effusione subvertit; & ipsæ sunt, quas longo post tempore Pharao rex Ægypti filijs Jsràél (Exod. * 1. v. 11.) reædificare præcepit, dura eos servitute premens. *At* hoc contra omnem rationem. *Quia* (præterquam, quòd civitates illas ex Pharaonis mandato Jsràélitæ non dirutas reædificaverunt, ast de novo construxerunt, ut Exod. 1. v. 11. dicitur: *Ædificaveruntq; urbes tabernaculorum*

B.
* Veelle Semoth.

Phara-

Pharaoni, *Phithom* & *Ramesses*) dum filij Jacob duodecim tantùm fuerant, jam Gen. * 32. v. 6. & Gen. 33. v. 1. cum Esau erant quadringenti; viri quando ergo post numerus eorum multiplicatus erat, multò magis filiorum Esau multiplicari debuerat; quòd hinc patet, priùs enim ex filijs Esau erant Reges potentes quam ex filijs Jsràél, ut Gen. 36. v. 31. & sqq. legitur. Dum ergo mortuum patrem suum ado sepulturam deducerent, tanta multitudo eorum esse debuerat, ut nedum filijs Jsràél, ast & Ægyptijs, qui (Gen. 50. v. 9.) plures tunc erant cum eis, potuissent obsistere. Hinc contra rationem est dicere, quòd Dan tam magnum montem invenerit, tamq; ingentem lapidem ex eo præciderit, illumq; capiti suo imposuerit ut eo tam copiosam multitudinem prosternere posset. II. Iidem * dicunt de Core filio Isaar, (qui cum Dathan & Abiron Num. * 16. fuit Moysi rebellis, à terraq; vivus absorptus) quòd dum cum alijs Jsràélitis & Moyse ex Ægypto ad terram promissionis tenderet, habuerit trecentos camelos onustos, nihil aliud portantes nisi solas claves thesaurorum ejus; quæ claves erant confectæ ex vaccarum corrigijs, ut ad portandum leviores forent. *At* contra rationem. *Demus* enim quòd sex claves ponderarent ad minùs unam libram, & quod quisq; camelus sexcentas libras ad minùs portaret, essent claves à camelo uno portatæ, tria millia, sexcentæ, & omnes claves à trecentis camelis, octoginta & unum millia. Cùm autem una clavis passim ad unam arcam pertineat, tot essent arcæ thesaurorum Core, quod claves. Dentur ergo cuivis camelo duæ arcæ ad minùs, & erunt cameli arcas ferentes quadraginta millia quingenti. Cùm autem divitum de custodiendis suis the uuris sit maxima cura, necesse esset, ut saltem unus custos duos custodiret camelos,

* Beresith

C.

* Alphun. pag. 63.

* Vaiedabber.

D.

los, essentq; custodes camelorum arcas portantium, quadraginta millia, ducenti. Estne autem credibile, ut una privata Core familia tam numerosum aleret famulitium? maximè, cùm Num. 16. v. 2. dicatur, quòd non solius Core, ast etiam Dathan & Abiron fautores, tantùm viri ducenti & quinquaginta fuerint. III. Iidem fingunt; * quòd Og rex Basan (quē Num.21. v. 35. devicit ac occidit Moyses) dum ingentem exercitum Jsràëlitarū vidisset, sexcenta scil. & quatuor millia, ac viros quingentos, à viginti annis & supra, exceptis mulieribus & parvulis, qui supputari non poterant, lapidem inauditæ magnitudinis capiti suo imposuit, & eô omnes illos opprimere voluit. Sed upupa, satis parva avis, lapidi involavit, & tamdiu rostrô suô eum contudit, donec foramine magno, juxta quantitatem capitis illius, effecto, lapis caput transiliens in humeris ejus resedit. Cùm autem is liberas manus haberet, voluit lapidem hunc è collo suo deponere; ast subitò illi dentes tam magni creverunt, ut ei obsisterent, ne lapidem è collo sublevare posset. Quod cernens Moyses, qui etiam (ineptiunt) in altitudine staturâ decem cubitorum erat, ac virgam decem quoq; cubitorum in manu sua habebat, per modum salientis erexit se super terram decem cubitis, ut eum in aliquo corporis loco virgâ illâ percuteret. Tamen summitas virgæ vix ad illum nodum pertigit, quo sura pedi conjungitur. In quo corporis loco Og virgâ à Moyse percussus, statim est mortuus. *At* contrà rationem. *Nam* si Moyses in statura sua altus decem cubitis esset, virgamq; ejusdem longitudinis in manu sua haberet, volendoq; Og illâ percutere, à terra decem cubitis saliret, in altumq; virgam elevaret, sequeretur, quòd tunc à terra ad summitatem virgæ illius, triginta

* *Alphun. pag. 66.*

E.

triginta cubiti essent, scil. decem corporis ejus, decem virgæ in altum porrectæ, decem saltus illius; proinde etiam rex Og à planta pedis, quam in terra fixam tenebat, usq; ad nodum illum, in quo erat percussus, triginta cubitos haberet. Ab illo igitur loco usq; ad verticem ejus octingenti cubiti forent, solumq; caput decem cubitis saltem constare deberet, sequiturq; quòd avis illa hunc lapidem decem cubitis perforaret. At quis hoc sanus concedet; Ubi enim Og vel lapidem tantum invenire, vel tam ingens pondus in capite suo portare, aut avis tam parva, tam durum & spissum lapidem, tam altè & profundè, tamq; citò perforare, quove pacto, tam repente dentes ei portentosi excrescere, potuerunt? Incredibile quoq; est, quòd Og plusquam octingentos cubitos staturæ suæ haberet, quòdq; talis ac tantus gigas tam levi vulnere, uniusq; virgæ percussione, interfectus foret. Addo: Quòd Deut. * 3. v. 11. Moyses ipse de præfato Og dicat: *Monstratur lectus ejus ferreus, qui est in Rabbath filiorum Ammon, novem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manûs.* Licet ergo Og gigas fuerit, tamen non tam immensæ & inauditæ magnitudinis, ut hìc contra Script. Thalmudistæ fingunt. IV. Iidem stultizant * dicentes, quòd pro suscipienda Lege Moyses in cælum ascenderit, & ibi pro ea cum angelis sic altercatus fuerit. Dicebant enim ei angeli: Legem hanc te minimè ferre sinemus, quam nobis, plusquam filjs Jsráél, necessariam esse scimus. Ad hæc Moyses, visione insolita perterritus, nil respondere præsumpsit, at Deo se confortante, & ut securè responderet præcipiente, dixit angelis: Cum Lex hæc regendorum corporum præcepta contineat, non satis intelligo, ad quid vobis, qui spirituales

F.

* Elle Haddebarim.

G.

* idem Alph. pag. 68.

tuales

tuales tantùm creaturæ eſtis, ſit neceſſaria? Angeli, quid ad hæc dicerent, non habentes, victi conticuerunt. At DEUS de Moyſi victoria riſit, lætatusq; valde fuit; Et Moyſes poſt victoriam, cum accepta Lege à Deo, alacer in terram deſcendit. *At* quanta in hac tota relatione fatuitas! *Nam* Script. dicit expreſsè Moyſen non in cæ-

H. lum aſt in montem Sinai aſcendiſſe inibiq; Legem à Deo accepiſſe; ut Exod. * 19. v. 20. *Deſcenditq; Dominus ſuper montem Sinai in ipſo montis vertice, & vocavit Moyſen in cacumen ejus.* Et poſt confractionem tabularum priorum, de eodem Exod 34. v. 4. dicitur: *Excidit ergo duas tabulas lapideas, quales antea fuerant: & de nocte conſurgens aſcendit in montem Sinai, ſicut præceperat ei Dominus.* Quod idem repetit Moyſes Deut. * 10. v. 1. Quæ eſt ergo impietas & impudentia Thalmudiſtica, tam claris & expreſſis Script. contradicere? *Item*: Hi impij, contra Script. negant, Chriſtum cum corpore, quantumvis glorioſo potuiſſe in cælum aſcendere, ut *Art. XVI. lit.* F. innui. Quomodo ergo hìc fingunt, quod Moyſes, mortalis corporis adhuc mole gravatus, in illud aſcenderit? *Item*: Summè fatuum eſt dicere, quòd Deo dare Legem

I. Moyſi volenti Angeli ſancti, qui ſunt (Pſ. 102. v. 21.) *miniſtri ejus, qui faciunt voluntatem ejus*, reſiſtere auſi fuerint; quòd hi perſpicaciſſimi & ſapientiſſimi ſpiritus, tam rudes, & hebetes fuerint, quòd Legem Moyſi corporeis hominibus eſſe accomodatam advertere non potuerint; quòdq; DEUS ex victoria Moyſi pueriliter riſerit, & lætatus fuerit. *Addo* Quòd, ſi Angeli (ut judæi ineptiunt) tam avidi Legis illius retinendæ erant, cur eam prius non inquiſierunt, nec petierunt à Deo? & ad quid cum Moyſe pro illa contenderunt, cùm ſi vellent, cum judæis ſimul

* *Veette Semotch.*

* *Elle Haddabarim.*

mul eam observare possent? &c. V. Iidem * delirant dicentes, quòd rabbi Josue, filio Levi, quodam tempore angelus mortis apparuit, atq; illi dixit: Ad hoc venisse me scias, ut animam tuam suscipiam & moriaris. Cui rabbi: Id non faciam, nisi priùs ostenderis mihi paradisum. Angelus ergo in alis suis detulit eum ad locum, ex quo paradisum videret; at ille callidè de alis ejus delapsus, permisit in paradisum se cadere. Angelus videns se esse deceptum, irato vultu nimis clamavit ut egrederetur & moreretur; cumq; secundò & tertiò id præciperet, & rabbi jussa ejus contemneret, nimiùm commotus angelus Deum adiit, & rabbi illum accusavit. Cui Deus mandavit, ut rediret, nomineq; Dei ipsius ei de paradiso egredi præciperet. Rediit ad paradisum angelus, & ait: Deus, ut egrediaris, præcepit. At rabbi hîs auditis, juravit per Deum, quòd non egredietur. Retulit id ad Deum angelus, cui Deus: Omnia (inquit) volumina vitæ & actuum ejus revolve, & diligenter relege, & si quando eum jurâsse, multò magis pejerasse inveneris, modò quoq; nihil sibi jurasse valebit. Si autem nunquam perjurum esse probaveris, desistes ab illo. Volumina itaq; omnia angelus studiosè discutiens, nunquam illum pejerasse reperit, dimittere ergo eum in paradiso debuit, in quo ille adusq; incolumis perseverat & vivus. *At* inauditum delirium! Quis enim vel imperitissimus unquam induxit in animum, quòd angelus ille tam incircumspectus fuerit, quòd ab homine se deludi permiserit? quod alas habuerit, in illisq; hominem portaverit? quòd aliquis homo tam audax esse potuerit, ut per angelum datum sibi præceptum Dei audire noluerit, imò contra illud jurare, idq; impunè, præsumpserit? quòd Deus, & angelus

* *Alphun. pag. 69.*

K.

L.

lus ille, tam impotens fuerit, quòd de paradiso expellere illum non potuerit? quòdq; tam ignorans extiterit, quòd, an hic rabbi esset perjurus, aliter, nisi ex perlectione librorum vitæ ejus, scire nequiverit? &c. Hæc est nempe altissima doctrina judaica, stulta scil. & impia paradoxa Thalmudica, quibus perversi deliriq; rabbini multos libros replent.

Contra bonos mores. I. *l. Canhedrin. c. Arba miot.* in illa verba Lev.* 20. v. 2. *Si quis dederit de semine suo idolo Moloch, morte moriatur.* commentando impij rabbini * aiunt, quòd ille tantùm contra hoc præceptum peccaret, mortiq; obnoxius foret, qui unum tantùm filium in Sacrificium idolo Moloch combureret, non verò si omnes, quia Script. dicit. *Si quis dederit de semine suo idolo Moloch* &c. puta aliquid, non verò totum. Non peccaret quoq: ille (blaterant) qui eidem idolo suum patrem, fratrem, vel seipsum interficeret, quia hi non sunt de semine ejus. Ac ille, qui filium suum, ipse huic immolaret idolo, & illum Sacerdotibus ejus ad immolandum non traderet, quia non daret idolo Moloch, ut hic prohibetur. *At* quis Sanæ mentis non videt, majus esse ac truculentius scelus, si quis sacrificasset idolo omnes filios suos, quàm si tantùm unum? patrem, vel seipsum, quàm filium? suis proprijs manibus, quàm Sacerdotis idololatrici? si ergo illud, tam severè, & sub pœna mortis; in citt. Lev. 20. prohibuit DEUS, & hoc quoq; prohibuit. *Item* DEUS Exod * 20. v. 5. & alibi sæpe, omnem idolorum cultum, absolute prohibet, dicens: *Non adorabis ea, neq; coles.* Quibus ergo faucibus hi idololatræ latrant, quòd liceat Sacrificare omnes filios, patrem, fratrem, vel seipsum, idolo? cùm talis Sacrificatio sit utiq; cultus idoli & veneratio. Certè, iniquè calumniantur nos illi, quòd

[Marginal notes: * *Vaikra.* * *Granaens. pag. 704.* — M. — N.]

colendo Sacras Imagines idola colamus , ut *Art.* XXVI. deduxi ; & ipsi expressè hic suos edocent , tam enormem idololatriam esse licitam. *Item.* Exod. 21. v. 12. præcipitur : *Qui percusserit hominem volens occidere morte moriatur.* Et mox v. 14. *Si quis per industriam occiderit proximum suum , vel per insidias : ab altari meo evelles eum , ut moriatur.* Quis autem magis vult , occidere hominem per industriam , ac per insidias , quàm qui filios , patrem , fratrem , vel seipsum idolo immolat. Hinc inibi statim v. 15. subditur: *Qui percusserit patrem suum aut matrem , morte moriatur.* Stultè ergo & impiè hi perversi homines script. illam intelligunt ; dare enim idolo , non est tantùm dare sacerdoti idoli , ut immolet ei , ast etiam per semetipsum illi immolare; dareq; de semine , est dare sive aliquem , sive omnes de filijs , ut sana ratio suadet. II. Iidem blasphemi* *in eod. l. & c.* grunniunt, quòd qui idola vel amore vel timore colit , non peccat ; & rabbi Salomon id exponens blaterat , quòd amore , intelligatur , dum aliquis dominus judæum rogat , ut idola colat , & timore dum illi minatur ni ea colere velit. *At* hoc esse nedum contra script. ast & rationem evidenter patet. Contra script. Nam Num* 25. filij Jsraël amore feminarum Madianitarum capti idolum Beelphegor coluerunt , ast ob id cunctos principes populi jussit DEUS suspendere in patibulis , de populoq; *occisi sunt viginti quatuor millia hominum* , ac Phinees , *quia zelatus est pro DEO suo* , occidens Cozbi. filiam Sur , principis Madianitarum , cùm Zambri principe tribûs Simeon fornicantem , adeptus est sibi & semini suo *pactum Sacerdotij sempiternum* , ut inibi v. 1. & sqq. legitur Salomon quoq; cùm 3. Reg.* 11. v. 1. & 4. *adamavit mulieres alienigenas multas* secutusq. sit ob id deos earum sic DEO displicuit , ut iratus regnum ejus scinderet , ibid. v. 9. &

* *Granasicut.*

O.

* *Vaiedabber.*

* *Mataebim.*

II. E contra Dan. 3. *v.* 12. & sqq. laudantur, & meritó, Sidrach, Misach, & Abdenago, quòd nec timore combustionis in fornace ignis ardentis Nabuchodonosor statuam adorare voluerint. Et Abraham, qui cùm nollet adorare ignem pro deo à Chaldæis habitum in illum est injectus, licet miraculosè ab eo liberatus, juxta illud Gen. * 15. *v.* 7. dictum ad eum: *Ego Dominus. qui eduxi te de Ur.* (*puta*, igne, *Ur* enim hebr. ignem significat) *Chaldæorum* * Contra rationem verò: quia, quis unquam adoravit idola, nisi vel amore aliquo ductus vel timore? proinde si licuisset tunc adorare idola, licuisset & semper, quod est in p um.

III. Rabbi Moyses Ægyptius *l. Sopu c.* 5. latrat, * quòd qui patri suo vel matri maledicit, non peccet, nisi cum maledictione proprium aliquod nomen DEI nominaverit. *At* contradicit Script. quæ Lev. * 20. *v.* 9. absolutè dicit: *Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur: patri, matriq; maledixit sangvis ejus sit super eum.* Et Prov. * 20. *v.* 20. *Qui maledicit patri suo, & matri, extingvetur lucerna ejus in medijs tenebris.* Et alibi plura. Quomodo ergo hic impius contra Script. tam expressas oggannit? Idem *l. Canhedrin. c. Arba miot.* blasphemat, * quod qui etiam si DEO malediceret, non peccaret, nisi proprium nomen DEI nominaret, quod est *sem hammephoras.* Quod si cùm DEO maledicit, aliud nomen DEI exprimit, ut *Adonai, Elochim* &c. non peccat. *At* quid plus diabolus, vel damnatus diceret? Hinc de hoc impio verificatur illud Is. 8. *v.* 21 & 22. *Irascetur, & maledicet regi suo, & DEO suo, & suspiciet sursum. Et ad terram intuebitur, & ecce tribulatio & tenebræ, dissolutio & angustia, & caligo persequens, & non poterit avolare de angustia sua.* Experitur id jam re ipsa hic maledictus rabbi in æternis tormentis si conversus non fuit.

* *Beresith.*

* *Sic traditio hebræorum quam approbat D. Hier. in Quæs seu tradit. hebraic. in Gen.* 12.

* *Granat. pag.* 705.

* *Vaikra.*

* *Miste*

Q.

* *Granat. citt.*

Con-

Contra Justitiam legalem. I. *l. Çanhedrin. c. Ellu.* Thalmud docet, *quod si quis alterius manus pedesq; ligaret; & ob id ille fame periret, is qui eum ligaverat à morte debet esse liber. Quòdsi eum ad solem vel frigus ligaret, & mortuus ob id fuisset mortis reus erit. Quodsi eum ligaret, & leoni exponeret, liber erit à morte. Quodsi eum muscis exponeret, mortis reus erit. Quodsi eum in puteum, qui haberet scalas, demitteret, & alius scalas amoveret, liber esse debet, qui eum dejecit in puteum. Quodsi decem homines contra unum decem fustibus insurgerent, illumq; occiderent, liberi debent esse omnes à morte. *At* quid est contra justitiam, si hoc non est? omnes enim isti vel moraliter vel physicè occidunt hominem; consequenter omnes rei sunt mortis, juxta illam Legem judicialem Divinā Gen. * 9. v. 6. *Quicumq; effuderit humanum sangvinem, fundetur sangvis illius.* Et Lev. * 24. v. 17. *Qui percusserit, & occiderit hominem, morte moriatur.* Et plurimas leges humanas. II. *l. Suprin. in lectionibus Canhedrin. c. 9.* * rabbi Moyses Ægyptius dicit: quòdsi aliquis reus apud judices accusatus esset, & omnes eum una voce capite damnarent, debet esse liber à morte; si autem judices essent discordes, eorumq; una pars reum damnaret, altera absolveret, id exequendum esset, quod major pars statueret. *At* ubi in Lege Divina, vel aliqua humana, hæc judicij forma, ut dum aliquem omnes simul judices adjudicarent morti, ille à morte deberet esse immunis? Nonne in Lege Divina (quam sequitur & omnis lex justa humana) Deut. * 25. v. 1. dicitur: *Si fuerit causa inter aliquos, & interpellaverint judices: quem justum esse perspexerint illi justitiæ palmam dabunt: quem impium, condemnabunt impietatis.* En. Lex divina judicialis præcipit, ut judices, etiam omnes, si quem justum esse perspe-

* Granat. ibid.

R.

* Beresith.

* Vaikra.

* Granat, loco citi

S.

* Elle Haddebarim.

fpexerint, victoriam ei adjudicent, quem verò impium, illum impietatis condemnent, non autem ut inter fe difcordent, hoc enim perfæpe foret iniqvum. Si enim talis reus condemnari non poffet, in cujus condemnationem judices omnes confentirēt, plures fcelefti condemnati nō effēt

T. quos condemnandos ita effet perfpicuum ut omnes judices in condemnationē eorū confentire deberent, ut funt v.g. publici latrones, graffatores, malefici &c. Hoc autē effet cōtra juftitiam, & cum grandi aliorum proborum detrimento. III. l. Hulin.* hi fine lege fine rege homines inqviunt, quòd fi unus contra alterū falfū teftimonium diceret, illeq; alter capite effet damnatus, fi ante mortem accufati pateret teftis illius falfitas, debet hic teftis interfici, fi autem poft mortem, debet effe à morte immunis, *At* reclamat Lex judicialis Divina Deut. 19 v. 16. & fqq. fanciens: *Si fteterit teftis mendax contra hominem, accufans eum prævaricationis, ftabunt ambo, quorum caufa eft, ante Dominum in confpectu Sacerdotum & judicum qui fuerint in diebus illis. Cùmq; diligentiffimè perfcrutantes, invenerint. falfum teftem dixiffe contra fratrem fuum mendacium: reddent ei ficut fratri fuo facere cogitavit,*

V. *& auferes malum de medio tui.* En Lex Divina præcipit ut omnis falfus teftis, cujus falfitas judicibus innotefceret, talionis pæna condemnetur; at impium Thalmud dicit non debere condemnari nifi talem cujus falfitas ante mortem & fupplicium accufati, non autem poft illud, deprehenfa fuerit; quamvis ratio ipfa oftendat hunc præ illo fceleratiorem effe nedum enim falfum teftimonium dixit, ut & ille, aft & reale perperravit homicidium, quod non ille. Eftne hoc juxta juftitiam? ipfe Turca judicet. Impio igitur, iniqvo, ac fabulofo Thalmud, quòd totum contra

* *idem Granat. ibid.*

to-

totam Legem DEI pugnat, illud Ps. 118. *v.* 85 meritò posset inscribi: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes: sed non ut Lex tua.*

ARTICULUS XXXIII.

De secundo Christi Adventu, ac de damnatione æterna, & non temporali tantum judæorum.

Perversissimi rabbini, ut infelices auditores suos (alliàs jã stolidam & excæcatam gentem) stupidiores & excæcatiores efficiant, lumenq; Christianæ Fidei ab oculis mentis eorum magis amoveant, utpote (Matt. 15. *v.* 14) *cæci, & duces cæcorum*, hæc demum duo eis paradoxa persvadent. *1mum* Quód Messias mundum non judicabit, & in secũdo suo Adventu visibilis omnibus non apparebit. Hinc duos Christi Adventus, primum scil. & secundum, stultè in unum confundunt. *2dum*: Quod damnatio judæorum, etiam male viventiũ (modò tantùm Christiani non fiant) non erit æterna, ast tantùm temporalis, ut mihi, Lublini, ante aliquot annos, quidam judæus impudenter obtrusit dicendo, nullum judæum, etiam damnatum, posse esse diutiùs in inferno, quàm duabus hebdomadis, vel per mensem. Vt ergo hi miseri quoquo modo advertant, in quo quantoq; versentur periculo, & hoc deniq; demonstrandum venit, quòd secundus Christi Adventus confundi cum primo nõ debeat; quòdq; Christus, omnes prossus homines, in secundo suo Adventu judicabit; ac quod omnis ad infernum damnatus, etiam judæus, sit in æternum torquendus. A. B.

De-

Demonstr: Quòd secundus Christi Adventus cum primo confundi non debeat. *Nam* hos duos Christi Adventus Script. distingvit. I. Dum dicit. primum ejus Adventum fore laboriosum, secundum, gloriosum. Sic dũ Ps. 23. *v.* 7. dicitur: *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.* Per hocq; exprimitur Ascensio Christi in cælum. Et Angeli v. 8. quærunt: *Quis est iste Rex gloriæ?* Respondeturq; eis: *Dominus fortis & potens: Dominus potens in prælio.* Declaratur primus Christi Adventus laboriosus, in quo ille prælium inire proindeq; laborare debuerat, ut sit dignus cui post in Ascensione eleventur seu pateant, portæ æternales. At dum Ps.

C. 96. *v.* 1. & sqq. dicitur: *Dominus regnavit, exultet terra = Nubes, & caligo in circuitu ejus justitia & judicium correctio sedis ejus. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Denotatur alter ejus Adventus gloriosus, in quo ille regnabit, in nube,& caligine veniens, justitiam &judiciũ exercens, dum ignis ante ipsũ præcedet & inflamabit in circuitu inimicos ejus. Tunc enim jam non laborabit, ast olim resistentes, sibi, severè puniet & judicabit, dum ignis ante ipsum præcedens, hostes ejus vorabit, locumq; pugnæ non dabit. Simile huic est illud Is. 63. *v.* 1. & sqq. ubi dum Judex & Salvator dicit *Ego* (sum) *qui loquor justitiam, & propugnator sum ad salvandum.* Angeli quærunt: *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Respondet eis, & dicit, *Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum.* En labor & fatigatio Christi in primo suo Adventu. Dum autem ibid. addit *Calcavi eos in furore meo, & conculcavi eos in ira mea = Dies*

D. *enim ultionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit.* En secundus Adventus, in quo ille conculcabit inimicos suos

in

in furore & ira sua, dum dies ultionis ejus, scil. dies judicij, veniet, & annus redemptionis, quando scil. Js. 1. *v.* 27. *Sion in judicio* (illo) *redimetur.* i. e. justi & Sancti à tyrannide peccati, mortis; & diaboli, plenissime eruentur. & salvabuntur. II. Distingvit Script. hos duos Christi Adventus, dum in primo dicit eum venturum abjectum & humilem, in secundo potentem & sublimem. sic dum Js. 53. *v.* 2. *&* sqq. dicitur: *Ascendet sicut virgultum: coram eo, & sicut radix de terra sitienti: non est species ei, neq; decor: & vidimus eum, & non erat aspectus, - - - Despectum, & novissimum virorum &c.* usq; ad *v.* 10. Est Adventus Christi abjectus & humilis. Dum verò *v.* 12. subditur: *Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia.* Est Adventus potens & sublimis. Simile est Zach. 9. Nam dum ibi *v.* 9. dicitur; *Ecce Rex suus veniet tibi Justus, & Salvator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.* Est Adventus Christi in humilitate Dum verò *v.* 10. additur: *Et loquetur pacem Gentibus, & potestas ejus à mari usq; ad mare, & à fluminibus usq; ad fines terræ.* Est Adventus in Maiestate. III. Distingvit Script. duos Christi Adventus dum in aliquibus locis de illis loquens, (utiq; non absq; mysterio & ratione) verba geminat. Sic Ps. 95. *v.* 12. *&* 13. dum dicit: *Tunc exultabunt omnia ligna silvarum à facie Domini, quia venit: quoniam venit judicare terram.* Ubi ob primum Christi Adventum qui fuit simplex & humilis dicitur ly: *Quia venit.* Ob secundum vero, qui erit cum potentia & gloria, subditur: *Quoniam venit judicare terram* Et Habac. 2. *v.* 3. *Apparebit in finem & non mentietur. si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet.* Et Malach. 3. *v.* 1. *&* 2. *Statim veniet* (primo suo Adventu) *ad templum suum Dominator, quem vos quæritis; & Angelus testamenti, quem vos vultis. Ec-*

F. *ce venit*, (in secundo Adventu) *dicit Dominus exercituum: & quis poterit cogitare diem adventus ejus, & quis stabit ad videndum eum Ipse enim quasi ignis conflans &c.* Ex quibus sic clarè patent duo Messiæ Adventus, ut & antiqui Rabbini id agnoverint; nam R. Barachias super illud Eccle * 1. *v.* 10. *Nihil sub sole novum*, dicit. *Redemptor ultimus revelatus est, & revertetur qui occultatus est.* Hinc commentum rabbi Selemoch, duos Messias esse venturos, unum abjectum & vilem, alterum magnificum & Maiestuosum, est falsum & ludicrum; hic enim patet: quod duos Adventus, uni Messiæ non duobus Script. attribuat: at pleniùs jam hoc reieci *Art. IV. lit.* M. & sqq.

* Cohelethî

Demonst. Quod Christus omnes prorsus homines in secundo suo Adventu judicabit. *Nam* 1. Reg. * 2. v. 10. Anna mater Samuelis id profitetur dicens: *Dominus judicabit fines terræ, & dabit imperium* (proinde & judiciariam

* Samuel.

G. potestatem, ut pote alligatam imperio) *regi suo*, (nempe Messiæ) *& sublimabit cornu Christi sui.* Et Ps. 49. 2. & sqq. dicitur: *Ex Sion species decoris ejus. Deus manifestè veniet: Deus noster & non silebit. Ignis in conspectu ejus inardescet: & in circuitu ejus tempestas valida. Advocabit cælum de sursum, & terram discernere populum suum.* Hic est sermo de Christo, cujus *ex Sion* est *species decoris*, ipse enim natus est de David, qui à Deo (Ps. 2. v. 6.) constitutus est rex super Sion montem sanctum ejus: Qui Christus *Deus noster*, ob nostram humanitatem assumptam, ad judicium manifestè veniet, & non silebit, ast in quos arguet & judicabit, ita, ut ignis & tempestas valida in conspectu, ac in circuitu ejus exardescat, illeq; advocet ad judicium cælum & terram. Et Ps. 71. v. 2. *Deus judicium tuum Regi* (Christo) *da: & justitiam tuam Filio regis: Judicare populum tuum in*

um in justitia, & pauperes in judicio. Quid clarius? Et Pl. 109. v. 6. de Christo (quia de eo cui Pater v. 1. dixit, ut à dextris ejus sederet, & quem v. 3. Ex utero ante luciferum genuit, ac qui v. 4. est Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech) expressissimè dicitur: *Judicabit in nationibus, implebit ruinas: conquassabit capita in terra multorm.* Et Js. 2. v. 4. itidem de Christo dicitur: *Et judicabit Gentes, & arguet populos multos.* Et Js. 11. v. 4. *Judicabit in justitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansvetis terræ: & percutiet terram virgâ oris sui, & spiritu labiorum suorum* (anti-christum, expectatum à judæis pseudomessiam) *impium.* Et Jer. 23. v. 5. & 6. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & suscitabo David germen justum: & regnabit Rex, & sapiens erit: & faciet judicium & justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda, & Jsràél habitabit confidenter: & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* Per quod Christus Judex exprimitur, qui est germen David, quia ex eo secundùm carnem progenitus, & *Jechova* (in illo enim: *Dominus justus noster* loco ly: *Dominus*, in hebr. est: *Jechova*) h. e. verus Deus & summus. Hic in secundo suo Adventu faciet judicium & justitiam in terra pios salvans, impiosq; condemnans; tuncq; *Juda*, scil. omnes *qui* consitentur Deum & laudant, (*Juda* enim idem est quod *confessio*, sive *laus* *) salvabitur, & *Jsràél*, nempe *Videns Deum* (id enim secundùm D. Aug. * & alios plures, ex hebr. significat Jsràél) habitabit confidenter. Hinc nequit id intelligi (quidquid dicant judæi) de Zorobabel; is enim neq; erat rex, ast tantũ Dux judaicus, nec fecit judicium & justitiam in terra, quia solos tantum judæos, è Babilone reduces, non autem totam terram regebat; nec diebus ejus Jsràél habitabat con-

H.

I.

* Corn. in Gen. 29. v. 35.

* l. 16. Civ. Dei c. 39.

 fidenter

K. denter imò à gentilibus (1. Esdr. 4. v. 1. & sqq. ac 2. Esdr. * 4. v. 1.) impetebatur acriter. Multò minùs Zorobabel, fuit *Jechova Justus noster.* Et Dan. 7. v. 9. *Aspiciebam donec throni positi sunt, & Antiquus dierum sedit.* Et v. 1. 10. *Judicium sedit, & libri aperti sunt.* Et v. 13. ac 14. *Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & usq; ad Antiquum dierum pervenit: & in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linquæ ipsi servient; potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum ejus, quod non corrumpetur.* Hìc per Antiquum dierum denotatur Pater Æternus. Per hoc verò: *Judicium sedit* &c. designatur, quòd in fine mundi futurum sit universale judicium, in quo, quasi in libris descripta, Singulorum discutientur opera. Qui autem cum

L. nubibus cæli veniebat Christus est; qui non absolutè filius hominis, ast *quasi filius hominis* à Daniele dicitur, quia tunc necdum homo factus erat, hinc ille non verum hominem, ast tantùm quasi hominem, i. e. speciem hominis à Deo sibi objectam videbat. Per hoc verò quòd paratô judiciô, & librîs apertîs, huic quasi filio hominis Antiquus dierum dederit potestatem, & honorem, & regnum &c. ostenditur, quòd potestas judiciaria sit Christo concessa, ut ipse Joan. 5. v. 27. dicit: *Potestatem dedit ei* (scil. Pater Divinus Christo) *judicium facere, quia filius hominis* (factus) *est.* Conveniens enim, multumq; condignum est, ut à Judice Homine judicentur homines, qui factus est Homo propter homines. Huc pertinent, quæ *in Demonstr. præced.* dixi de secundo Christi Adventu. Quòd autem ad judicium illud peragendum, nedum Christus veniet, ast & fideles ejus sequaces, nempe

* Nehemiæ.

Aposto-

Apostoli, alijq; viri Apostolici, ut eis Matt. 19. v. 28. appromissum: *In regeneratione, cùm sederit filius Hominis in sede Maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Jsràël;* nec hoc siluerunt Prophetæ. Nam Js. 3. v. 14. *Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui, & principibus ejus.* Et Zach. ult. v. 5. & 6. *Veniet Dominus Deus meus, omnesq; Sancti cum eo. Et erit in die illa Non erit lux.* Veniet ergo Christus ad judicium, quod quale erit, legant judæi illud Js. 13. v. 9. & sqq. *Ecce dies Domini veniet, crudelis, & indignationis plenus, & iræ furorisq; ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores ejus conterendos de ea. Quoniam stellæ cæli, & splendor earum, non expandent lumen suum: obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit in luminine suo. Et visitabo super orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum, & quiescere faciam superbiam* (judæorum) *in fidelium, & arrogantiam fortium humiliabo.* Et Js. 66. v. 15. & 16. *Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ ejus: reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis: quia in igne Dominus d judicabit, & in gladio suo ad omnem carnem, & multiplicabun ur interfecti à Domino.* Et Joel. 1. v. 15. *A a a, diei. quia propè est dies Domini, & quasi vastitas d potente veniet.* Et Sophon. 1. v. 14. & 15. *Juxta est dies Domini magnus, juxta est & velox nimis: vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ dies illa dies, tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis.* Et Malach. 4. v. 1. *Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus: & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem, stipula: & inflammabit eos dies veniens.* M. N.

Demonstr. demum: Quòd omnis ad infernum damnatus, etiam judæus, in eo in æternum sit torquendus. O.

Nam

Nam Job 4. v. 20. Eliphaz Themanites de damnatis dicit: *Quia nullus intelligit, in æternum peribunt.* Cui Job ipse subscribit c. 10. v. 22. appellans infernum *terram miseriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* En omnis ad infernum damnatus, in eo in æternum, torquetur, quia in æternum perit, & quia infernus est talis terra miseriæ & tenebrarum, in qua umbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus (proinde non temporalis) horror inhabitat. Et David Ps. 48. v. 15. de ijsdem inquit: *Sicut oves in inferno positi sunt: mors depascet eos.* Per quod innuit, quòd sicut morte corporali mortui, jam in æternum hac vita, qua vixerunt, non vivent, sic damnati (quos mors infernalis depascit) in æternum erunt damnati. Et mox v. 20. expressissimè ait:

P. *Introibit* (quivis damnatus, etiam judæus, irrestrictè enim dicit, nullumq; damnatorum excipit) *usq; in progenies patrum suorum: & usq; in æternum non videbit lumen.* Hinc Ps. 88. v. 49. dicitur: *Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem: eruet animam suam de manu inferi?* Q. d. Quòd sicut nullus homo mortalis potest in æternum vivere, mortemq; non videre, sic ex inferno, si damnatus detrudetur in illud, animam suam eruere. Et Js. 30. v. 8. DEUS, de impijs judæis loquens, Jsaiæ præcipit: *Scribe ei super buxum,* (scil. peccatum, quòd addebant judæi super peccatum, ut inibi v. 1. dicitur) *& in libro diligenter exara illud, & erit in die novissimo in testimonium usq; in æternum.* Cùm ergo peccatum judaicum erit contra judæos in testimonium usq; in æternum; ipsi quoq; damnati erunt in æternum. Et Js. 33. v. 14. clariùs adhuc & expressiùs dicitur: *Conterriti in Sion peccatores,* (i. e. judæi, qui ha-

Q. bitabant in Sion) *possedit tremor hypocritas. quis poterit habitare*

bitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Quid expressius pro æterna damnatione judaica? Hinc Sanctus rex Ezechias Js. 38. v. 18. confitetur id dicens: *Non infernus confitebitur tibi, neq; mors laudabit te: non expectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam.* Et ipse Isaias irrestrictè de quibuscunq; & qualibuscumq; damnatis loquens Js. ult. v. ult. prædicit: *Et egredientur,* (Beati) *& videbunt cadavera virorum,* (i. e. corpora damnatorum, quæ instar cadaverum erunt horrida & sordida) *qui prævaricati sunt in me: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extingvetur: & erunt usq; ad satietatem visionis omni carni.* Plura dicunt & alij Prophetæ, at hæc sufficiant, cùm & ratio efficax id evincat. Judaica enim illa stulta persvasio nullô prorsus fundamentô est nixa, facitq; Deum injustum, blaterans quòd ille alios tantùm damnatos in æternum in inferno puniat, judæos verò non item, quamvis æquè sibi inimicos, imò gravioribus fortè sceleribus, quàm illi, adstrictos. Facit item eum personarum acceptatorem, contra illud Deut. * 10. v. 17. *Dominus Deus vester, ipse est Deus deorum, & Dominus dominantium, Deus magnus & potens, & terribilis, qui personam non accipit.* *Dices:* Script. videtur innuere damnatos, saltem aliquos, ex inferno fore liberandos. Ut Ps. 15. v. 10. *Non derelinques animam meam in inferno.* Et Ps. 29. v. 4. *Domine eduxisti ab inferno animam meam: salvasti me à descendentibus in lacum.* Et Ps. 48. v. 16. *Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cùm acceperit me.* Et Js. 24. v. 22. *Congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, & claudentur ibi in carcere: & post multos dies visitabuntur* &c. *Resp.* Nequaquam id Script. innuere. Nam *imus textus* est de Christo cujus sanctissima Anima

R.

* *Elle Hadaelarim.*

in lim-

S. in limbo Patrum derelicta non est, ad quem post mortem descendit, quia Christus à mortuis tertia die resurrexit, Patresq; è limbo secum eduxit. Et *ratio* est: Ibi enim statim subditur: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, quod soli Christo, & non cuivis alteri (ut *Art. XV. lit.* D. *&* sqq. ostendi) convenire potest. *2dus textus* est de David, idq; in sensu morali, qui divinâ Misericordiâ eductus est ab inferno morali, scil. peccato adulterij & homicidij, in quod inciderat. Recte enim peccatum dicitur esse infernus, imò & infernô deterius, nam & demeretur infernum, estq; ipsô infernô detestabilius. Hinc idem David Ps. 85. v. 13. gratias Deo agit, & dicit: *Quia misericordia tua magna est super me: & eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Ubi per infernum inferiorem intelligit illud suum peccatum, nam utiq; ille ad infernum physicè sumptum, nunquam fuit damnatus. Id quoq; de inferno physico consequenter intelligi potest à quo David erat per gratiam Dei præservativè ereptus, ne scil. pro peccatis suis cum alijs peccatoribus condemnaretur ad eum. Hinc subdit: *Salvasti me à descendentibus in lacum.* *3tius.* solùm innuit David spem habuisse quòd Deus animam ejus post mortem per Christum ex inferno seu limbo educet, cùm illum, jam redemptum, in cælum accipiet. *4tus* est potiùs pro nobis; ibi enim per visitationem intelligitur punitio, ut sensus sit, quòd damnati post multos dies, seu multas annorum myriades punientur adhuc in inferno. Visitatio enim sæpe in Script. pro punitione sumitur, ut Exod. * 20. v. 5. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios,* i. e. puniens. Et Lev. * 26. v. 16. *Visitabo vos velociter in egestate, & ardore, qui conficiat oculos vestros, & consumat animas vestras.* Et Ps.

T. (margin)

* *Veelte Semoth.*
* *Vaikra.*

88. v.

88. v. 33. *Visitabo in virga iniquitates eorum: & in verberibus peccata eorum.* Et Jf. 13. v. 11. *Visitabo super orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum* &c. Quòd autem etiam hìc visitare pro punire sumatur, patet, quia pænam inferni esse æternam, jam est satis ostensum. *Confundimini* (ergo) *& vos judæi, qui Lucernam Legis in manibus habentes, alijs lumen præbetis, & vos in eam intendere non curatis, sed expectatis quidem & vos ut veniat qui venturus est. Et veniet, sed non sicut vultis veniet: veniet excelsus ille qui à vobis interfectus est nullius criminis reus, manifestus veniet Deus: & videbitis judicantem, quem contempsistis miracula facientem. Qualis erit tunc & vestra conscientia, cùm vobis ille nullam jam exhibet patientiam, quia vos invenit in anima mortuos, qui venturus est judicare vivos & mortuos.* Exclamat D. Aug. * U.

* *Orat. contra jud. pagan. & arian.*

APPENDIX

De causis tantæ cæcitatis & impietatis judaicæ.

Causæ tam palpabilis cæcitatis, & palmaris (ut ita dicam) impietatis judaicæ sunt potissimum duæ. *1ma est:* Quia more Turcico & Saracenico sola terrena ac carnalia sapiunt, ut homines merè carnales, & purè belluini ac animales; ut patet ex Thalmud illorum, in quo ridiculas & ineptas fingunt fabulas de ingenti pisce Leviathan grandiq; bove Behemoth, * quotidie mille montium herbas depascente, quem piscem & bovem (stultizant) DEUS in resurrectione occidet, illoq; judæos (at potiùs illi in inferno, si non convertentur, *famem patientur ut canes*) per totam æternitatem cibabit. Et hinc dum A.

* *alij vocant eum Sorobur.*

Ps. 58. v. 7. & 15.

Messiam mundanum & carnalem, terrenis divitijs affluentem, sequacesq; suos illis locupletantem expectant, ac D. JESUM * & inde pro Messia agnoscere nolunt, quòd Sanctus, innocens, & impollutus vixerit, uxorem ac carnales filios non habuerit, ut hi carnalissimi & luxuriosissimi Messiam habiturum autumant, stolidè abutentes illô Js.
B. 53. v. 10. de Messia dicto: *Videbit semen longævum.* Dumq; se diligi à Deo stultè sibi persvadent, quòd nihil laborantes, passim præ nobis Christianis in temporalibus prosperantur, ut dixi *Art. XXVII.* Hæc enim carnalis ac belluina persvasio facit eos Spiritu Dei (qui Js. 11. v. 2. *Spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis* est) indignos; nã utiq; Gen. * 6. v. 3. protestatur Deus: *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Et Apostolus 1. Cor. 2. v. 14. *Animalis autem homo, non percipit ea quæ sunt Spiritus DEI: stultitia enim est illi, & non potest intelligere.* At Christus, & Christiani hanc mundanam, brutam & carnalem, prosperitatem despiciunt, implentq; illud Js. 26. v. 6. *Conculcabit eam, pes pedes pauperis* (Christi) *gressus* (Apostolorum
C. Apostolicorumq; Virorum) *egenorum.* Et hinc fit, quòd (1. Cor. 2. v. 12.) *non spiritum hujus mundi* (qui stultitia, cæcitas, & impietas est) accipiunt: *sed Spiritum qui ex Deo est*, ut sint (Js. 54. v. 13.) universi docti à Domino. 2da *& potior causa est* meledictum odium illorum in Christum, nosq; Christi Cultores, in quo illi educantur, vivunt, & consenescunt, verificantq; in se illud, quod Jacob Gen. 49. v. 7. de Simeon & Levi dixerat: *Maledictus furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura.* Nedum enim ipsi quotidie Christo Christianis in maledictis Synagogis suis maledicunt, ast etiam ex professo suas Inf li-
ces

* *refert. Livan. in libel. contra. jud. perfid.*

* *Beresith*

ces proles hôc odiô ab infantia imbuunt, in eoq; summo astu & cura enutriunt. Nam, ut refert Slescovius, * hæc progenies viperarum, ut filios suos à Christo illiusq; Fide statim in eorū pueritia longiùs absterreant, ac ab ea prorsus abhorrentes plenèq; alienos efficiant, tempore benè sibi viso horribiles larvas induunt, in illosq; solos; domi consultò relictos, è latibulis erumpunt, Nomen Sanctissimum, *JESUS*, *SESUS*, *JESUS*, spurco ore, voceq; raucisona inclamando. Fitq; inde quòd illæ infelices proles in subsequenti deinceps vita sua sic hoc Nomen Sanctissimum detestentur, ut ad primum ejus auditum, dæmonum instar perhorrescant. Et (ut testatur Corn. *) hoc Nomen, in quo flectitur omne genu cælestium, terrestrium, & infernorum, nunquam legere vel pronuntiare volunt, quòd si fortè illud eis legere vel pronuntiare contigerit, statim mulctant seipsos, ac colaphum sibi impingunt; aut pronuntiando legendo, vel scribendo illud, non pronuntiant, legunt, vel scribunt, *JESUS*, ast, *Iiscu*, quod per litteras initiales sic exponunt: *Immach schemo uzichro*, i. e. *deleatur nomen ejus, & memoria ejus.* Hoc est maledictum odium cæcorum & reproborum horum in Sanctissimum Nomen, Divinamq; Personam Salvatoris mundi, quod proinde merito luunt, hìc perennî exiliô ac excidiô, & in Inferno sempiternô exitiô; nam & hoc prædictum Ps. 73. v. 18. ubi dicitur: *Memor esto hujus, inimicus improperavit Domino: & populus insipiens incitavit Nomen tuum.* In Christianos verò tantô exæstuant odiô, ut non majori contra illos diabolus inardescat, Hinc (teste Mariano Costeno *) quotidie ter in die Ecclesiæ Christi eversionem in suis Synagogis impijs vocibus efflagitant, ollasq; illuc allatas, conterunt atq; dicunt: *Sicut contritus fuit Aman, sic regnum Christianorum subitò conteratur.* Quilibet quoq; illorum

* *in l. Odkryciez drad &c. c. 1.*

D.

* *in Exod. 23. v. 13.*

E.

* *in Typo veræ Relig. pag. 635.*

* loco cit. v. 4. illorum (teste Slescovio *) ter in die, mane scil. meridie, & vespere, loco Orationis Dominicæ, aut Salutationis Angelicæ, sub magno reatu dicere hæc verba tenetur: *Domine, da Christianis præpositos non pios: gladius, hostis, & adversarius à latere eorum nunquam recedat. Agentes causam coram judice, illâ cadant. Orationes eorum in maledictionem convertantur. Dies eorum breves, contribulentur. Regnum illorum invadat & occupet inimicus. Proles eorum vagabundæ inquirant sibi domicilium Omnes illas derelinquant. Nullus earũ misereatur. Demum sicut ros à calore solis liquescit & dissolvitur, sic nomen illorum deleatur & eliminetur. Amen.* Hoc quotidie hi maledici, & (ni Convertantur) in æternum futuri maledicti, DEI, Christi, ac nostri capitales hostes, ac manifesti Legis ac præceptorum DEI transgressores. Nam

F.

* Vaikra. Lex Divina Lev. * 19. v. 17. & 18. mandat: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo - - - Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Hic per fratrem, intelligit omnem hominem, omnis enim homo est frater alterius, quia omnis ex eodem protoparente descendit. Et Exod. * 23. v. 4. & 5. eadem Lex jubet, ut si quis occurrerit erranti bovi vel asino inimici sui eum reducat, & asinum odientis se, jacentem sub pondere, sublevet. Et Prov. * 24. v. 17. & 18. præcipitur: *Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina ejus ne exultet cor tuum: ne fortè videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam.* Hincq; fit quòd displiceat DEO impia illa judaica expostulatio, qua precantur ut regnum Christianorum, velut inimicorum suorum (licet illi non sint inimici eorum, ast, in quos prolapsi sunt, errorum) destruatur, illos enim Deus per totum orbem dispersit, ac velut sangvinarios Cainitas vagos & profugos super terram effecit, à Christianis autem aufert iram suam, cùm regnum eorum floreat, &

* Veelle Semoth.

* Mische.

G.

non

non pereat. Nos tamen Christi fideles non debemus hos nostros inimicos odisse ast amare, cùm Matt. 5. v. 44. Dominus noster præcipiat: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Quod Ecclesia sanctè practicat, dum nedum eos in terris Christianis tolerat, clementerq: sustentat, ast etiam Die Sacro Parasceves pro conversione & salute illorum Deum publicè orat. Peccant ergo illi Christiani qui judæos nimiùm aspernantur, & immeritò malè tractant, nam per hoc eos à Fide Christi magis alienos efficiunt; cum enim illi Christianos sibi infensos odio habeant, habent quoq; odio & Fidem eorum, magisq; ab ea abhorrent Beneficijs igitur & maximè bonis exemplis debent eos (intra limites tamen justitiæ) ad se, Fidemq; veram allicere, humanosq; errores, non autem ipsos homines odisse, sequentes exemplum Apostoli qui Rom. 9. v. 3. & sqq. ait: *Obtabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem, qui sunt Israëlitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa: quorum patres, & ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Et 1.Cor. 9. v. 22. *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Concludo cum D. Augustino * dicente: *Hæc fratres charissimi, sive gratanter, sive indignanter audiant judæi, nos tamen ubi possumus, cum eorum dilectione prædicemus.*

H.

I.

* *Orat. adversus jud. circa fin.*

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, Trino & Uni, Luci Divinitatis, quæ est singulariter in TRINITATE, & quæ sine divisione dividitur. *S. Jacobus Apost. in Divin. Missa.*

Ex Commissione Superiorum Ordinis legimus Librum Cui Titulus: Demonstratio caecitatis imperitiae ac impietatis judaicae, XXXIII. Articulis comprehensa. Per R. P. Marchianum Wierzbicki Nostrae Provinciae Reformatae Minoris Poloniae Ex Diffinitorem Sae Thliae Lectorem Emeritum Theologum Eiximium. Cumq; in eo nihil reperimus, quod aut Orthodoxae Fidei, aut Omnino praescriptis, Regularum Indicis adversetur; quinimo ut Sedulo labore solidaq; doctrina opus perfectum est; ita ut Typis edatur, tum ad confundendam Judaeorum perfidiam (qui utinam saperent ac intelligerent) tum ad clarificanda praecipua Dogmata Fidei circa Mysterium Incarnationis Divinae ac SSmae Trinitatis Theologis volupe atq; perutile fore censemus. Dedimus in Conventu Cracoviensi ad S. Casimirum P. R. P. ac M. D. Litt. *Die* 5. Augusti Anno Christi Domini 1766.

Fr. Damascenus Kilian Refor: S. Th. Lector Diffinitor Provae mpp.

Fr. Ildephonsus Bocheński Reform: S. Th. Lector Diffinit: Prov: mpp.

Facultas A. R. P. Vicarij Provincialis.

Cum Demonstratio cæcitatis, imperitiæ, ac impietatis judaicæ Articulis XXXIII. comprehensa, suplementoq; adaucta à R. P. Marchiano Wierzbicki Ordinis Minorum S. P. N. Francisci Refor: Prov: Minoris Poloniæ Ex Diffinitore Sæ Th. Lectore à duobus Theologis sit revisa, ac plurimum commendata, & omnia, quæ in editione Librorum de jure sunt servanda sint observata; tenore præsentium facultatem impertior, ut hoc perutile opus typis mandari possit Data Cracoviæ in Conventu Nostro Cracoviensi ad S. Casimirum P. R. P. ac M. D. Litt, Die 7. Augusti Anno Christi Domini 1766to.

Fr. Stephanus Staniewski Reform:
Vic: Provincialis mpp.

Licentia & Approbatio Ordinis.

Fr. Joseph Maria de Vedano Ordinis Minorum S. P. Francisci Lector Jubilatus, & in universa Cismotana Familia tam Observantium quam Reformatorum, & Conceptionistarum Commisarius Generalis, ac in Dno Servus.

Cum juxta Apostolicas nostrique Ordinis Constitutiones de mandato nostro idonei Censores opus quoddam à P. F. Marchiano Wierzbicki Nræ Reformatæ Proviæ Poloniæ Minoris Lectore Theolo, ac ex-Definitore elaboratum cui Titulus est = Demonstratio Cæcitatis, imperitiæ, ac impietatis Judaicæ &c. = recognoverint, illudque ab ipsis revisum, & approbatum fuerit: Nos presentium tenore, ad salutaris obedientiæ meritum facultatē facimus, quantenus servatis de reliquo servandis, idipsum Typis mandari possit, & valeat. =

Datt. Romæ apud Aram Cæli die 25. Januarii 1766.

Fr. Joseph. Maria de Vedano
Commissarius Generalis.



De mand. Rñi in Christo Patris
Fr. Antonius à Fundo
Secretarius Generalis mpp.



Opus hoc cui titulus: attente ac diligenter legi, cumq: in eo nihil Orthodoxæ fiedei & bonis moribus dissonum reppererim imò singula quoq; ad noscendas ac refutandas Judæorum blasphemias ac mera deliria laboriosè collecta, eruditè adducta adverterim ideo ut typis mandari possit, censeo. Dabam in Collegio Majori Universitatis Cracoviensis Residentia mea propria Die 12. Mensis Julij. A. D. 1766.

M. ADALBERTUS BIEGACZEWICZ, Sacræ Theologiæ Doctor & Professor, Collega Major, Librorum per Diœcesim Cracoviensem Censor.

mpp.

Legi & Approbavi

M. CASIMIRUS STĘPLOWSKI, Sacræ Theologiæ Doctor & Professor Collega Major, Librorum per Diœcesim Cracoviensim Censor.

mpp.

P E R M I S S U

Magnifici Domini

M. JACOBI MARCISZOWSKI, U. Juris Doctoris & Professoris &c. &c. Studii Generalis Universitatis Cracoviensis Amplissimi

R E C T O R I S.

IMPRIMATUR.

FRANCISCUS POTKANSKI, Suffraganeus, Canon. Vic. in Spirt. & Offic. Gñalis Cracovien.

mpp.



SUPPLEMENTUM
EX
THALMUD,

Nempe Oracula piorum veterum THALMUDISTARUM, ante Christum florentium, quæ P. Petrus GALATINUS, Ordinis nostri Seraphici, in suis Libris. XII. De Arcanis Catholicæ Veritatis, sparsim affert.

Conscripta à me, typoq; jam tradita Demonstratione præsenti LECTOR Benevole, *pervenit in manus meas Opus* P. Petri Galatini, *Ordinis nostri, Viri doctissimi, in hebraismo ac Chaldaismo peritissimi proindeq; in Thalmud versatissimi, in Libros XII. De Arcanis Catholicæ Veritatis distributum, quod Opus nunquam ante legeram, licet summopere legere affectaveram, videns mirabiles prædictiones veterum piorum Rabbinorum ex eo à Corn. à Lap. alijsq; adductas. Quas cùm tunc in ipsomet Galatino legissem, easq; ad confutandam confundendamq; judaicam perfidiam & pervicaciam magnopere utiles agnovissem, atq; illas inserere locis debitis hujus meæ Demonstrationis, ut pote ex magna jam parte impressæ non possem, eas hic ad calcem ejus reposui. Habes hìc totam ferè synopsim XII. Librorum præfati P. Galatini, cujus Opera sunt in his partibus nostris perrara. Non sequor tamen methodum ejus & ordinem, depromptisq; ex eo Oraculis Thalmudicis, scopo materiæ à me in Demonstratione tractatæ deservientibus, prætermitto ea, quæ vel ad propositum meum non pertinent, vel in Demonstratione ex a-*

liis Authoribus jam adducta erant, additis multis de meo ad confirmationem & clarificationem Oraculorum illorum conducentibus. Usus autem sum Galatino, Francofurti, apud Claudium Marnium, & heredes Joannis Aubrli, Anno MDCII. *typis dato. Tu Amice Lector vale incolumis, & Summam Bonitatem Dei, qui hæc veræ Fidei nostræ Arcana priscis illis piisq; Rabbinis revelaverat, ama & adora.*

A. Ad ARTIC. I. *De DEO Uno & TRINO.*

I. Deut. 6. v. 4. Ubi est in Vulg. *Audi Israël, Dominus DEUS noster, Dominus unus est*; in hebr. loco ly: *Dominus* est Nomen soli DEO proprium, nempe *Jechova*, sic enim ibi legitur: *Scema Israël, Jechova Elochenu. Jehova echad.* i. e. *Audi* (vel, congrega, seu, quasi collige) *Israël, DEUS, DEUS noster, DEUS unus est.* Super quod R. Simeon Johai filius, in libro *Zohar*, ait: *Hic est ô Israël Antiquus Jehova, Qui est principium omnium rerum, Antiquus antiquorum, Hortus radicum, & omnium rerum perfectio. Et dicitur Pater Elochenu, id est DEUS noster, Profunditas fluminum, & Fons scientiarum, quæ procedunt ab illo Patre. Et Filius vocatur Jehova, id est DEUS. Hic est Spiritus Sanctus, Qui à duobus procedit, & vocatur mensura vocis. Unus est, ut unum cum alio concludat & colliget, neq; enim alius ab alio dividi potest. Et propterea ait: Scema, id est, congrega Israël, hunc Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, Eumq; fac unam Essentiam, unamq; Substantiam, quia quidquid est in uno, est in alio.* Hæc hic Rabbi. Ubi licet non rectè per ly: *Eloehenu*, i. e. *DEUS noster*, Patrem Divinum intelligit, (nam cum id secundo loco ponatur, adinstar Illius

Galat. l. 2. c. 1. col. 40. & 41.

Ps. 66.

Ps. 66. v. 7. & 8. *Benedicat nos DEUS, DEUS noster, benedicat nos DEUS.* non denotat Patrem Divinum, ast Filium, qui ob Humanitatem nostram assumptam est DEUS noster effectus) tamen clarissimè & expressissimè Divinam TTT. agnoscit. Simile est huic illud Deut. 32. v. 39. *Videte quòd ego sum solus, & non sit alius DEUS præter me:* quod (teste Galat.) in hebr. est: *Videte quia Ego, Ego Ipse, & non sunt dij mecum.* Ubi ly: *Ani, Ani, Hu,* i. e. *Ego, Ego, Ipse,* sunt Divina Nomina. ibid. c. 2. col. 44.

II. Illud Prov. 30. v. 4. *Quis ascendit in cælum atq; descendit &c. quod est nomen ejus, & quod est nomen Filij ejus, si nosti?* quod debeat intelligi de Deo Patre, ac Filio coæterno illius, non autem de Moyse, vel quocumq; alio (ut judæi confingunt, sicut in Demonstratione Art. I. lit. W. dixi) docet R. Moyses Hadarsan super illud Gen. 44. v. 20. quod quidem in Vulg. sic ponitur: *Est nobis pater senex, & puer parvulus, qui in senectute illius natus est;* in hebr. verò sic: *Est nobis pater senex, & infans senectutum,* dicens: *Scriptum est Prov. 30. Quis ascendit &c. DEUS sanctus & benedictus ascendit in cælum atq; descendit: sicut dictum est Ps. 56. Ligans aquas in nubibus suis. Et iterum Job. 28. Et aquas ordinat & aptat in mensura. Et ipse statuit omnes terminos terræ: sicut dictum est Psal. 104. Fundavit terram super columnas, non commovebitur in sæculum & ultra. Quod est nomen ejus? & quod est nomen Filij ejus si nosti? Docet dicere Scriptura, Pater senex est nomen ejus, & Infans senectutum est nomen Filij ejus.* Hæc ille. Ubi dum Pater Divinus *Pater senex* vocatur, id fit ideò, quia & ab æterno fuit, & erit in æternum Pater; hinc etiam Dan. 7. v. 9. *Antiquus dierum* appellatur. Et Filius, *Filius senectutis* dicitur, quia & ab æterno est genitus, & in æternum gignetur, cùm sicut ipse B. ibid. c. 5. col. 53. & 54.

pse sic & ejus generatio abæterna sit non temporaria. *Illud* quoq; Js. 6. v. 3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEUS exercituum*, R. Simeon, Johai filius sic Hebraicè explicat: *Sanctus, hic Pater: Sanctus hic Filius: Sanctus, hic Spiritus S.* Et R. Jonathas Uzielis filius, sic Chaldaicè: *Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus S.* Quæ verba Jonathæ licet judæi ex his libris, quos nunc frequentiùs præ manibus habent, malitiosè expunxerint, tamen in vetustissimis libris ejus sic habentur, ut hìc sunt relata, quorum librorū unū citt. Galatinus dicitse vidisse & legisse, cùm esset eo tempore Licij, quo judæi ex toto regno Neapolitano jussu Regis Catholici pellebantur.

ibid c. 1. col 42. D.

C. III. Per nomen quoq; soli DEO proprium, quod Græcè *Tetragrammaton*, seu, *quatuor literarum* (his enim tantùm constat) dicitur, scil. per יהוה *Jehova*, Divina TRINITAS clarè & evidenter exprimitur. Licet enim aliqui Rabbini interpretando: illud, dicunt quòd significet: *Qui essentiat*, sive, *Qui dat omnibus esse*. Aut: *Unus & omnia*. Sive, *omnia uniter ut causa*. Sive: *Unus omnia eminenter continens*; tamen Rabbenu Haccados, i. e. Magister noster Sanctus (sic enim eum judæi appellant, ob insignem doctrinam & sanctitatem illius) qui tempore Consulum Romanorum vixit, miraq; pietate, sapientia, ac spiritu prophetiæ claruit, in lib. *Gale razeia*, i. e. *Revelator arcanorum*, dicit quod hoc Nomen idem significet ac *Generans*, sic ad Consulem Antonium inquiens: *Animadverte Nomen quatuor literarum, prout scriptio ejus est, (sic enim scribitur in lingva nostra Hebraica,* יהוה *ipsum Deum Generantem significare. Et quia non potest esse generans absq; generato, necessariò amor à generante in generatum, & è converso procedere debet; quoniam, si hoc non esset, non generaret:*

ibid. c. 10. col. 78. E.

neraret:

neraret: & si non procederet amor à generato in generantem, divideretur generatus à generante, & duæ substantiæ essent. Propterea nos volumus, Generantem & Generatum unam esse Substantiam, idcirco necesse est ex altero in alterum procedere Amorem. Eapropter ex hoc Sem hammephoros, derivatum est Nomen duodecim literarum, estquè: Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, quæ in lingva nostra Hebraica duodecim literis scribuntur. Quoniam autem non invenitur aliquid in Deo, quod non sit DEUS, ex Nomine duodecim literarum emanat Nomen quadraginta duarum literarum, quod est: Pater DEUS, Filius DEUS, Spiritus Sanctus DEUS, TRINITAS in Unitate, & Unitas in TRINITATE, quæ in Hebraico sunt quadraginta duæ literæ. Notare autem debebis hæc Nomina esse ex Divinis Arcanis, quæ à quocumq; occultari debent, quoadusq; veniat Messias Justus noster. Illa tibi patefeci, tu autem ea fortiter occule. Hæc Magister ille Sanctus. Ex quo patet quod SSSmum Nomen Dei *Jehova* appellabatur etiam *Sem hammephoras*, i. e. *Nomen expositum*, seu *declaratum*, non enim ejus significatio ante Adventum Messiæ (ut ait hìc Rabbenu Haccados) omnibus propalabatur, ast tantùm probatissimis & paucissimis, idq; sub magno secretò (& hoc ob polytheismi periculum, ad quem omnes tunc erant propensissimi) tradebatur, priusq; per nomen duodecim literarum, postq; per Nomen quadraginta duarum literarum (prout hìc c. 11. & 12. Galatin. ostendit) exponebatur, quod duodecim, & quadraginta duarum literarum Nomen non erant verè nomina quorum alterum ex duodecim, alterum ex quadraginta duabus literis, constaret, ast utrumq; eorum (ut hìc patuit) ex pluribus verbis diversisq; constabat, Unum tamen DEUM & TRINUM demonstrabat.

Polytheismus est idololatria plures deos admittens & colens.

IV.

D. IV. Hoc Nomen DEI *Tetragrammaton* seu, *quadriliterale*, i. e. *Jehova* ultimus Simeon justus, qui Christum in Evangelio in ulnas suas accepisse legitur, ritè pronuntiavit, postq; illum jam nemo Pontificum & Sacerdotum ritè illud pronuntiare potuit, ut potè quòd sine punctis, quæ apud hebræos sunt loco vocalium consonantibus additarum, & quæ tunc non fuerant, ast longè post Christum, scil. circa annum Chr. 500. *à Massorethis*, seu *Grammatis judaicis*, ut testatur Petrus Annatus, adinventa erant) vel *Jahova*, vel *Jehova*, vel *Ihova*, vel *Jochova*, vel *Juhova*, diversisq; alijs modis pronuntiari potest, Hinc R. Moyses, filius Malmonis, l. *More*, parte 1. c. 61. dicit: *Ex quo mortuus est Simeon justus, cessaverunt fratres ejus, sacerdotes scilicet, cum Nomine DEI quatuor literarum populo benedicere.* At. Hinc quia pronuntiationem hujus Nominis judæi nunc jam nesciunt, DEUS quoq; preces eorum non audit, ut fatetur R. Jehoiuas in *Midras Tehillim* (i. e. in *expositione Psalmorum*) super illud Ps. 90. secundum judæos. 91. v. 14. *Protegam eum, quoniam cognovit Nomen meum*, dicens: *Quamobrem orationem fundunt Israëlitæ in mundo isto, & nequaquam exaudiuntur? Propterea nimirum, quòd nesciunt Nomen hammephoras, sive Nomen tetragrammaton. Futurum est autem ut DEUS Sanctus & Benedictus doceat eos illud, sicut dictum est Esai. 52. Sciet populus meus nomen meum. Tunc verè orabunt, & exaudientur sicut dictum est: Invocabit me, & respondebo ei.* Sic ille Multò minus judæi nôrunt nunc Nomen DEI 12. vel, 42. literarum, non credunt enim, TTT. Mysterium. Nobis tamen D. N. JESUS Christus revelavit hoc Nomen, dum nos sacrosanctum Arcanum Divinæ TTT. edocuit; hinc ipsemet Joan. 17. v. 6. Patrem alloquitur dicens: *Manifesta-*

in Apparatu L. 3. Art. 5.

Galat. l. 2. c. 9. col. 79 C.

idem ibid. c. 12. col. 89. G.

Ps. 90. v. 15.

nifestavi Nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Et mox. v. 26. *Notum feci eis Nomen tuum, & notum faciam: ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.* **E.**

V. In hoc Nomine DEI יהוה *Jehova* licet quò ad numerum quatuor sunt literæ; in veritate tamen tres tantùm reputari debent, scil. י *Jod*, ה *He*, ו *Vau*, hæ enim ex eo tantùm quatuor esse censentur, quia secunda bis, scil: secundò & quartò loco ponitur, i. e. ה *He*. Et hoc non sine mysterio, per id enim innuitur, quòd Secunda Persona Divina, quæ per secundam Nominis hujus literam (ut mox ostendo) designatur duplicem habeat in Divinis respectum, nempe ad Patrem, à quo est producta & genita, & ad Spiritum S. quem producit & spirat, reliquæ autem Personæ unum tantùm dicunt respectum, ut Pater tantùm respectū producentis ad productū, cùm sit tantùm producens, non productus, & Spiritus S. tantùm producti ad producens, cùm tantùm, sit productus, nullamq; Personam Divinā producat. Tres ergo Nominis illius literæ Tres Porsonas significant. Nā 1ma scil. *Jod*, quæ interpretatur *Principium*, denotat Patrem Divinum, qui est Principium sine principio, tam Divinarum Personarum ad intra, quam creaturarum ad extra. 2da *He*, quæ *esse*, seu, *vivere* significat, Filium æternum denotat, qui est *Via, Veritas, & Vita*, & per quem omnia facta sunt, quæ facta sunt, cùm in ipso vita erat. 3tia nempe *Vau*, quæ dictionem copulativam, scil, *Et* significat, optimè Spiritum S. exprimit, qui cùm sit Amor Patris & Filij, quo se invicem amant, rectè copula, i. e. nexus illorum nuncupatur. Hinc in antiquis hebræorum codicibis Nomen illud quadriliterale, tribus tantùm literis, scil. tribus *Jod* reperitur descriptum, quæ & circulo clauduntur, & eis

Joan. 14. v. 6.

Joan. 1. v. 3. & 4.

Galat. l. 2. c. 10. col. 12. D.

eis *Kametz*, punctum nempe hebraicum, sic dictum, supponitur, sic scil. ut innuatur Tres Personas Divinas per tria *Jod* æqualia expressas, esse sibi æquales, unamq; Divinam Essentiam, per unum *Kametz* denotatam, communem habere. Et ob identitatem illius (quam denotat circulus) quamvis Personam alijs per circumincessionem inexistere Idcirco autem per tria *Jod* non verò per alias literas id exprimitur, quia cùm *Jod* (ex dictis) denotet *Principium*, per hoc signatur omnes Tres Personas Divinas esse ad extra unum creaturarum Principium.

Ad ARTIC. II. *De Divinitate, & Incarnatione Messiæ.*

A.

Vide in Demostr. Art. I. lit. Ee. Galat. l. 3. c. 6. col. 122. C. idē ibid. F.

De Divinitate Messiæ I. Quòd illud Ps. 2. v. 12. in Vulg. *Apprehendite disciplinam* &c. in hebr. vero: *Nas ku Bar*, i. e. *Osculamini Filium.* debeat intelligi de Messia docet R. Salomō (quantumvis Christi & Christianorū hostis) in hunc Ps. dicens: *Magistri nostri hunc Psalmum de Messia exposuerunt.* Quòd verò sit intelligendum de Messia quà Filio DEI, proindeq; quà DEO, patet ex *Midras Tillim*, ubi dicitur: *Simile est hoc regi, qui filijs civitatis iratus est. Iverunt ergo filij civitatis, & supplicaverunt filio regis, ut regem placaret. Ivit filius & placavit patrem suum. Quumq; rex per filium placatus fuisset, iverunt filij civitatis ad agendas gratias regi. Rex autem dixit eis: Mihi vos gratias agitis? Ite, & filio meo gratias agite. Nam nisi ipse fuisset, jam civitatem destruxissem. Et hoc est, quod dictum est: Osculamini Filium.* Hæc ibi. Per quod expressè innuitur, quòd Messias sit Filius DEI, proindeq; sit DEUS, sicut Filius Hominis est utiq; homo. *Similiter*, quòd illud Js. 9. v. 8. *Vocabitur*

nomen

nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, DEUS, Fortis &c. debeat intelligi de Messia his vocando nominibus, non autem de quopiam alio (ut judæi ineptiunt) patet ex *Targum*, seu, Translatione Chaldaica, judæis authentica, ubi R. Jonathas, Uzielis filius, Author ejus, sic id exponit dicens: *Et vocabitur nomen ejus, Mirabilis consilio, DEUS, Fortis, permanens in sæcula sæculorum Messias. Item* illud Js. 18. v. 7. *In tempore illo, deferetur manus Domino exercituum, à populo d vulso & dilacerato*, quòd de Messia sit intelligendum, docetur in *Beresith ketsara* i. e. in *Expositione abbreviata supra Genesim*, ad illud Gen. 49. v. 10. *Non auferetur* &c. dum dicitur: *Quia futurum est ut Gentes sæculi deferant manus Messiæ filio David, sicut dictum est Isai. 18. c. In tempore illo deferetur munus DEO exercituum.* Ait. En hic Messiam confitetur Thalmud esse DEUM exercituum. *Item* illud Js. 28. v. 5. *In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui*; vertens in Cheldæum citt. jam Jonathas, Uzielis filius sic exponit: *In tempore illo erit Messias DEUS exercituum in diadema gaudij, & in sertum exultationis, vel laudis, residuo populi sui.* Sed quid clarius dici potuerat pro Divinitate Messiæ?

Vide in Demonstr. Art. II. lit. F.

Gal. l. 3. c. 19. col. 152. F.

Idem ibid. c. 10. col. 134. A.

Idem ibid. col. 133. F.

II. Illud Js. 45. v. 17. Israël salvatus in Domino salute æterna explicans R. Johanan in *Midras Tillim* super illud Psal. 35. (judæis, 36.) v. 10. *Apud te est fons vitæ* &c. ait. *Factum accidit in quodam homine, ut cùm in nocte lucernam accenderet, extingveretur: & cùm iterum atq; iterum eam accendisset, dixit: Quousq; laborabo ambulans? sustinebo donec sol oriatur. Sic Israël cùm in Ægypto servi facti fuissent, steterunt Moyses & Aharon, & redemerunt eos. Rursus in servitutem redacti sunt in diebus Sisræ, & eos redemerunt Barac & Debora,*

B.

Idem ibid. c. 13. col. 138. F.

N. B. Hebræi Aaronem xxxxx

Aharon, Sisaram, Sisra. hora. A Madianitis verò, Gedeon, & sic per manus Samgar, sic etiam per manus cujuslibet Judicum, à servitute redempti sunt. Iterum servi facti sunt in Babilonia, per manus Ananiæ, Missáélis, & Azariæ redempti fuerunt. Et demum per Edom reducti sunt in servitutem. Dixerunt ergo Isráél: Ecce lassati sumus in subjugationibus & redemptionibus, modò subjugati modò redempti; jam non quærimus ulteriùs, ut illucescat nobis caro & sangvis, sed DEUS Sanctus & Benedictus ipse in substantia, sicut dictum est Ps. 118. DEUS Dominus & illuxit, vel illucescet nobis. Et iterum Isaias ait 45. c. Isráél salvatus erit in DEO, vel, per DEUM, salvatione æterna. Ait. Quòd autem hic DEUS Salvator sit Messias fatetur R. Salomon, in glossa sua super addct. verba Isaiæ dicens: Isráél salvatus erit salvatione æterna per Regem Messiam. Item illud Jer. 23. v. 5. & 6. Suscitabo David Germen justum . . . Et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus (in hebr. est Jehova) Justus noster; quòd debeat intelligi de DEO Messia docet R.

Gal. l. 3. c. 9. col. 127. A. Jonathas, sic hæc in Targum Chaldaice vertens Statuam Davidi Messiam justum . . . Et hoc est nomen ejus, quod ipsi dicent ei: DEUS Justus noster. & in Echa rabbethi, i. e. in

ibid. D. Expositione Planctus Jeremiæ, dum super illud Thren. 1. v. 16. Longè factus est à me consolator, quæritur: Quod est nomen Messiæ? R. Abba respondet: DEUS est nomen ejus, sicut dictum est Jer. 23. c. Hoc est nomen ejus, quod vocabunt eum: DEUS Justus noster.

C. III. Zach. 2. v. 10. & 11. dum dicitur: Lauda, & lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui,

Gal. l. 2. c. 3. col. 46. F. ait Dominus. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui: & scies quia Dominus exercituum misit me ad te; id in Midras Seir Hasirim, i. e. in Expositione Canti Canticorum, super

illud

illud Cant. 1. v 3. *Exultabimus & lætabimur in te*, explicatur, dum dicitur: *S mile est hoc cuidam matronæ, cujus rex maritus ejus, & filij ejus & generi ejus, profecti sunt ad civitatē maris. Venerunt ergo nuncij, & dixerunt ei: Venerunt filij tui. Quæ & ait quid ad me? vel, quæ inde utilitas mihi? lætentur nurus meæ. Rursus dixerunt ei: Venerunt generi tui. Quæ ait: Quid ad me? lætentur filiæ meæ. Quando autem dixerunt ei: Venit vir tuus rex, ait: Ecce certe hæc est mihi sufficiens, & perfecta lætitia. Sic futurum fuit, ut essent Prophetæ venientes, & dicentes ad Hierusalem: Filij tui de longè venient, Isai. 60. c. Et ipsa dixit eis: Quid adme? Exultent filiæ Judæ, Ps. 97. Et, Filiæ tuæ super latus nutrientur, vel fovebuntur, Isai. 60. At ipsa dixit: Quidad me? lætetur mons Sion, Ps. 97. Cùm autem dixerunt ei: Ecce Rex tuus venit tibi Justus & salvatus ipse, Zach. 9. sicut scriptum est Zach. 2. Canta, & lætare filia Sion, quia ecce ego veniam, & habitabo in medio tui: ait (Jehova) DEUS Et congregabuntur gentes multæ ad Deum, (Jehova) in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui, & scies quia DEUS exercituum miserit me ad te. In illa hora ipsa dixit: Gaudens gaudebo in DEO, & exultabit anima mea in DEO meo, Isai. 61. Et hoc est: Exultabimus, & lætabimur in te Cant. Canticorum* 1. Hæc ibi Ubi sat. evidenter docetur Messiam non esse purum hominem, ast Deum Jehovam, missum Filiæ Sion à DEO exercituum. *Nec* quem moveat, quod in add. Zach. 9. ille in hebr. dicitur esse, non *Salvator* (ut est in Vulg.) ast, *salvatus*, quod videtur DEO non posse competere. *Non* moveat inquam: *Nam* dum DEUS salvat hominem, salvationem ejus pro propria sua salvatione reputat; sicut J. 28. v. 12. requiem & refrigerium factum lasso proximo nostro à nobis, habet pro sua requie & refrigerio, dicens: *Hæc est requies*

mea, reficite lassum, & hoc est meum refrigerium. Hinc Gen. 49. v. 18. ac alibi sæpe, salvatio hominum dicitur esse *Salutare DEI.* Hocq; hìc docent antiquiores Rabbini; nam in *Midras Vaikra*, i. e. in *Expositione Levitici* R. Abhu dicit: *Omnis salvatio quæ venit Isráëli, est salvatio DEI propter hoc quod dictum est Ps. 91. Longitudine dierum saturabo eum, & ostendam ei salvationem meam* Et R. Menahem Rakenad in cap. 3. Gen. ait: *Salus Isráël est salus DEI sancti & benedicti, ut dixit R. Barachias sacerdos. Quia scriptum est Zach. 9. c. Justus & salvatus, & non, Justus Salvator ipse.* Ait. Et ideò LXX. & Vulg. non verba aſt sensum sequendo, non *salvatus*, aſt, *Salvator* hìc posuerunt. *Deinde*, potest Messias dici quoq; salvatus inquantum est Homo, à corruptione sui Corporis, ac per suæ Animæ liberationem è limbo. Ipse enim Ps. 15. v. 10. ait: *Non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Et Ps. 29. v. 4. *Domine eduxisti ab inferno animam meam: salvasti me: à descendentibus in lacum.* Secundùm ergo Naturam Divinam est *Salvator*, secundùm Humanam, *Salvatus.*

Gal. l. 6. c. 1. col. 325. E.

E.

IV. De Incarnatione Messiæ, quod futura erat, docuerunt quoq; prisci Rabbini. Nam R. Simeon, filius Johai, in *Comment.* in Gen. ad illud: *Faciamus hominem* &c. ait: *Quoniam inter cæteras feminas in Matrona hac* (scil. Matræ Messiæ) *reperitur sanctitas, imò Divinitas, quæ consueverat descendere super Jerusalem, superq; Sanctuarium. Et omnia hæc postquam Verbum in ea Corpus assumpsit, factum est de hominum universitate.* Idem ad illud Gen. 6. v. 9. *Hæ sunt generationes Noe*, ait: *Misericordia quæ veniet à Sapientia Altissima, & coronabitur à Verbo, & propterea incorporabitur Feminæ.* Et super Js. 23. v. 15 quod in Vulg. *In oblivione eris ô Tyre septu-*

Gal. l. 3. c. 1. col. 107. B.

Gal. ibid. col. 108 D.

re septuaginta annis, sicut dies regis unius; in Hebr. verò: *Sicut dies Regis Uniti*, in *l. Sanhedrin*, c. *Helec*, quæritur: *Quis est iste Rex Unitus?* Et respondetur: *Esto dicens, quod hic est Rex Messias. Rabbi autem dixit: Hic est, duæ scilicet Naturæ, & tres generationes, id est substantiæ; sicut dictum est Ps. 71. Timebunt te cum sole & ante lunam, generationem & generationis.* Hæc ibi. Ubi per tres generationes intelligitur tum æterna Filij generatio, tum SS̄mæ Animæ ejus creatio, tum Corporis purissimi in Utero Virginis organizatio. *Addo* illud Os: 9. v. 12. ubi dum habet Vulg. *Væ eis cùm recessero ab eis.* In hebr. est: *Ve eis, Incarnatio mea ex eis.* Quem locum, satis ex se clarissimum, falsificaverunt perversi moderni judæi, illud contra naturam dictionis punctantes, scriptum enim est ibi *besari*, i. e. *Incarnatio mea*, vel, *Caro mea*; illi autem legunt, *besuri*, i. e. *in recessu*; & hoc est contra naturam dictionis, *besuri* enim, i. e. *in recessu*, scribitur cum litera *Samech*, non autem cum litera *Scin*, ut hìc est scriptum, & non *in recessu*, ast, *Incarnntio mea*, vel, *Caro mea*, (teste Galat. citt.) significat.

Gal. ibid. c. 2. col. 111. C.

Gal. l. 1. c. 8. col. 34. A.

Ad ARTIC. III. *De Virginitate SS. Matris Messiæ.* A.

I. Gen. 49. v. 10. in hebr. est: *Non recedet sceptrum de Juda, & Scriba, seu Legumlator de medio pedum ejus, donec veniat Silo.* Ubi ly: *Silo* idem est quod, *Filius mulieris*, ut docet R. Kimhi, l. *Serassim*, dicens: *Donec veniat Sito, id est, Filius ejus feminini generis, exponitur. Et est prophetia de Messia*, Ait. Ubi ly: *feminini generis*, non debet referri, ad ly. *Filius*, repugnat enim, ut sit filius, & sit femini-

Galat. l. 4. c. 4. col. 197. C.

feminini, & non masculini generis; ast ad *ejus*, i. e. *Mulieris*, seu Matris, cujus est ille Filius; ex hocq; patet, quod Messias solius illius illibatæ Mulieris futurus erat Filius, illam solam Matrem sine Patre in terris habiturus, ex eaq; solâ, sine virili concursu, proindeq; ut intemerata Virgine nasciturus. Hinc Virgineam Nativitatem Messiæ futuram fore DEUS Ipse prædixisse videtur Gen. 15. v. 16. dicens: *Generatione autem quarta revertentur huc.* Hæc enim dixit DEUS dum captivitatem Ægyptiacam nunciaret Abrahæ, quæ captivitatem peccati & dæmonis figurabat. Quatuor autē erant generationes hominum. *1ma* Adæ, qui formatus est à DEO sine viro & femina. *2da*: Evæ, quam ex viro DEUS produxerat sine femina. *3tia* est communis omnium reliquorum hominum, qui generantur ex viro & ex femina. *4ta* est Christi, qui natus est tantùm ex Femina, scil. SS. Matre sua Virgine. Quæ generatio debuerat dari; cùm enim (secundùm Philosophos) eadem sit contrariorum ratio & disciplina, & positô unô contrariô, debet poni & aliud, nam si datur nigrum, debet dari & album, si amarum, debet dari, & dulce &c. hinc duabus illis generationibus admissis, scil. Adæ producti tam sine viro quam femina, & Evæ ex viro tantùm sine femina, debent quoq; admitti duæ generationes illis oppositæ generationi Adæ, scil. generatio omnium hominum ex viro & femina: ergo quoq; dari debuit generatio opposita generationi Evæ, sine viro ex Femina.

Galat. l. 8. c. 2. col. 438. F.

B. II. Super illud Ps. 84. (jud. 85.) 12. quod est in Vulg. *Veritas de terra orta est: & justitia de cælo prospexit.* In hebr. verò: *Veritas de terra germinabit: & justitia de cælo respicietur*, R. Joden, addct. à R. Moyse Hadarsan, ait:

Galat. l. 8. c. 2. col. 426. E.

ait: *Hæc est salus nostra, quæ de terra orietur mediante Deo, erunt conjunctæ ambæ simul, (veritas scil. & justitia) Et cur dixit: Germinabit, sive pullulabit, & non dixit, nascetur? Quia nimirum generatio sive nativitas ejus non erit similis generationi seu nativitati creaturarum, quæ sunt in mundo, imò diversa & distans, absq; socio & conjunctione. Et hic erit Salvator noster, & Justus noster, quem mittet DEUS.* Ait. *Item:* Super illiud Prov. 30. v. 18. & 19. quod est in Vulg. *Tria sunt difficilia mihi* &c. *& viam viri in adolescentia.* In hebr. verò: *Et viam ghever* (i. e. viri, fortis sive potentis] *in Alma, i. e. in Virgine*; Rabbenu Haccados l. Gale razela, ad 2dam Antonini Consulis petitionem, ait: *Et viam Ghever in Alma. Hic quoq; est DEUS amans filias Jerusalem, ut generetur Messias ex una earum. Concipiet autem & pariet, remanebitq; Virgo, sicut dictum est Jer. 31. c. Quia creavit DEUS novum super terram, Femina circumdabit Ghever, id est, Virum fortem, seu potentem, hoc est DEUM.* Dicit ille. Per quod nedum Matris Messiæ Virginitati, ast & ipsius Messiæ Divinitati nobile hic Rabbenu Haccados dat testimonium. *Addo* illud Js. 9. v. 7. quod est Vulg. de Messia dictum: *Multiplicabitur ejus imperium*, in hebr. verò: *Ad multiplicandum imperium, vel, principatum*, sive, *Ut multiplicetur imperium, vel principatus* Hic enim: *Ad multiplicandum*, vel, *Ut multiplicetur*, hebraicè est: *lemarbe*, in quo verbo, contra omnem orthographiam scriptionis hebraicæ, litera *Mem*, scil. *m* clausa & finalis, i. e. talis, ם in medio dictionis ponitur, cùm deberet poni (ut semper, ordinariè, & ubiq; præter unicum hunc locum, ponitur) aperta, nempe talis מ. Dantur enim apud hebræos aliquæ literæ, quæ aliter in principio vel in medio verbi, aliter in fine scribuntur, finalesq; dicuntur, inter quas est etiam

Gal. l. 7. c. 15. col. 41. F.

Cor. à Lap in hanc loc.

etiam *Mem.* Cùm ergo in hoc ſolo loco in medio verbi, de Meſſia dicti, *Mem* clauſum & non apertum eſt ſcriptum, id factum eſt propter myſterium perpetuæ Virginitatis SSmæ Matris Meſſiæ, ex qua, clauſa omnino, & inviolata *Parvulus* ille (de quo ibi) qui vocandus erat, *Admirabilis, Conſiliarius, DEUS, Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis,* cujus multiplicandum erat imperium, naſci debuerat, ut etiam per portam clauſam Ezech. 44. v. 2. figurata fuit.

Ad ARTIC. IV. *Meſſias venit* ex Gen. 49. v. 10.

A. I. Quòd illud Gen. 49. v. 10. *Non auferetur* &c. de Meſſia dicatur, non autē de aliquo alio, ut moderni delirè comminiſcuntur judæi, patet per *Targum*, h. e. per R. Onkelos Translationem Chaldaicam, apud eos ſacroſanctam & authenticam, in qua dicitur: *Non præteribit Author vel Factor poteſtatis, ſive dominij regij de domo Judæ, & Scriba de filijs filiorum ejus, uſq; in ſæculum, quousq; veniat Meſſias, cujus eſt regnum. Et ei obedient, vel congregabunt ſe populi, ſive nationes Gentium ad eum.* Ait. Ex quo evincitur, quod & *Scevet* in hoc textu poſitum, non ſignificet virgam tribulationis, ut moderni judæi confingunt, aſt Dominationis, nempe ſceptrum regale. Et *Mehokek* denotet talem Scribam, qui ſit ſimul Legislator & Princeps; & *Silo* ſignificat Meſſiam. Quòd autem *Mehokek* idem quod Legislator, proindeq; Dux, ſive, Princeps denotet, hinc etiam patet; nam dum Deut. 23. v. 21. de Gad. in Vulg. dicitur: *Vidit principatum ſuum, quòd in parte ſua Doctor eſſet repoſitus*; in hebr. loco Doctor eſt *Mehokek.* Cujus ſenſus eſt quòd in parte, ſeu poſſeſſione tribus Gad,

Gal. l. 4. c. 4. col. 196. C.

Moyſes

Moyses Doctor, seu Legislator, Dux & Princeps erat sepultus, ut id R. Ankelos Chaldaicè transtulit, dicens: *In possessione Moyses Scriba magnus, seu Legislator magnus sepultus est* Et Jf. 33. v. 22. dum dicitur: *Dominus Legifer noster;* in hebr. loco: *Legifer*, est, *Mebokek*. Per *Silo* quoq; quòd veteres Thalmudistæ Messiã intelligant, constat ex *Beresith Rabba*, i. e. *Genesi magna*, dum inibi dicitur: *Donec veniat Silo, iste est Messias.* Et in *Echa rabbethi*, i. e. in *Expositione planctus Jeremiæ*, super illud Thren. 1. v. 16. *Longè factus à me consolator* &c. dicitur: *Quod est nomen Messiæ? Qui de domo R. Sela erant, dixerunt Silo est nomen ejus: sicut dictum est Gen. 49. c. Donec veniat Silo, id est Messias.* Hæc ibi. *Gal. l. 4. c. 54. col. 197. A.*

II. Veniente Messia D. JESU, nedum *Scevet* i. e. *Sceptrum*, seu regalis dignitas, & *Mehokek*, i. e. *Legislator*, seu Dux & Princeps ablatus est à Juda, omni potestate regali & ducali ad Herodem Ascalonitam translata, ast etiam miracula patrari in templo DEI solita, nutare in Adventu ejus cæperunt, in Passione & Morte penitus defecerunt, ut ipsummet Thalmud testatur. Nam *l. Joma. c. Tereph bekalpi* dicitur: *Tradiderunt Magistri, quòd quadraginta annis in quibus Simeon Justus ministravit, fuit sors Nominis Domini ascendens in dexteram. Ab illo autem tempore quandoq; in dexteram, quandoq; in sinistram ascendebat. Erat quoq; lingva splendoris albescens. Ex eo autem tempore, quandoq; lingva illa albescebat, quandoq; non. Lumen etiam vespertinum semper ardebat. Ex tunc autem aliquando ardebat, aliquando extingvebatur. Ignis quoq; præparationis* (i. e. ille qui in altari ardere semper debebat) *semper validus erat, nec oportebat ligna ibi apponere, exceptis duabus assellis ad complendum appositionis mandatum. Ex tunc verò quandoq; validus erat, quando q; non; & tamen sacerdotes nunquam cessa-* **B.** *Galat. l. 4. c. 8. col. 206. A.*

bant tota die ligna apponere. Immissa adhuc erat benedictio in manipulum, & in duos panes, & in panes facierum, ita, ut cuicumq; sacerdoti proveniret quantùm oliva comederet & saturaretur, & essent quibus superesset. Ex eo autem tempore, immissa fuit maledictio in manipulum, & in duos panes, & in panes facierum, & omnibus sacerdotibus inde proveniebat quantùm una faba. Honesti verò retrahebant ab eo manus suas, & gulosi tolerabant. Hæc Thalmud Ex quo constat, quòd Christi tempore, dum jam scil. mortuus est Simeon Justus, qui D. JESUM Infantem in ulnas suas acceperat, miracula templi DEI jam mutare cæperant. Quod autem in morte ejus plenè defecerant, testatur Thalmud Babilonicum, c. *Septem dies*, ubi dicitur: *Tradiderunt Magistri, quod decem signa facta sunt in domo sanctuarij. Non enim abortivit mulier propter nidorem carnium sanctuarij unquam. Neq; fuit visa musca in macello templi. Neq; contigit accidens sacerdoti magno in die propitiationis. Neq; inventa est corruptio in manipulo, aut in duobus panibus, aut in panibus facierum. Stantes angusti, erant, procidentes verò ut adorarent, spaciosi erant, licet à domo propitiatorij per undecim ulnas remoti essent. Nunquam nocuit serpens, neq; scorpius in Jerusalem. Nec unquam dixit homo proximo suo: angustus est mihi locus manendi in Jerusalem. Nunquam pluviæ ex inxerunt ignem lignorum præparationis. Neq; ventus unquam vicit columnam fumi; quamvis enim omnes venti qui sunt in mundo in eam flarent, non tamen poterant eam deviare, ne rectè sursum ascenderet. Traditio etiam est, quod R. Semaia dixit, quod fragmenta vasorum fictilium a locis suis absorbebantur, cineres quoq; altaris interioris & candelabri à loco suo absorbebatur. Omnia verò hæc cessaverunt per annos quadraginta ante destructionem templi.* Adusq; Thalmud. Ex quo evidenter colligitur quòd tempore Christi Passionis & Mortis, cùm *velum templi*

Galat. l. 4. c. 8. col. 206. A.

pli

pli scissum est, hæc templi miracula plenè cassaverint, scil. anno 40. ante destructionem illius, quo anno passus est & occisus Christus, juxta Chronologos.

Ad ARTIC. V. *Messias venit*, ex Dan. 9. v. 24. Agg. 2. v. 7. A.

I. Quòd illud Dan. 9. v. 24. *Septuaginta hebdomades* &c. intelligendum sit de hebdomadibus annorum non dierum patet ex R. Abraham, qui in hunc. loc. dicit: *Dixit venerabilis Magister noster Seadias, quòd istæ septuaginta hebdomades annorum sunt.* Quòd etiam illud ibid. *Et adducatur Justitia sempiterna*, de Messia intelligi debeat, docent super hæc verba R. Moyses Hadarsan, & R. Levi dicentes, *Justitia sæculorum, vel sempiterna, non est nisi Messias, de quo scriptum est Esai. 56. c. Custodite judicium & facite justitiam, quia proxima est Salvatio mea, ut veniat, & Justitia mea ut reveletur.* Aiunt. Quod confirmat R. Berachias, dicens ad locum Isaiæ hìc immediatè addit: *Custodite judicium, & facite justitiam. Hæc sunt mandata, & opera bona. Quia proxima est Salvatio mea, ut veniat, & Justitia mea ut reveletur. Iste est Messias, de quo scriptum est Dan. 9. c. Et ad adducendam Justitiam sæculorum, id est Messiam.* Sic ille. Illud quoq; ibid. *Et ungatur Sanctus sanctorum*; & in hebr. est: *Et ad ungendum Sanctuarium sanctuariorum*; de Messia debere intelligi, docet R. Moyses, filius Nahman Gerundensis, dicens: *Sanctuarium sanctuariorum est ipse Messias, sanctificatus de filijs David.* Dum autem v. 26. dicitur: *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus*, quòd hìc de vera Christi occisione dicatur, non autem, ut ineptiunt moderni obcæcati judæi, de illius abscissio-

Gal. l. 4. c. 14. col. 227. D.

Gal. l. 4. c. 18. col. 246. D.

ibid. E.

ibid. F.

Gal. l. 4. c. 18. col. 248. A. scissione, patet. Nam licet hebr. *iccareteth*, quod hic pro ly *occidetur* ponitur, significet primariò *abscindere*, frequenter tamen in Script. pro occidere ponitur, ut Gen. 9. v. 11. *Statuam pactum meum vobiscum, & nequaquam ultra iccareth*, i. e. *interficietur*, *omnis caro aquis diluvij*. Et 3. Reg. 18. v. 4. dum dicitur: *Nam cùm interficeret Jezabel Prophetas Domini*, ly: *interficeret*, hebr. est: *iccareth*. Et Exech. 21. v. 3. *Occidam in te justum & impium*, est hebr. *iccareth*.

B. II. Quòd illud Agg. 2. v. 7. & 8. *Adhuc unum modicum est* &c. de Messia intelligi debeat, docet R. Akiba l. *Sanhedrin* c. *Helec* super hunc loc. dicens: *Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cælum & terram, & adducam Desiderium cunctarum gentium, de diebus Messiæ* (dicitur) *& de Rege Messia, & de tempore quod fuit post destructionem primæ domus. Alia expositio. Adhuc unum modicum est: modicum scilicet regni venturi Israël, post destructionem prioris domus. Et post illud regnum, ecce ego commovebo cælum & terram, & mare, & aridam, & omnes gentes, & postea veniet Messias.* Ait ille

Gal. l. 4. c. 9. col. 208. D.

Hinc *ineptit* R. Salomon dicens, quòd hæc gloria quæ futura erat major templi novissimi plusquam primi non debuerat sumi ex adventu & præsentia Messiæ in hoc templo, ast tantùm ex ædificij magnitudine, qua hoc templum amplificavit Herodes; ac ex majori duratione, cùm (ait) hoc templum 2dum plusquàm primum decem annis duraverit. *Ineptit* inquam. *Tumq;* Falsum est quòd Herodes hoc templum 2dum magis quam Salomon 1mum ornaverit & amplificaverit, ut *in Demonstr. Art. V. lit.* Gg. ostendi. *Tumq;* Ista majoritas durationis non affert aliquam majoritatem gloriæ, aliàs etiam lapis majorem gloriam habere diceretur quàm homo, quia longiùs durat. *Tumq;* Absurdum est dicere quòd Aggæus tam parvam rem, tempus nempe de-

pe decem annorum, tantis verborum phaleris & energia exaggeraverit. *Tumq;* Si computemus durationem templi 2di, quod (ut judæi autumant) duravit 420. annis, 1mum templum pluribus annis quàm 2dum ſtetit; plures enim anni fluxerunt ab anno quarto regni Salomonis, in quo templum illud 3. Reg. 6. v. 37. erat perfectum, uſq; ad 11. annum Sedeciæ, in quo fuit 4. Reg. c. ult. deſtructum; computando enim tempora regum intermediorum, ex 3. & 4. Reg. fluxerunt anni 427. ut advertit Lyran. *in libello contra perfid. jud.* *Tumq;* Etiamſi templum illud diutius durraſſet quam primum, tamen cùm per id tempus pluries à gentibus (*ut in Demonſtr. Art. V. lit.* Nn. oſtendi) profanatum fuit, non fuerat proinde primô glorioſius. *Tum demum:* Quia quòd hìc DEUS per Prophetam non loquatur de majori præ 1mo hujus templi 2di magnificentia ex ſtructura ejus & divitijs, patet ex hoc quod addit: *Meum eſt argentum & meum eſt aurum, dicit Dominus exercituum.* Q. d. Non ex argenti & auri copia, erit major hujus templi noviſſimi plus quàm 1mi gloria, cùm hoc ubicumq; eſt, meum eſt, aſt ex hoc quòd in illud *veniet Deſideratus cunctis Gentibus.*

Ad ARTIC. VI. & VII. *Objectiones jud rejectæ.*

A.

I. Illud Jſ. 2. v. 4. *Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces: non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium;* quòd non debeat ſic intelligi, quòd in 1mo Meſſiæ Adventu omnia arma & prælia materialia ceſſatura erant, docet R. Eliezer l. Sabbath dicens: *Etiam in diebus Meſſiæ non ceſſabunt arma, ſed ceſſabunt in futuro* (i. e. 2do) *Adventu.* En in 1mo Meſſiæ Adventu arma & prælia materialia ceſſatura non erant, *Gal. l. 5. c. 6. col. 304. D.*

quam-

quamvis arma Spiritualia sive moralia, contra pios DEI cultores pugnantia, etiam in primo ejus Adventu cessaverint, dum lingvæ infidelium antea contra Christum pugnantium, post tamen ad ipsum conversorum, (qualis erat Saulus, Clemens Romanus, Dionysius, Cyprianus, Augustinus &c.) conflatæ sunt in vomeres & falces, ad animas hominum excolendas. Lingvæ enim malevolorum & infidelium vocantur in Script. gladij, sagittæ, aliaq; arma, ut Ps. 54. v. 22. *Molliti sunt, sermones ejus super oleum: & ipsi sunt jacula.* Et Ps. 56. v. 5. *Filij hominum dentes eorum arma & sagittæ: & lingva eorum gladius acutus.* Et Prov. 25. 18. *Jaculum, & gladius, & sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium.* Addo Dum Script. hic dicit: *Non excercebuntur ultra ad prælium,* ly: *Ultra* (hebr. *Od*) non videtur hic accipi pro *nunquam* vel, pro *non amplius,* ast pro aliquo determinato tempore. Quamvis enim quandoq: sumatur pro *nunquam*, vel, *non amplius*, ut Gen. 8. v. 21. *Nequaquã ultra maledicam terræ propter homines.* Et Gen. 9. v. 11. *Nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvij.* Et ibid. v. 15. *Non erunt ultra aquæ diluvij* &c. crebriùs tamen sumitur pro determinato aliquo, etiam modico tempore. Sic Gen. 35. v. 10. dicit DEUS ad Jacob: *Non vocaberis ultra Jacob, sed Israël erit nomen tuum;* & tamen mox in eodem ipso capite octies vocatus est *Jacob*, & ter tantùm *Israël.* Et 1. Reg. 7. 13. de Philisthiim dicitur: *Nec apposuerunt ultra ut venirent in terminos Israël;* & tamen ibid mox c. 13. v. 5. dicitur: *Philisthim congregati sunt ad præliandum contra Israël - - - & ascendentes castrametati sunt in Machmas.* Et 4. Reg. 6. v. 13. *Et ultra non venerunt latrones Syriæ in terram Israël;* & tamen statim ibi v. 24. subditur: *Post hæc congre-*

congregavit Benadad rex Syriæ universum exercitum suum, & ascendit, & obsidebat Samariam. Et Prov. 31. v. 6. & 7. *Date siceram mærentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo. & bibant, & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.* Puta quoadusq; vino calescent &c. Hinc R. kimhi l. *Serassim*, ait. *Contigit hanc dictionem Od* (i. e. ultra) *parvum tempus significare.* Gal. l. 5. c. 7. col. 304. A.

II. Quòd elevatio Montis domus Domini Js. 2. v. 2, super colles, non materialiter, & quò ad situm, ast spiritualiter; quò ad dignificationem intelligi debeat, docet R. Salomon in hunc loc. dicens: *Quantùm ad dignitatem, sive quantùm ad pretium & æstimationem elevabitur* (Mons domus Domini) *super colles. Quoniam scilicet magnificabitur Dominus signo, vel miraculo quod fiet in eo, majore signis vel miraculis montis Sinai, Carmel, & Tabor.* Ait. Quod etiã per Montem illũ significetur Messias patet ex *Beresith, Rabba*, i. e. Ex *expositione Genesis magna*, ubi super illud Gen. 28. v. 10. *Egressus Jacob de Bersabee* dicitur: *Levabo oculos meos ad montes, unde veniet Auxiliator meus*, vel, *Auxilium meum: Hoc est, quod scriptum est Zach 4. Quid tu mons magne coram Zorobabel? Mons magnus iste est Messias. Et quare ipsum vocat Montem magnum? Quia major est quàm patres, sicut dictum Esai. 52. Ecce intelliget Servus meus, & elavabitur & exaltabitur, & sublimis erit.* Quòd etiam Patriarchæ & Reges sint montes super quos elevandus erat Mons domus Domini, legitur mox infra in eadem *Beresith Rabba*, ubi dicitur. *Levabo oculos meos ad montes. Hi sunt Patres, sicut dictum est Mich. 6. c. Audite montes disceptationem Domini. Hæc ibi.* B. Gal. l. 5. c. 7. col. 299. F. Gal. l. 5. c. 3. col. 330. D. Gal. l. 5. c. 3. col. 300. G.

III. In eod. Js. 2. v. 2. dum dicitur: *Fluent ad eum* (i. e. Montem domus Domini, nempe Messiam) omnes Gentes; quòd id non debeat intelligi de omnibus prorsus Genti- C.

Gentibus (ut Judæi intelligunt, negantes etiam ob id D. N. JESUM esse Messiam, quia non omnes prorsus homines crediderunt in eum, ut innui *in Demonstr. Art. VI. num. 3tio*) ast tantùm de plurimis ex omnibus Gentibus, patet ex ipsius Jsaiæ verbis, qui dum hic v. 2. dixisset: *Fluent ad eum omnes Gentes*, mox v. 3. quasi se explicans ait: *Et ibunt populi multi.* Hinc Michæas, qui cùm Isaia eodem tempore prophetaverat, hæc eadem verba dicens Mich. 4. v. 1. & 2. ait: *Et fluent ad eum populi. Et properabunt Gentes multæ.* Consonat Script. & alibi, in qua ly: *Omnis Universus.* & similia hujusmodi, non sumitur passim pro omnibus, ast tantùm pro aliquibus ex omnibus. Nam dum 2. Reg. 15. v. 13. dicitur: *Toto corde universus Israël sequitur Absalom.* Et 2. Reg. 16. v. 22. *Ingressus est* (Absalom) *ad concubinas patris sui coram universo Israël.* Et dum 2. Reg. 17. v. 11. ad Absalom dicit Chusai: *Congregetur ad te universus Israël.* Et Ps. 40. v. 8. David dicit: *Omnia excelsa tua* (in hebr. est: *Omnes confractiones tuæ*) *& fluctus tui super me transierunt.* Et Ps. 117. v. 10. *Omnes gentes circuierunt me* &c. nemo sanæ mentis dicet, quòd omnis omnino Israël secutus Absalonem fuerit, vel, quòd ille coram universo Israël ad concubinas patris sui intraverit, vel quòd omnem penitus Israëlem ad se congregare potuerit, vel quòd omnes confractiones seu tribulationes, & fluctus seu persecutiones, quas DEUS potest immittere, super Psaltem transierint, vel, quòd illum omnes gentes circumdederint. Hinc R. kimhi. l. *Seraſſim.* dicit: *Col* (i. e. *Omnis, Cunctus, Totus vel Universus*) *est dictio comprehendes singula, & aliquoties partem multitudinis. Ut illud Gen. 41. Et omnis terra venit in Ægyptum. Et iterum 24. c. Et omnia bona Domini in manu ejus. Item 4. Reg. 8. Et accepit munus in*

Col. l. 5. c. 4. col. 302. A.

manu

manu sua, & omnia bona Damasci. Hæc ille, & rectè, nam & nos cum videmus magnam partem hominum alicujus v. g. civitatis ad spectaculum aliquod confluxisse, dicimus, quòd omnis, vel tota civitas eò confluxerit.

IV. Dum Js. 7. v. 16. de Emmanuele, h. e. de Messia dicitur: *Quia antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra;* judæi imperitè ex hoc inferunt D. JESUM Emmanuelem seu Messiam non fuisse, quia (ut Fides docet) nulla unquam in eo ab instanti Conceptionis fuerat ignoratia. *Imperite inquam.* Sensus enim textûs addct. est, quòd quamvis in Christo, etiam quà Homine, nulla unquam fuerit ignorantia, quia tamen factus est Homo in tempore, scientiam quoq; humanam habere cæpit in tempore, & antequam illam simul cum Humanitate haberet, liberatio illius terræ, quam Isaias prædicit, facta fuit. Q. d. Antequam hic Emmanuel D. JESUS fiet Homo, concipieturq; in Virgine, proindeq; scientiam humanam habebit, derelinquetur terra, i. e. deseretur ab exercitibus Rasin regis Syriæ, & Phacee regis Isràél, quibus tunc premebatur. Similiter debet exponi & illud Js. 8. v. 4. de eodem Emmanuele dictum: *Antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam auferetur fortitudo Damasci.* Imperitè quoq; ijdem intelligunt illud Is. 9. v. 6. *Parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis* &c. inferendo Parvulũ hunc non fuisse D. Jesum, quia ille usq; post aliquot centennos annos natus fuit, hic autem in præsenti dicitur esse natus, & datus. Imperitè inquam *Nam* mos Script. est persæpe tempus præteritum pro futuro ponere, eò quia dictum DEI habetur pro facto, quod & Thalmud testatur. Nam *in Midras tillim* i. e. in *Exposit Psalmorum*, super illud Ps. 106. (jud. 107.) v. 2. *Dicant* *Galat. l. 7. c. 16. col. 428. F.*

qui redempti sunt à Domino &c. dicitur: *Dixit R. Judas, filius Salom: Pulchrè dictum est, redemit: quamvis futurum esset, quoniam dictum DEI Sancti & Benedicti tanquam factum est. Dixit R. Hunna: - - - Ex alio quoq; loco docemur, quòd dictum DEI tanquam factum est. Unde de Abraham quid scriptum est in lib. Gen. 15. c. In die illo pepigit DEUS cum Abram pactum, dicens: Semini tuo dedi terram hanc. Non dixit: Dabo; sed Dedi. Et quomodo, cùm nondū Abraham filios genuisset? quia dictum DEI factum est, cùm dicitur: Ego Dominus locucutus sum, & feci. Et quando fecit? nisi quia dictum DEI factum reputatur. Bene ergo dictum est: Redemit; quamvis futurum esset.* Hæc ille. Glossa etiam R. Salomonis super illud Jf. 42. v. 16. *Hæc verba feci eis*, ait: *Feci, id est: Faciam; omnis namq; lingva Prophetarum de futuro, tanquam de jam facto loquitur.*

E. V. Quòd illæ bestiæ de quibus Jf. 11. v. 6. & 7. ac Jf. 65. v. 25. dicitur: *Habitabit lupus cum agno* &c. non sint reales & physicæ, ast morales & allegoricæ, scil gentes, crudeles olim & infideles, docet R. Moyses Ægyptius in *Hallacoth*, i. e. in *sententijs* super lib. Judicum, dicens: *Non ascendat super cor tuum, quòd in diebus Messiæ desinere debeat aliquid de via hujus mundi, vel quòd tunc innovari debeat aliquid de operibus sex dierum: sed potiùs quòd mundus ire debeat juxta solitam viam suam. Quod igitur apud Isaiam 11. c. dictum est: Et habitabit lupus cum ariete, cum reliquis: sensus est, quòd Isràël habitaturus sit confidenter cum impijs sæculi, qui leonibus, & lupis, ac pardis comparantur, sicut dictum est Jer. 5. c. Percussit eos leo de silva, lupus nemorum, vel vepretorum vastavit eos, pardus vigilat vel insidiatur prope civitates eorum. Postquam consumpti fuerint peccatores, de quibus dictum est Isai. 1. Et derelinquentes DEUM consumentur; & conversi*

Galat. l. 5. 8. col. 305. G.

converſi fuerint omnes ad legem veritatis, tunc non diripient, neq; deſtruent, ſed comedent licita in tranquillitate cum Iſraël, ſicut dictum eſt ab Iſaia: Et leo ſicut bos comedet paleam. Et ſic in hunc modum verba ſcripta de Meſſia ſimilitudines ſunt. In tempore autem Regis Meſſiæ ſcietur de omnibus, cujus rei, & ob quam rem fuerint ſimilitudines, & quid per eas ſignificatum ſit. Aduſq; ille.

VI. Dum Pſ. Pſ. 71. v. 8. de Meſſia dicitur: *Et dominabitur à mari uſq; ad mare; & aflumine uſq; ad teminos orbis terrarum.* Et ibid. v. 11. *Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes Gentes ſervient ei.* Et Iſ. 60 v. 6. *Omnes de Saba venient aurum & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes*; ex his judæi inferunt D. JESUM non eſſe Meſſiam, quia cùm Turcæ & Machometani multa, & ferè innumera loca Chriſtianorum occupant, D. JESUS à mari uſq; ad marè, & à flumine uſq; ad terminos orbis terrarum non dominatur, nec eum omnes reges terræ adorant, ac omnes gentes ei ſerviunt. Et cùm tres tantùm Magi ei recens nato aurum & thus obtulerint, non eſt verificatum de illo, quòd omnes de Saba venerint aurum & thus deferentes. *At* non rectè. *Tumq;* Plurimi ex Turcis (ut periti locorum teſtantur) ſaltem clam, credunt in Chriſtũ, eum piè colentes: Ergo & in hos dominatur ille. *Tumq;* Turcæ Machometani quamvis D. Jeſum eſſe Deum negent, tamen illum confitentur eſſe Meſſiam Salvatorem mundi; fuiſſeq; de Spiritu S. conceptum, ac ex Matre Virgine natum firmiter credunt, ſuoq; modo eidem magnam, tanquam Magno, omnibus ſe prioribus ſuperiori & excellentiori Prophetæ, venerationem exhibent; & illis ergo dominatur D. JESUS. *Tum demum*: Quia omnes etiam Infideles poteſtati judiciariæ D. JESU ſubduntur, nam

(Joan. 5. v. 22.) Pater *omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Hinc (Phil. 2. v. 10. & 11.) in nomine JESU omne genu flectitur cælestium, terrestrium, & infernorum, illeq; omnibus vivis & mortuis dominatur. Omnes quoq; de Saba ad adorandum Christum neonatum venerunt; cùm enim rex omnes regni sui accolas representet, & tres Magi Christum neonatum adorantes, eiq; aurum & thus deferentes, reges fuerint, unusq; ex eis rex Saba, cùm is cum alijs duobus Christũ adoraverat, eiq; aurum & thus obtulerat, rectè dicitur, quòd omnes de Saba venerint, & id fecerint. Et

Gal. l. 8. c. 3. col. 440. F. hoc confirmatur ex Thalmud. Nam in *Beresith rabba*, super Gen. 25. v. 6. *Separavit eos* (i. e. Abraham filios concubinarum) *ab Isaac filio, suo dum adhuc ipse viveret, ad plagam orientalem*, dicitur: *Regina Saba auditâ famâ Selomonis* (i. e. Salomonis) *in nomine Domini venit ad tentandum illum in ænigmatibus. Non legas: Regina Saba, sed regnum Saba.* Hæc ibi. Et rectè, quia Regina Saba repræsentabat totum regnum suum. Sic & in proposito.

A. Ad ARTIC. VIII. & IX. *Salvatio per Messiam facienda spiritualis erat futura, Messiasq; pauper & humilis.*

I. Quòd salvatio per Messiam non temporalis ast spiritualis facienda erat, docet R. Nehumias, filius

Galat. l. 6. c. 4. col. 334. D. Haccanæ, in *Igbereth hassodoth*, i. e. in *Epistola secretorum*, alludens ad illud Job 28. v. 16. *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonicho pretiosissimo, vel sapphiro;* dicensq: *Cùm considerarem humani generis finem & perfectionem*

nem, cujus anima nostra avida est, beatitudinem atq; felicitatem esse, ut ipsa fasciculo vitæ cum Domino D.E.O nostro colligetur. Hoc autem in Adventu nostri Messiæ consistit, sine quo hauduaquam pervenire possumus ad illam immensam & inæstimabilem perfectionem, quæ non potest comparari tinctis in die coloribus, nec lapidi sardoniche pretiosissimo, atq; sapphiro. Ait. Consonat ei Rabbenu Haccados l. *Gale razeia petitione 8.* dicens: *Rex Messias venturus est ad relaxandum hoc* (i. e. originale) *delictum, ad inserendasq; animas in paradisum.* Inquit. Hinc per Messiam non solos esse redimendos judæos, ast & omnes Gentes, in eum credentes, docet R. Aha, in *Beresith rabba*, super Gen. 41. v. 44. dicens: *Poteritne dici quod Redemptor sit acceptor facierum, id est, personarum? Absit, sed omnes eum confitentes ore suo, & operibus suis, & corde suo. salvabit, atq; liberabit, sicut dictum est Jeremiæ 23. c. In diebus ejus salvabitur Juda; id est, confitentes eum salvabuntur, Et sic ipse ait apud Isaiam 45. c. Convertimini ad me, & salvabimini omnes fines terræ. Et iterum dicit ibidem: Quia mihi flectetur omne genu, & jurabit omnis lingva. Et de ipso quoq; scriptum est Isai. 49. c. Dedi te in lucem Gentium, ut sit salvatio mea usq; ad fines terræ. Et propter hoc etiam David Ps. 67.* (In Vulg. 66. v. 4.) *Confitebuntur te populi DEUS confitebuntur te populi omnes. Lætabuntur & exultabunt Gentes, quoniam judicas populos in æquitate, & Gentes in terra dirigis. Confitebuntur te populi DEUS, confitebuntur te populi omnes, terra dedit fructum suum. Ubi cùm quater commemoravit, confitebuntur, ita est, ac si dixisset Confitebuntur te corde suo, confitebuntur te ore suo, confitebuntur te operibus suis, confitebuntur te pariter omnibus his.* Inquit

Gal. l. 4. c. 24. col. 280. C.

Gal. l. 6. c. 14. col. 366 F.

II. Quòd Messias futurus erat pauper humilis, docet R. Moyses Hadarsan, super illud Gen. 49. v. 11. *Ligans*

Gal. l. 8. c. 9. col. 455. E.

B.

gans ad vineam pullum suum, & ad vitem ô fili mi, asinam suam; dicens: *Cùm venerit Messias in Jerusalem, ipse erit cingens asinum suum, & equitabit, & super eum veniet in Jerusalem, ut ducat seipsum in paupertate, vel humilitate, sicut scriptum est Zach. 9. c. Pauper, & humilis, æquitans super asinum, vel asinam.* Et in *Beresith Rabba*, super illud Gen. 49. v. 10. *Non auferetur sceptrum de Juda* &c. dicitur: *Non recedet sceptrum: Hic est Messias filius David, qui venturus est ad confringendum regna cum virga, sicut dictum est Ps. 2. Confringes eos virgâ ferreâ, & tanquam vas figuli proiicies eos. Sequitur: Et scriba vel contritor de medio pedum ejus. Hic est etiam Rex Messias, qui venturus est ad conterendum Gentes pedibus suis, quēadmodum dictum est Isai. 26. c. Conculcabit eam pes pedum pauperis. Iste enim pauper est Messias, de quo dictum est Zach. 9. c. Pauper, & equitans super asinam.* Hæc ibi.

A. Ad ARTIC. XI. *Quòd judæi erant excæcandi, & reprobandi.*

Gal. l. 9. c. 2. col. 503. F. I. Excæcandi. Nam l. *Sanhedrin.* c. *Helek*, dicit R. Johanan: *Generatione in qua Filius David venturus est, sapientes magistri minorabuntur, reliquorum vero oculi deficient in luctu & suspirio.* Ibid. R. Judas ait: *Generatione in qua Filius David venturus est - - - sapientia scribarum fætebit, & timentes peccare* (puta, in Legem Moysi, si Evangelium reciperent) *reprobabuntur, & facies illius generationis* (impudens, explicat glossa R. Samuelis) *ut canis, & veritas erit diminuta.* Et l. *Siphre*, super illud Deut 32. v. 6. *Hæccine reddis Domino popule stulte & insipiens*, dicitur: *Popule stulte, in ijs scilicet quæ præcesserunt. Et non sapiens, in ijs videlicet, quæ in sæculo venturo fient. Et hoc est, quod dictum est Isai.*

Gal. ibid. c. 3. col. 504. A.

ibid. C.

Isai. c. 1. *Isràël non cognovit, populus meus non intellexit. Isràël non cognovit ea quæ præterierunt; populus meus non intellexit, ad sæculum venturum. Quid promeruit Isràël, ut essent infatuati, & corde incrassati? Quia non sapuerunt in verbis Legis. Et sic ipse Job dicit c.* 4. *Nonne abscessit funis eorum cum eis, morientur, & non in cognitione, vel sapientia.* Hæc inibi.

II. Reprobandi autem. Nam I. *Sanhendrin. c. Dine mammonoth.* i. e. *Judicia divitiarum,* filij R. Hiia dicunt: *Non veniet Filius David, donec defecerint duæ domus patrum de Isràël, quæ sunt caput captivitatis, quæ erat in Babilone, & princeps qui est in terra Isràël, sicut dictum est Isai.* 8. *Et erit in sanctificationem, & in lapidem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Isràël, & in laqueum, & in ruinam habitatoribus Jerusalem. Et offendent ex eis multi, & ruent, [& astringentur, & irretiantur & capientur. Liga testimonium, & sigilla legem inter discipulos meos. Et expectabo DEUM abscondentem facies suas à domo Jacob.* Hæc illi. Et expressius ad huc id docet Rabbenu Haccados l. *Gale razeia, ad 6tam Antonij Consulis petitionem* dicens: *Ex Isràël, qui non crediderint verbis ejus, scilicet Messiæ, DEUS irâ percitus, effundet eam super eos, jurabitq; per sanctitatem suam, eos non habituros salutem, nec in paradiso cum illo mansuros, sicut dictum est Ps.* 95. [nobis 94. v. 10. & 11.) *Quadraginta annis fastidio affectus fui in generatione illa, & dixi populus errans corde sunt ipsi. Ipsi autem non cognoverunt vias meas: qui juravi in furore meo, quòd non ingredientur in requiem meam. Item; in hoc mundo disiungentur à DEO, amittentq; suum imperium, & dispersi per universum orbem subjugabuntur, imperabuntq; illis servi servorũ. Neq; vocabuntur amplius patres totius sæculi, sed populus, quem DEUS eorum odio habuit, eosq; à se expulit cum furore. Nec etiam assequentur gratiam cum justis resuscitandis in mundo*

B.

Gal. l. 9. *c.* 2. *col.* 502. *B.*

Gal. l. 9. *c.* 9. *col.* 517. *E.*

mundo futuro; propter quos dictum est Ps. 1: Non sic impij, sed tanquam gluma quam proijcit ventus: Ideo non resurgent impij in judicio; neq; peccatores in congregatione justorum. Adusq; Ille.

A. Ad ARTIC. XII. *Quod D. JESUS sit Messias. Ubi etiam de Sanctissimo Nomine JESUS, MARIA, JOACHIM.*

I. Præter dicta in Demonstr. Messiam neonatum Magi Reges adoraturi, eiq; munera oblaturi erant. Nam

Gal. l. 8. c. 3. col. 440. G. in *Beresith Rabba* super illud Gen. 25. v. 6. de Abraham dictum: *Filijs autem concubinarum largitus est munera, & separavit eos ab Isaac filio suo, - - - ad plagam orientalem;* dicitur: *Unde habetur, quod* (Sabbæi, alijq; Orientales) *venturi essent in diebus Messiæ, eiq; servituri? Ex eo, quod dictum est Isai. 60. c. Multitudo camelorum operiet te, dromedarij Madian & Epha. Omnes ipsi de Saba venient, aurum & thus deferent & laudes DEI annuntiabunt. Hic est Rex Messias, sicut dictum est Jer. 23. & 33. c. Et hoc est nomen quo vocabunt eum, DEUS Justus noster. Et sic Isaias ait 60. c. Et super te illucescet, vel, orietur DEUS, & gloria ejus super te apparebit. Et ibunt Gentes ad lumen tuum, & reges* ad splen-

Gal. ibid. col. 442. B. dorem illustrationis tuæ. Et in *Beresith Rabba*, super illud Gen. 33. v. 11: dictum de Esau: *Vix fratre compellente suscipiens*, dicitur: *Dixit Rabbenu:* (i. e. Magister noster) *Omnia munera illa, quæ dedit pater noster Jacob Esau, futurum est, ut reges mundi Regi Messiæ restituant. Unde probatur hoc? Ex eo quod scriptum est Ps. 72.* (in Vulg. 71. v. 10.) *Reges Tharsis & insularum munus adducent.* Et in *Midras*

tehillim

tebillim super Pf. 86. (secundùm hebr. 87.) v. 4. *Memor ero Rahab & Babilonis* &c. dicitur: *Futurum est, ut nationes mundi adducant munera Regi Messiæ, sicut dictum est Cantici Canticorum 4. c. Munera dabis de capite Amana.* *Sequitur in eodem Ps. DEUS computabit, vel scribet in Scriptura populos, iste Natus,* (puta ille, de quo ibi dicitur: *Homo natus est in ea*) *ex illis populis, qui adducent munera Regi Messiæ, DEUS Sanctus & Benedictus adscribet eos cum Israël.* Hæc ibi. Et verificata sunt in D. JESU, quem Matt. 2. v. 11. Magi reges adoraverunt, eidemq; munera obtulerunt. Gal. ibid. col. 439. G.

II. Messias recens natus unà cum Matre sua SSma in Ægyptum fugiturus erat, ut in l. *Galerazeia* Rabbenu Haccados docet. Nam dum, inter cætera, quæreret ex eo Antoninus Consul: Quidnam significaret illud Ps. 79. (juxta jud. 80.) v. 9. *Vineam de Ægypto transtulisti*; secundùm hebr. *Vitem de Ægypto transferes?* Respondit: *Hic est Messias.* Cui cùm Consul diceret: *Ergo Rex Messias in Ægypto nasciturus est? Nonne in Bethlehem? ut dictum est apud Michæam 5. c. Et tu Bethlehem terra Ephrata, parvula es in millibus Juda, ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israël?* Respondit Rabbenu & dixit: *Fateor Regem Messiam in Bethlehem nasciturum. Sed dicit: Vitem de Ægypto transferes. Cum enim natus erit Messias, Herodes qui in Jerusalem regnabit, quæret eum ad necem. Revelatione autem Divina in Ægyptum fugere cogetur, ubi aliquamdiu morabitur, & postea in Jerusalem jussu DEI revertetur. Idcirco textus dicit: Vitem de Ægypto transferes. Propter Matrem verò suam: Et abacum quem plantavit dextera tua.* Consonat R. Moyses Hadarsan super Gen. 40. v. 9. *Videbam coram me vitem;* dicens: *Vitis bene disposita & ordinata est Messias, qui ex Ægypto transferendus erat.* Et in l. *Baracoth.* i. e. *Benedictionum.* B. Gal. l. 8. c. 4. col. 443. D. In hebr. sic est. Galat. ibid A. Galat. ibid. C.

ctionum. c. *Haroe makem*, i. e. *Qui videt locum*, dicitur: *Qui videt per somnium palmitem vitis, videbit, vel contemplabitur Messiam, de quo scriptum est Ps.* 80. *Vitem de Ægypto transferes.* Hæc ibi. Et impleta sunt in D. JESU Matt. 2. v. 13. & sqq.

C. III. Messias tribus annis cum dimidio prædicare, idq; maximè in monte, Oliveti, debuerat, ut in *Midras Tillim* R. Johanan dicit: *Tribus annis cum dimidio stetit præsentia DEI in monte Oliveti, dans voces ac dicens: Quærite DEUM dum inveniri potest, invocate eum dum prope est*, Id fecit D. JESUS, tribus annis cum dimidio, & sæpissimè in monte Oliveti, prædicando, ibidemq; Moysaicam Legem explicando, plurimaq; Evangelica præcepta & consilia edocendo, ut patet ex Matt. c. 6. & 7. *Item*: Post Passionem & Mortẽ Messiæ debuerat dari judæis ad pœnitentiam tempus quadraginta annorum, antequam extremum illorum sequeretur excidium, ut docet Rabenu Haccados l. *Gale razeia, ad* 8. *petitionem* dicens: *Quadraginta annis post Passionem suam DEUS destructionem prorogabit, ut videat an ad eum convertantur. - - - Accipiet autem DEUS numerum quadragenarium ratione illorum* 40. *dierum quibus factus homo, in peccato originali in utero matris ad membrorum compositionem moratur. Et quia Rex Messias venturus est ad relaxandum hoc delictum, ad inferendasq; animas in paradisum, ideó* 40. *annos expectabit, unũ annum pro unoquoque die. Quemadmodum exploratores quos missit Israël ad inquirendam terrã promissionis, & ad veritatem indagandam, 40. dies in itinere morati sunt, dicentes, quidquid DEUS dixerat falsum esse, ideò in eam ingredi nolebant. Omne id de Israël figuratum est, qui obloquetur Regi Messiæ, dicetq; falsas esse pollicitationes ejus de ipsis in paradisum inferendis. Et idcirco expectabit annos* 40.

Gal. l. 4. *c.* 18. *col.* 249. G.

Gal. l. 4. *c.* 24. *col.* 280. *A.*

sicut

sicut alios 40. præstolatus est Israël in deserto, ne in Jerusalem ingrederetur, annum unum pro quolibet die. Verumtamen sicut qui post illos venerunt, ingressi sunt Jerusalem inferiorem, qui corda non induraverunt, ut patres eorum; ita & illi qui sese nece Messiæ inficient, Jerusalem supernam non ingredientur, his exceptis, qui subsequentur, si ad eum se convertent. Hæc Rabbenu Haccados. Ad adimplevit hæcce D. JESUS ut fatentur omnes Historici, & Chronologi.

IV. Messias Romanum Imperium, totumq; orbem subijcere sibi debuerat; Nam dum Js. 26. v. 5. & 6. dicitur: *Incurvabit habitantes in excelso, civitatem sublimem humiliabit eam. Humiliabit usq; ad terrã; detrahet eam usq; ad pulverẽ. Conculcabit eam pes, pedes pauperis, gressus egenorum;* explicans id R. Samuel (quantumvis ipse perfidus) dicit: *Urbem sublimem humiliabit, id est Romam & Italiam: humiliabit inquam eam usq; ad terram; calcabit eam pes pedum pauperis, id est, Regis Messiæ, de quo dictum est Zach. 9. Pauper & equitans super asinam. Gressus egenorum, id est, Israël.* Ait. Et hoc quoq; innuitur Dan. 2. v. 31. & sqq. ubi dicitur, quòd Nabuchodonosor viderit per somnium statuam magnam, caput ex auro optimo, pectus & brachia ex argento, ventrem & femora ex ære, pedes autem, eorumq; digitos partim, ferreos, partim fictiles, habentem. Quam cùm abscissus lapis de monte sine manibus percussisset in pedibus ejus ferreis & fictilibus, omnia prorsus comminuit. Per hanc enim statuam (ut ibid. v. 37. & sqq. explicat Daniel) designantur quatuor regna magna, invicem sibi in orbe succedentia. I. Erat Chaldæorum seu Assyriorũ, per aureum caput statuæ designatum. II. Persarum, per pectus & brachia argentea denotatum. III. Græcorum, per ventrem æneum expressum. IV. Romanorum, per ferre-

D.

Gal. l. 4. c. 27. col. 286. E.

ferreos & fictiles pedes figuratum, quod omnia regna sibi subjecit, sicut ferrum omnia domat metalla. Per lapidem verò abscissum de monte sine manibus, qui statuæ pedes percutiens ipsam comminuit, designatur Messias, de Matre sua Virgine natus, ob quod dicitur *Lapis abscissus de monte sine manibus*, i. e. sine humanis amplexibus, qui Romanum imperium, omniaq; regna mundi sibi subjugaturus erat. Hocq; docet & Thalmud; nam in *Midras Tehillim*, super titulum Psalmi 17. (jud. 18.) scil. super illa verba: *In finem puero Domini David, qui locutus est Domino verba cantici hujus* &c. dicitur: *Quando Messias eum velocitate veniet, non erunt dicentes canticum - - - donec cadat coram ipso habens digitos, scilicet regnum nequam, id est Romanum, de quo dictum est Dan. 2. Et digiti pedum ex parte ferrei, & ex parte testacei.* Et R. Salomon super Js. 8. v. 14. *Et erit vobis in sanctificationem. In lapidem autem offensionis* &c. ait: *Erit Salvator Isräéli ad præparationem & ad lapidem offensionis. Et offendent in eum pedes statuæ ferrei & testacei, hoc est regnum Romanorum & judæorum.* Ait ille. Omnia autem hæc D. JESUS effecerat. Nam incurvavit habitantes in excelso, cùm Constantinus M. Imperator Romanus à S. Sylvestro Papa ad verum DEUM conversus, jugo Fidei Christi colla subdiderat, ac D. JESUM Creatorem & Salvatorem mundi, proindeq; Regem regum, & Dominum dominantium confitens, universum Romanum imperium sponte eidem subjecerat. Civitatem sublimem scil. Romam humiliavit, dum idem Imperator Romano Pontifici & Successoribus (ut c. Constantinus Dist. 9. habetur) Palatium Imperiale Lateranense, ipsamq; Urbem Romam donaverat, insignijs eum Imperialibus exornaverat, ac Bizantium imperij sedem transtulerat. Humiliavit eam

Gal. l. 4. c. 25. col. 282. E.

ibid. E.

usq;

usq; ad terram, detraxit eam usq; ad pulverem, cùm illa, una cum toto imperio, ac orbe, usq; ad pauperum & humilium Christi Vicariorum pedum oscula se Christo subdidit, ut verificaretur illud Js. 49. v. 23. dictum ad Ecclesiam: *Et erunt reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, &* (osculando pedes Pontificis) *pulverem pedum tuorum lingent.* Sicq; pes pauperis D. JESU, & gressus egenorum Apostolorum ejus Petri & Pauli conculcaverunt hanc civitatem sublimem, ac superbam illam statuam, scil. mundi imperia *Lapis abscissus de monte sine manibus* planè comminuit.

V. Messias, quòd vocari *JESUS* debuerat, & Mater Ejus *MARIA*, patet. Nam Rabbenu Haccados l. *Gale razeia* postquam dixisset Antonino Consuli, quòd quia Messias homines salvabit. vocabitur *JESUAH*, i. e. *JESUS*; (ut *in Demonstr. Art. XII. lit.* I. dixi) subdit: *Et propterea invenies hoc nomen JESUS designatum in textu Gen. 49. c. Non recedet sceptrum de Juda, in primis literis horum verborum: Javo silo velo Si enim acceperis primas literas harum dictionum, JESU eædem* literæ conficient. Hæc hic Magister sanctus. Simile est illud Psal. 149. v. 4. *Et exaltabit mansvetos in salutem*, loco enim hujus (teste D. Hier.) In hebr. est: *Exaltabit mansvetos in JESU.* Et illud Js. 26. v. 1. *Urbs fortitudinis nostræ Sion Salvator, ponetur in ea murus & antemurale*; nam hoc sic in hebr. legitur: *Urbs fortitudinis erit nobis JESUS, ponet muros & antemurale.* Quod etiam R. Salomon, in hunc locum, sic legit, licet (mira cæcitas!) in incredulitate sua finaliter perstitit. Quòd etiam Mater Messiæ *MARIA* vocari debuerat, citt. Rabbenu Haccados ad 3. *petitionem Antonini*, dicit: *Quòd autem interrogasti, quo nomine Prophetissa* (i. e. Mater Messiæ, quæ

E.

Galat. l. 3. *c.* 20. *col.* 154. C.

In Psal. juxta hæbraic. veritatem.

Galat. *l.* 4. *c.* 28. *col* 286. *E.*

Galat. *l.* 7. *c.* 13. *col.* 412. *B.*

ſiæ, quæ Iſ. 8. v. 3. *Prophetiſſa* vocatur) *vocetur?* *MARIA eſt nomen ejus. Ideóq; Iſaias cecinit 9. c. dicens: Quia Infans natus eſt nobis; & Filius datus eſt nobis. Et infra: Ad multiplicandum imperium, vel, principatum, ſive, ut multiplicetur imperium, vel principatus. Quæ verba ſignificant Meſſiam à DEO generandum eſſe, qui multiplicabit imperium, quia eſt Dominus totius orbis, naſceturq; ex MARIA Domina.*

Gal. l. 7. c. 2. col. 378. E.

Sic Rabbenu. Idem in eod. l. *Gale rezeia ad 6. Antonini Conſulis petionem* reſpondens docet, quòd propter JESUM & MARIAM DEUS mundum creaverat, aliàs non creaturus illum. Idq; probat per Cabalam ex Jer. 33. v. 25. ubi Dū in Vulg. legitur: *Si pactum meum inter diem & noctem, & leges cælo & terræ non poſui*; in hebr. eſt: *Niſi pactum meum* (ſupple: eſſet) *diem ac noctem, leges cælo & terræ non poſuiſſem.* Ubi poſitum in textu addct. *pactum*, hebr. *berith*, eundem numerum importat, quem, *JESUS & MARIA*, hebraicè, *JESU UMIRIAM.* Pro quo intelligendo *Scias*: Quòd hebræi numeros proprios non habeant, aſt tantùm eos literis alphabeti ſui exprimant, & ſic quævis litera aliquem etiam numerum apud eos ſignificat. Sic *Aleph*, A. ſignificat 1. *Beth*, B. 2. *Gimel*, G. 3. *Daleth*, D. 4. *He*, H. 5. *Vau*, V. 6. *Zain*. D. 5. 7. *Cheth*, Ch. 8. *Teth*, T. 9. *Jod*, I. conſonans, 10. *Caph*, C. 20. *Lamed*, L. 30. *Mem*, M 40. *Nun*, N. 50. *Samech*, S. 60. *Hajin*, H. 70. *Pe*, P. 80. *Tzade*, Tz. 90. *Kopb*, K. 100. *Reſch*, R. 200. *Schin*, Sc. 300. *Thau*, Th. 400. Cùm ergo Cabaliſtæ in aliquo verbo Script. numerum eundem cum numero alicujus alterius verbi deprehendunt, multùm eum appretiant, ex eoq; aliquod myſterium latens eruunt. In propoſito itaq; *berith*, ſcil. *pactum*, continet numerum 612. ſcribitur enim literis, *Beth*, *Reſch*, *Jod*, *Thau*, quæ literæ conti-

continent numerum 612. nempe, *Beth*, 2. *Resch*, 200 *Jod* 10. *Thau*, 400. Quæ omnia faciunt 612. Eundē quoq; numerū habet, *JESU UMIRIAM*, i. e. *JESUS & MARIA*, his literis enim scribitur, *Jod*, *Schin*, *Vau*, iterum *Vau*, *Mem*, *Resch*, *Jod*, *Mem*. Quæ omnes simul sumptæ literæ numerum illum exprimunt. Nam *Jod* exprimit 10. *Schin*, 300. *Vau*, 6. iterum *Vau*, 6. *Mem*, 40. *Resch*, 200. *Jod*, 10. *Mem*, 40. Quæ in summa faciunt 612. & apud hebræos ratione arithmetica & cabalistica eundem numerum important, quem & *Berith*, i. e. *Pactum*. Hinc illorum verborum Jer. 33. *Nisi pactum meum* (esset) *diem ac noctem*, *leges cælo & terræ non posuissem*, Sensus Cabalisticus est: *Nisi decrevissem JESUM quà Hominem*, *& MARIAM creare*, *non creassem mundum*. Addo: Quòd etiam Pater Matris Messiæ habiturus erat nomen *Joachim*, seu (ut hebræi dicunt) *Jehoiakim*, prædixit Rabbenu Haccados, loc. citt. *ad* 3. *Antonini Consulis petitionem*, dicens: *Quod autem petisti, cujus esset filia* (Mater Messiæ, de qua ibi) *ex quave tribu? animadvertere debes Parentem ejus duplex habiturum nomen, unum Eli, alterum Jehoiakim. Et Eli quidem, quod est nomen derivativum, ostendit eum ad sublimem gradum ascensurum. Jehoiakim verò, quod est nomen compositum, significat DEUM in manu ipsius suscitaturum salvationem Israëlis maximam.* Ait.

Gal. l. 7. c. 12. col. 408. C.

Ad ARTIC. XIII. & XIV. *De Passione D. Jesu.*

I. In illo, de venditione D. JESU, Amos 2. v. 6. *Super tribus sceleribus Israël* &c. *pro eò quòd vendiderit pro argento Justum*; *in* in hebr. loco ly: *vendiderit*, ponitur: *michram*, quod verbum est æquivocum, & tam mercationem seu emptionem, quam venditionem significat. Hinc ad A.

Gal. l. 4. c. 24. col. 276. C.

ad refellendos judæos, qui id dici negant de venditione Domini JESU, eò quod tribus Juda D. JESUM non vendiderit aſt emerit, (præter dicta *in Demonſtr. Art. XIII. lit.* Hh.) poteſt textus ille ex hebr. ſic legi: *Eò quòd mercatus fuerit, ſeu emerit pro argento Juſtum.* Dum autem hìc aliqui judæorum dicunt, non *Juſtum* legi debere, aſt, *juſtitiam*, ut ſenſus ſit, quòd iniqui judices Iſráëlis corrupti pecuniâ pauperum hominum juſtitiam paſſim venderent. Falſum dicunt. *Nam:* Juſtus & juſtitia apud hebr. diverſa ſunt nomina, cùm juſtus *tzadic*, juſtitia verò, *tzedec* dicitur. Textus autem hìc non habet *tzedec*, i. e. *juſtitiam*, aſt *tzadic* i. e. *Juſtum*, qui non alius eſt niſi D. Noſtre JESUS, ut *in Demonſtr.* deduxi Si autem quæras: Quiſnam ſit hic pauper quem Propheta dicit eſſe pro calceamentis venditum? Dico, illum eſſe huncce D. N. JESUM Salvatorem; hic enim pauper (qui ſic Zach. 9. v. 9. vocatur) tam vili pretio venditus eſt & emptus ut illud (prout hìc citt. Galatin. inquit) vix pro emendis calceamentis ſufficeret.

Galat. ibid. col. 277 D.

B. II. Quòd D. JESUS Meſſias erat liberè ſe paſſioni & morti oblaturus, à judæisq; affligendus, cruciandus, acetoq; potandus, ipſimet veteres Thalmudiſtæ teſtantur. Nã R. Moyſes Hadarſan, in *expoſit. Geneſ.* ſuper illud Gen. 1. v. 3. *Fiat lux, & facta eſt lux;* inducit DEUM ad Meſſiam loquentem: *Meſſia, Juſte mì, iſti, qui reconditi ſunt apud te, hujuſmodi erunt, quod futurum eſt, ut peccata eorum inducant te in jugũ grave. Oculi enim tui non videbunt lumen, & aures tuæ audient opprobrium magnum. Naſus tuus odorabit fætorem, & os tum guſtabit amaritudinem, ad hærebitq; lingva tua palato tuo, & hærebit cutis tua oſsibus tuis attenuabiturq; fortitudo tua à luctu & gemitu. Eſtne ergo voluntas tua in eis? Si*

Gal. l. 8. c. 11. col. 46. C.

is? Si enim tu super te hæc susceperis, bene quidem erit. Sin autem, ecce ego abigam ea ex nunc. Respondit coram eo Messias: Domine mundi, ego quidem lætus suscipio super me tribulationes istas, sive tormenta, eô tamen pacto, ut tu in diebus meis vivifices mortuos, & eos qui à primo Adam usq; ad illud tempus mortui fuerint. Et non eos tantùm salves sed etiam illos qui à lupis & leonibus devorati fuerint, ac illos quos in æquoribus & fluminibus submergi contigerit. - - - Dixit ei Deus Sanctus & Benedictus: Concedo. Protinus igitur suscepit ex dilectione super se Messias tormenta omnia, & tribulationes, sicut scriptum est Is. 53. c. Oblatus est, & ipse afflictus. Ait. *Item*: Illud Deut. 32. v. 18. *DEUM qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini Creatoris tui*; R. Salomon, in Glossa, sua, sic explicat dicens: *DEUM, qui te nasci fecit, vel, qui te genuit, debilitabis, vel affliges, & obliviseeris DEUM vulneratum, vel occisum, vel afflictum, vel doloratum.* Idem in terminis in l. *Siphre* habetur. *Item*: L. *Sanhedrin.* c. *Helec.* dicitur: *Dixit R. Ula: Veniat Messias, & ego non videam eum. Dixit R. Joses, Veniat, & utinam dignus sim, ut sedeam in umbra caudæ asinæ ejus. Dixit Abbàie ad Rabba: Quæ est causa, ob quam non vis eum videre? Numquid propter passionem, vel tribulationem ipsius.* *Item*: Super illud Ps. 88. (jud. 89.) v. 52. ubi est in Vulg. *Quod exprobraverunt inimici tui Domine, quod exprobraverunt commutationem Christi tui;* in hebr. verò. *Quod exprobraverunt talos Messiæ tui*; R. Moses Hadarsan explicans illud Gen. 39. v. 12. dictum de Joseph: *Fugit, & egressus est foras*, dicit: *Dixit David: Quemadmodum ego non dixi canticum, donec fui exprobratus, vel, vilipensus, sic filij Israël non sunt dicturi canticum, cùm venerit Rex Messias, donec ipse fuerit exprobratus, vel vilipensus, vel vituperatus, sicut scriptum est: Quod exprobraverunt inimici tùi DEUS, quod*

Gal. l. 8. c. 10. col. 457. D.

Galat. ibid. G.

Gal. ibid. col. 458. B.

Gal. l. 8. c. 13. col. 464. D.

exprobraverunt tales, id est, extrema, vel finem Messiæ tui. Ait.
Galat. l. 8. c. 19. col. 481. F. *Item*: In *Midras Ruth*, super illud Ruth 2. v. 14. *Comede panem, & intinge, buccellam tuam in aceto;* dicitur: *Loquitur de Rege Messia: Accede huc, id appropinqua ad regnum. Et comedes de pane, iste est panis regni. Et tinges frustum tuum, vel buccelam tuam in aceto: hæ sunt passiones, vel, tormenta Messiæ, de quo dictum est Isai. 53. Et ipse vulneratus est, vel occisus est, propter culpas nostras, contritus propter peccata nostra.* Hæc ibi.

C. III. Quod If. 53. per totum caput, sit prophetia de vero Messia pro peccatis mundi passuro, non autem de aliquo alio, ipsimet Thalmudistæ fatentur. Nam R. Moses Hadarsan, in *Expos. Genesis*, super illud Gen. 24. v. 67. *Introduxit eam* (scil. Isaac Rebeccam) *in tabernaculum Saræ matris suæ*, dicit: *Hic est Rex Messias, qui fuit in generatione impiorum, & reprobavit eos, & elegit DEUM Sanctum & Benedictum, & nomen sanctum ejus, ut coleret eum toto corde. Deditq; cor suum ad petendas miserationes pro Israël, & ad jejunandum, & ad humiliandum se pro eis; sicut dictum est Isai. 53. c. Et ipse vulneratus est propter culpas nostras, contritus propter peccata nostra Disciplina pacis nostræ super eum. Cumq; filij Israël fuerint peccantes, ipse exorabit pro eis. Quemadmodum dictum est Isai. eodem cap. Et in livore ejus medicatum est nobis.* Ait. Et in l. *Sanhedrin. c. Helec.* legitur, à domo, h. e. à discipulis *Rab.* dictum esse, quòd nomen Messiæ sit *Langvidus*, juxta illud Isai. 53. c. *Verè langvores nostros ipse tulit, & dolores nostros sustinuit.* Sic ibi. Huc spectat illud R. Mosis Hadarsan, super Gen. 1. v. 3. & illud in *Midras Ruth*, super Ruth. 2. v. 14 hìc non longè supra *lit.* B. adduxi. In imo enim loc. ex hoc Isaiæ cap. v. 7. juxta hebr. scil. ille: *Oblatus est, & ipse afflictus*

Galat. l. 8. c. 15. col. 472. B.

Galat. ibid. D.

afflictus, applicatur Messiæ; in 2do verò, ille v. 5. *Et ipse vulneratus est, vel occisus est propter culpas nostras, contritus propter peccata nôstra.* Per quod innuitur prophetiam illam de Messia debere intelligi. *Addo:* Isaac ligna holocausti portantem, figuram fuisse D. JESU Crucem suis humeris bajulantis in *Beresith katenna*, i, e. *exposit. minori l. Genesis*, super Gen. 22. v. 6. legitur, ubi dicitur: *Et accepit Abraham ligna holocausti, & posuit ea super Isaac filium suum; sicut Iste, hoc est D E U S, qui bajulat Crucem suam super scapulam suam.* Pariter illud Thren. ult. v. 20. *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris*, quòd intelligi debeat de Messia, non autem de quopiam alio, patet ex *Midras tehillim*, super illud Ps. 19. (jud. 20.) v. 2. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis*, ubi dicitur: *De hoc insuper Jeremias, ultimo Thren. o. sic ait: Spiritus oris nostri Messias Jehova captus est in retibus, vel corruptionibus eorum.*

Ad ARTIC. XV. & XVI. *De descensu Christi ad Limbum pro liberandis Patribus, Illiusq; Resurrectione, in cælum Ascensione, ad dexteram Patris Sessione, ac spiritûs S. Missione.*

I. Quò ad 1mum. l. *Gale razeia*, i. e. *Revelator arcanorum*, scribitur, quòd cùm ex Rabbenu Haccados Antonius Consul quereret, quid sibi velit illud Thren. 3. v. 1. & 2. *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus. Me minavit, & adduxit in tenebras, & non in lucem?* Respondit Rabbenu: *Hic est DEUS Sanctus & Benedictus, qui ait: Ego sum Vir, qui vidi paupertatem. Me minavit, & adduxit in tenebras, & non in lucem. Hic itidem DEUS San-*

A. *Gal. l.* 8. c. 21. col. 487. B.

US Sanctus & Benedictus est, qui dixit: Decrevi descendere ad inferos, ad redimendas animas justorum, quas in virga indignationis suæ Pater meus qui est in cælis, illuc detrudit propter peccatum Adæ. Et in eodem lib. *ad 6tam Antonini Consulis petitionem*, respondens idem Rabbenu Haccados, adducit R. Simeonem filium Jochai, in l. *Mechkar hassodeth*, i. e. *investigatio secretorum*, de Messia dicentem: *Tunc Anima Ejus* (post mortem) *descendet ad inferos, apud quos triduo morabitur, ut inde omnes animas Patrum justorumq; educat, sicut dictum est Gen. 47. c. Ego descendam tecum in Ægyptum, & ego inde educam te, Et faciet DEUS Sanctus & Benedictus ut eos in paradisum deducat. sintq; læti in gloria DEI, juxta illud Hoseæ 6. c. Visitabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & vivemus ante faciem ejus.* Hæc ille.

B. II. Quò à 2dum. R. Moses Hadarsan, in *Expos. l. Genesis*, super illud Gen. 22. v. 4. *Die autem tertio, elevatis* (Abraham) *oculis, vidit locum procul*, ait: *Hoc est, quod scriptum est Hoseæ 6. c. Visitabit nos post duos dies, in die tertio suscitabit nos. Et vivemus ante faciem ejus, & sciemus, ut sequamur ad cognoscendum DEUM. In die tertio, id est, triduo, sicut scriptum est Gen. 42. c. Et dixit eis Joseph; In die tertio. In die vero tertio dationis Legis, juxta illud Exod. 16. Et fuit in die tertio facto manè, & fuerunt voces & fulgura. In die autem tertio exploratorum, sicut dictum est Jehosuæ* (i. e. Josuæ) 2. *Et abscondimini ibi tribus diebus. In die quoq; tertio Jonæ, juxta illud: Fuit Jonas in visceribus piscis tribus diebus, & tribus noctibus. In die etiam tertio ascendentium de captivitate, sicut dictum est Ezræ* (i. e. Esdræ) 8. c. *Et castrametati sumus ibi diebus tribus. In die demum tertio vivificationis mortuorum, juxta illud Hoseæ 6. c. dictum: Vivificabit nos post duos dies in die tertio suscitabit nos, & vivemus ante*

Galat. l. 8. c. 22. col. 490. A.

faciem

faciem ejus, quæ est Rex Messias. Ait. ibi pluribus Script. figuris Christum è tumulo tertio die resurrecturum, nosq; omnes in novissimo die à mortuis suscitaturum ostenditur, resurrectio enim Ejus est causa efficiens & exemplaris futuræ ad vitam beatam resurrectionis nostræ. Idem R. Moses Hadarsan in l. *Mechilta*, super illud Ps. 29. (hebr. 30.) v. 6, *Quoniam ira in indignatione ejus: & vita in voluntate ejus* &c. dicit: *Hoc dictum est de Messia Justo nostro. Quoniam erunt in momento mors & vita ejus pro voluntate sua, ad dandum aliis, & ad recipiendum in semetipso. Et huic conjungitur illud immediatè in eodem Ps. sequens: Ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum cantus; quando enim alicui inferet mortem, flebunt super illum, & vitam restituet eum, canticum canent. Cum autem ipse morietur, tristes erunt de morte ejus omnes sectatores nominis ejus, & cùm ad vitam redibit, sive cum resurget, gaudebunt & canent.* Consonat ei Rabbenu Haccados, in toties citt. l. dicto, *Gale razeia*, i. e. *Revelator arcanorum*, inquiens: *Post triduum verò Anima Messiæ ad Corpus suum revertetur, & exibit ex illo lapide quo erit sepultus, sicut dictum est Exod. 33. c. Ecce locus apud me, stabis supra petram, cùmq; transierit gloria mea ponam in foramine petræ.* Hæc Rabbenu. *ibid. C.* *ibid. col. 491. A.*

C.

III. Quò ad 3tium. Rabbenu Haccados l. Gale razeia, quòd Messias cælum erat ascensurus, ad dexteramq; Patris sessurus, clarissimè docet inquiens: *Versabitur autem Messias post Resurrectionem suam cum justis, qui andient præcepta ejus, 40. diebus, in figuram illorum 40. dierum quibus erit in deserto ad affligendam animam suam, antequam eum occidant. Et his peractis ascendet in cælum, sedebitq; ad dexteram DEI, sicut dictum Ps. 110.* (in Vulg. 109.) *Dixit DEUS Domino meo: Sede ad dexteram meam.* Et in *Midras tehillim,* *Galat. l. 8. c. 23. col. 493. F.* *Galat. l. 8. c. 24. col. 495. D.*

billim, super illud Ps. 2. v. 6. *Ego autem constitutus sum Rex* &c. dicitur: *Narrata sunt mysteria ejus, scilicet Regis Messiæ in Scriptura Legis, ut illud Exod. 4. Filius meus primogenitus Israël. In Scriptura Prophetarum, ut illud Isai. 52. Ecce intelliget Servus meus, exaltabitur, & elevabitur. In hagiographis, ut illud Ps. 110.* (in Vulg. 109.) *Dixit DEUS Domino meo, sede ad dexteram meam.* In eodem *Midras tebillim*, super illud Ps. 17. (jud. 18.) v. 36. *Et dedisti mibi protectionem* &c. dicitur: *Futurum est, ut DEUS Sanctus & Benedictus sedere faciat Regem Messiam ad dexteram suam, sicut dictum est Ps. 110. Dixit DEUS Domino meo: Sede ad dexteram meam.* Idem habet in terminis R. Moses Hadarsán, in *Exposit. Genesis*, super illud Gen. 18. v. 1. *Apparuit autem ei Dominus in convalle Mambre.*

D. IV. Quod ad 4tum. In l. *Tanhuma*, super illud Num. 15. v. 40. *Sintq; sancti DEO suo*, dicitur: *Dixit Dominus Israëli: In sæculo isto per manum ietser bara* (i. e. fomitis, vel, peccati originalis) *vos estis à præceptis meis saparati; sed in futuro, in diebus Messiæ, ego evellam à vobis ipsum: sicut dictum est Ezech. 36. & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & Spiritum meum ponam in medio vestri.* Et Rabbenu Haccados l. *Gale razeia*, *ad 6tam Antonini Consulis petitionem*, pro more suo clarissimè inquit: *Post dies verò decem, à sua scilicet Ascensione, ad perfectionem quinquaginta dierum, mittet Spiritum Sanctum de cælis super justos, ut in Fide ejus confirmentur, Moxq; illis præcipiet, ut eant, doceantq; omnes homines Legem ejus. Quemadmodum dictum est Ezech. 36. Et Spiritum meum dabo in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis & judicia mea custodiatis, & faciatis ea. Horum autem quinquaginta dierum figura fuerunt illi quinquaginta dies, quibus Israël agnum Paschalem occidit, & exiit*

Galat. l. 8. c. 25. col. 495. B.

Galat. l. 8. c. 25. col. 496. A.

de terra

de terra Ægypti, in quibus DEUS Sanctus & Benedictus misit Spiritum Sanctum super eos, deditq; eis Legem sanctam, ut essent firmi in Fide ejus; sicut scriptum est Exod. 19. Jam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem, & credat tibi in perpetuum. Hæc Magister noster sanctus.

Ad ARTIC. XVII. & XVIII. *De Ecclesia à Christo fundanda, de Apostolis, de instituendo Baptismate, ac Sacrificio, & Sacramento Eucharistico.* A.

I. Quò ad 1mum & 2dum. Illud Zach. 6. v. 12. *Ecce Vir Oriens nomen ejus: & subter eum orietur, & ædificabit templum Domino; Targum,* i. e. *Translatio Chaldaica,* magnæ apud Judæos authoritatis, sic explicat: *Ecce Vir, Messias est nomen ejus. Futurum est, ut revelet se, & multiplicabitur, & ædificabit templum DEI.* Et R. Ishac Arama in Gen. c. 47. scribens, adducit R. Saul dicentem: *Verbum ejus* (i. e. DEI) *venit sanare omnes in universum, non tantùm aliquos, & in parte; verùm non fuit receptum, nisi ab aliquibus particularibus, qui censebantur inter omnes crassioris ingenij, viri Piscatores, exercentes se in mari. Et hoc est, quod dictum est: Conscendentes in mare navibus, facientes opera in aquis magnis, ipsi viderunt opus DEI. Illi profectò; si rectè consideres, non videbantur apti posse admittere quidquam intellectivum sive quod ad intellectum pertinet, ob ruditatem sensus sui. Illi inquam receperunt veritatem prophetiæ & visionis, quoniam crediderunt Verbo ejus. Et hoc est, quod scriptum est: Credidit DEO, & reputatum est illi ad justitiam.* Hæc ibi.

Galat. l. 5. c. 10. col. 310. C.

Galat. l. 3. c. 5. col. 118. F. & col. 119. D.

Psal. 106. jud. 107. v. 23. & 24.

B.

II. Quò ad 3tium, de Baptismo. *In Beresith ketanna,* i. e. in *Expositione minori lib. Genesis,* super illud Gen. 49. v. 11.

Gal. l. 10. c. 2. col. 534. B.

v. 11. *Ligans ad vineam pullum suum, & ad palmitem, fili mi, asinam suam*; dicitur: *Hic est ille, de quo scriptum est Zach. 9. c. Et equitans super asinam, & super pullum filium asinarum, & ipse est, qui plantabit totum Israëlem, sicut soreca*, (i. e. palmitem) *sicut scriptum est Jer. 2. c. Et ego, plantavi te palmitem totum semen veritatis. Et quomodo ipse aget? Ut dictum est Ezech: 36. c. Et spargam super vos aquas mundas* (in baptismate) *& mundabimini ab omnibus immunditijs vestris.* Et

Gal. l. 10. c. 2. col. 536. F. in *Midras Cobeleth*, i. e. *Exposit. l. Ecclesiastæ*, super illud Ecclæ 1. v. 9. *Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est*, R. Berachias, ait: *Quemadmodum Redemptor primus* (puta, Moyses, qui redemit seu liberavit Israël de servitute Ægypti) *fecit ascendere puteum*, (Num. 20. v. 11.) *ita Redemptor ultimus, qui est Messias, ascendere faciet aquas, sicut dictum est Joelis ult. c. Et fons de domo DEI exibit, & rigabit torrentem, vel vallem, vel planiciem Setim.* Et in l. *Jo-*

Gal. l. 10. c. 2. col. 533. G. *ma*, i. e. *dierum*, Jerosolimitano, *c. iom hakippurim*, i. e. *dies propitiationum*, dicitur: *Scriptum est Jer. 17. c. Congregatio* (in Vulg. est: Expectatio) *Israëlis DEUS. Quemadmodum enim congregatio, vel, pelagus aquarum mundificat pollutos, ita DEUS Sanctus & Benedictus erit mundans in futuro Israëlem. Sic enim ipse dicit Ezech. 36. c. Et spargã super vos aquas mundas, & mundabimini ab omnibus immunditijs vestris, & ab omnibus spurtitiis vel inquinamentis vestris mundabo vos.* Consonat huic R. Akiba, in l. *Joma*, Babilonico, c. *iom hakippurim*, dicens: *Beati vos Israël coram illo, à quo mundati eritis. Et quis mundabit vos? Pater vester, qui est in cælis, de quo dictum est Ezech. 36. c. Et spargam super vos aquas mundas, & mundabimini. Et iterum apud Jer. 17. c. Manipulus, vel, congregatio aquarum Israëlis DEUS. Quemadmodum enim manipulus, vel, congregatio aquarum mundificat immundos,*

ita DEUS

ita DEUS Sanctus & Benedictus mundabit Israël. Hæc Ibi.

III. Quò ad 4tum: R. Cabana super illud Gen. 49. v. 11. & 12. quod in hebr. est: *Ligans ad vitem civitatem suam, & ad palmitem, ô fili mi, asinum suum. Lavabit in vino vestem suam, & in sangvine uvæ pallium suum. Rubriores sunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores*; sic ait: *Hæc verba, ligans ad vitem civitatē suam, ostendunt, quòd Sacrificium, quod fiet ex vino, non solum transmutabitur in substantiam Sangvinis Messiæ, sed etiam convertetur in substantiam Corporis ejus. Verba autem illa; Et ad palmitem, ô fili mi, asinum suum significant quod Divinitas & DEI Filius unietur asino, id est materiæ suæ; quoniam hamor, id est asinus, materialis interpretatur. Quemadmodum etiam asinus fert onera & vestes viatorum, ita Rex Messias delicta totius orbis super se portabit, juxta illud Isai. 53. c. Et DEUS obviare fecit in eo peccatum omnium nostrûm. Cùm autem dicitur: Lavabit in vino vestem suā, & in sangvine uvæ pallium suum; eadem est sententia diversis verbis; quoniam vestis dicit materiam, sicut dictum est Job 10. c. Pelle & carne vestisti me. Et in sangvine uvæ pallium suum, id est, Divinitatem suam; quia sicut pallium totum hominem circumdat, ita DEUS totum replet mundum. Rubriores sunt oculi Ejus vino, & dentes ejus lacte candiores; hoc est, in Sacrificio quod fiet ex Pane, non obstante quòd album sit velut lac, convertetur substantia in substantiam Corporis Messiæ, eritq; in ipso Sacrificio substantia Sangvinis Messiæ rubra ut vinum. Erunt item in Sacrificiò vini Sangvis & Caro Messiæ, & eadem erunt in pane; quoniam Corpus Messiæ non potest dividi, idq; ratio postulat. Nam si Caro & Sangvis divisa essent, distingverentur ab invicem, Corpus autem Messiæ non potest dividi, sicut scriptum est Exod.* 12. (v. 46.) *Et substantiam* (in Vulg. est: Os) *non confringetis in eo. Præterea caro sine sangvine, & è converso, sunt*

C. Gal. l. 10. c. 17. col. 345. D.

so, sunt res mortuæ: Corpus verò Messiæ post Resurrectionem quia glorificatum erit, semper vivet. Et hinc est dictum illud: David Rex Isràël in sæculum vivit. Oculi autem & dentes ideò dixit, ut venustior fiat oratio, & sensus occultetur. Adusq; R. Cabana, longe ante Christum vivens, tamen mysterium Eucharisticum (imò & aliqua alia) contra Hussitas, Lutheranos, Zvinglianos, Calvinistas, aliosq; hæreticos tam expressè edisserens. Consonat ei R. Johai super
Gal. l. 10. c. 6. col. 544. D. illud Num. 28. v. 2. & 3. *Præcipe filijs Isràël, & dices ad eos: Oblationem meam & panes, & incensum odoris suavissimi offerte per tempora sua. Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis: Agnos* &c. dicens: *Tempore Messiæ omnia sacrificia deficient, Sacrificium vero Panis & Vini nunquam deficiet. Sacrificium quidem Vini; sicut scriptum est Gen. 49. c. Ligans ad vitem civitatem suam, id est Corpus suum, corpus enim civitas est animæ. Item alibi scriptum est scilicet Judicum 9. c. Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat DEUM & homines? Et si homines quidem lætificat, DEO autem in quo lætitiam affert? In Sacrificio, quod de ipso fiet. Sacrificium verò Panis nunquam defecturum esse ex eo apparet, quòd dictum est Ps. 72.* (in Vulg. 71. v. 16.) *Et erit placenta frumenti in*
Gal. l. 10. c. 7. col. 547. C. *terra in capite montium.* Et subdit idem ibidem: *Oblationem meam|Panis mei, ad ignes odoris suavitatis meæ respicietis ad offerendum mihi in tempore suo, id est, in tempore Messiæ. Et dices ad eos: Sacrificia quæ offerre debetis, Agnus, cum reliquis. Hoc est Sacrificium quod in præsentia facitis. Erit autem hic Panis duarum facierum; de quo scriptum est Exod. 25. Panis facierum coram me semper. Quare autem dicatur Panis facierum? ratio est, quia, ut ait R. Judas, transmutabitur ex substantia panis, cùm sacrificabitur, in substantiam Corporis Messiæ, qui descendet de cælis. Et ipse idem erit Sa-*

rit Sacrificium. *Ideò dicit: Respicietis ad offerendum mihi, id est, offerri Me. Eritq; invisibilis atq; impalpabilis; cujus rei fidem facit sedes Eliæ. Et Magistri ajunt, eam ob rem dictum esse Panem facierum, quia in ipso Sacrificio erunt duæ Substantiæ, Divinitas & Humanitas.* Sic ille. Et R. Berachias super illud Ecclæ 1. v. 9. *Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est*, in *Midras Coheleth*, scribens inquit: *Quemadmodum fuit redemptor primus id est, Moyses, ita erit Redemptor ultimus* (Messias) *Sicut enim redemptor primus fecit descendere manna, sicut dictum est Exod. 16. c. Ecce ego pluam vobis panem de cælo, ita quoq; Redemptor ultimus id est Messias, erit placenta frumenti in terra.* Et R. Moses Hadarsan in *Commentarijs super illud Ps.135.* (jud 136.) v. 35. *Qui dat escam omni carni*, ait: *Hoc est, quod dictum est Ps. 34. Gustate & videte, qvoniam bonus est DEUS, quia Panis, quem dat omnibus, ipse est Caro Ejus.* Ait. *Adde*: R. Pinhas filium Iair, Rabbenu Haccados, & alios, quos ex aliis Authoribus *in Demonstratione* adduxi, & quos in hoc libro 10. Galatinus affert c. 6. 8. & 4.

Gal. l. 10. c. 5. col. 541. C.

Gal. l. 10. c. 7. col. 545. A.

Ad ARTIC. XIX. *De Gentibus loco judæorum à DEO eligendis, diligendis, Israëlq; vocandis.*

A.

I. Quòd loco judæorum Gentes erant à DEO in populum ejus eligendæ, patet ex Zach. 2. v. 11. *Et applicabuntur Gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum.* Quod R. Jonathas in *Targum*, sic Chaldaicè transtulit: *Et addent se populi multi ad populum DEI in tempore illo, & erunt coram me in populum.* Quòd autem hìc dicunt judæi, tunc Gentes esse addendas, non ut sint populus

Gal. l. 9. c. 12. col. 521. F.

pulus DEI, ast ut judæis serviant. *Falsum dicunt.* Nam expressè dicit hìc DEUS: *Et erunt mihi in populum:* Tunc ergo Gentes applicandæ erant ad Dominum, ut essent populus DEI, non ut judæis servirent; aliàs posset etiam quisquam dicere quòd dum Levit. 26. v. 12. de judæis dicitur: *Ambulabo inter vos, & ero DEUS vester, vosq; eritis populus meus;* sensum hujus non esse, quòd judæi futuri sint populus DEI, ast quòd sint servituri Gentibus. Hinc in *Massecheth bicurim*, i. e. In *libro primitiarum* dicitur: *Quod scriptum est Gen. 17. c. Non erit ultra nomen tuum Abram, sed erit nomen tuum Abraham, quia patrem multitudinis Gentium dedi te. In principio enim fuit pater Aram, idèó vocatus fuit Abram. Deinde verò pater totius mundi, & nomen ejus idcirco dictum est Abraham.* Et clarius ad huc R. Rahmon super illud Jem. 31. c. dictum: *Et seminabo domum Isràël & domum Juda semen hominis, & semen bestiæ. Semen hominis; hi sunt Isràël, sicut dictum est Ezech. 34. Et vos oves meæ, & oves pascui mei homines estis vos. Et de ipsis DEUS Sanctus & Benedictus ait Isai. 65. Et educam de Jacob semen. Quod autem sequitur: Et semen bestiæ; isti sunt conversi Gentium, de quibus dicitur Jehosoæ* (i. e. Jesue) *ult. c. Et bestia multa. Et apud Job 18. c. dixit Bidad Suites: Quare reputati sumus sicut bestia? Et de eis ipse ait Zach. 2. Canta & lætare filia Sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui ait DEUS Et applicabuntur Gentiles multi, & erunt mihi in populum. Super Isràël autem, & super Gentes sæculi loquitur Scriptura apud Zach. 8. c. dicens: Quoniam ante dies illos merces hominis non erat, & merces bestiæ non erat, & egredienti, vel venienti non erat pax à tribulatione, vel, à tribulante. Ante dies illos, vult dicere: Ante dies Messiæ quoniam in diebus Messiæ pax erit longinquo & propinquo, sicut dictum est Isai. 57. Creans*

Gal. l. 10. c. 12. col. 522. C.

fructum

fructum labiorum pacem, pacem longinquo & propinquo, ait DEUS, & sanavi eum. De ipso quoq; Scriptura ait Zach. 9. Et loquetur pacem Gentibus. In illa enim hora pax erit egredienti de hoc sæculo per viam pœnitentiæ, & ingredienti, vel, venienti ante DEUM Sanctum & Benedictum, cum operibus bonis & eleemosynis, sicut dictum est Prov. 14. Justitia exaltat Gentem, & misericordia erit Gentibus contra peccatum. Adusq; R. Rahmō.

II. Quod Gentes erant à DEO diligendæ, patet I. *Mechilta* super illud Exod. 22. v. 21. *Advenam non contristabis* &c. ubi R. Simeon inquit: Ipse DEUS ait Judic. 5. c. *Et diligetis eum* (puta Gentilem ad verum DEUM conversum) *velut egressum solis in virtute sua. Quis enim major est de duobus, illene qui regem diligit, an is quem rex diligit. De quo dictum est Deut. 10. DEUS magnus, fortis, & terribilis, qui non accipit facies, id est personas, nec recipit munus, facit judicium pupillo & viduæ, & diligit Gher, id est conversum ex Gentilibus, ad dandum ei victum & vestitum. Dilecti quoq; sunt advenæ, id est conversi, in omnibus enim denominatur, vel describitur ipse Gher, id est conversus, sicut Israël. Nam Israël quidem vocantur servi DEI; vocantur etiam Hagherim, id est conversi, servi DEI, sicut dictum est Isai. 56. Ad diligendum nomen DEI, ut sint ei in servos. Vocati sunt etiam Israël ministri DEI, sicut dictum est apud Isaiam 61. c. Ministri DEI nostri dicetur vobis; & advenæ quoq; id est, conversi, ministri DEI vocantur, sicut dictum est Isai. 56. Et filios alienorum applicatos ad Dominum, ad ministrandum ei. Vocati sunt quoq; Israël dilecti, sicut dictum est Malach. 1. c. Dilexi vos, ait Dominus; vocantur & Gherim, id est, conversi, dilecti, juxta illud Deut. 10. c. dictum: Et diligit Gher, id est conversum, ut det illi victum & vestitum.* Hæc ibi. Imo omnes præeminentias ac dignitates, quæ datæ Israëli erant, esse ab eo ablatas, &

B. *Galat. l. 9. c. 13. col. 523. G.*

C. *Galat. l. 9. c. 14. col. 526. F.*

tas, & in Gentes translatas, ipsimet Thalmudistæ fatentur, in *Midras tehillim*, super illud Ps. 74. (jud. 75.) v. 11. *Et omnia cornua peccatorum confringam: & exaltabuntur cornua justi.* dicentes: *Cornu non est dictum, sed cornua. Decem enim cornua sunt, quæ DEUS Sanctus & Benedictus dedit Israëli. Cornu videlicet Abrahæ, de quo dictum est Isai. 9. Vinea fuit dilecto meo in cornu filij olei. Cornu Isbac,* (i. e. Isaac) *de quo scriptum est Gen. 22. Et ecce aries unus retentus in densitate per cornua sua. Cornu Joseph, id est cornu regni, de quo dicitur Deut. 24. Et cornua rhinocerotis cornua ejus. Cornu Mosis, de quo dictum est Exod. 34. Quia cornuta erat cutis faciei ejus. Cornu prophetiæ, de quo dictum est 1. Reg. 1. Et oravit Hanna & dixit: Exultavit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum. Cornu Legis, de quo dicitur Habac. 3. c. Et duo cornua de materia ejus ei. Cornu Sacerdotij, de quo legitur in Ps.* 112. (in Vulg. 111.) *Cornu ejus exaltabitur in gloria. Cornu Levitarum, de quo dictum est 1. Paral. 25. Omnes isti filij Heman videntis regem in verbis DEI, ad exaltandum cornu. Cornu Jerusalem, de quo dictum est Ps.* 22. (in Vulg. 21. v. 22.) *Et à cornibus unicornium exaudisti me. Et cornu Regis Messiæ, de quo dicitur 1. Reg. 2. c. Et dedit fortitudinem Regi suo, & sublimabit cornu Messiæ sui. Et sic dicit Ps.* 132. (nobis, 131. v. 17.) *Ibi germinare faciam cornu David, paravi lucernam Messiæ, meo. Quando autem peccavit Israël, ablata fuerunt eis cornua hæc, & data Gentibus sæculi* Hæc ibi

D. III. Quòd demum Gentes erant nomine Israëlis vo-
Galat. l. 8. c. 3. col. 440. B. candæ, patet ex *Midras tehillim*, ubi super illud Ps. 86. (jud. 87.) v. 6. quod in Vulg. est: *Dominus narrabit in scripturis populorum;* in hebr. verò: *DEUS computabit, vel scribet in scriptura populos;* R. Joses, filius Simeon, ait: *Ex illis populis qui adducent munera Regi Messiæ, DEUS Sanctus & Bene-*

& Benedictus adscribet eos eum Isràël. Et Is. 44. v. 5. ubi in Vulg. est: *Iste dicet: Domini ego sum: & ille vocabit in nomine Jacob: & hic scribet manu sua: Domino: & in nomine Isràël assimilabitur.* In hebr. est: *Iste dicet: DEI ego sum. Et iste invocabit in nomine Jacob. Et iste scribet manum suam Deo, & nomine Isràëlis pro nominabitur.* Quod R. Jonathas in *Targum*, sic Chaldaicè transtulit: *Hic dicet de timentibus, DEI ego sum. Et hic orabit in nomine Jacob. Et hic offeret sacrificium suum coram DEO, & nomine Isràëlis vocabitur.* Imò etiam R. Salomon (quamvis aliàs perversissimus, Christoq; ac Christianis infensissimus sic hæc verba Isaiæ exponit: *Hic dicet: DEI sum ego; hi sunt justi perfecti. Hic invocabit in nomine Jacob; hi erunt parvuli filij impiorum. Et scribet manum suam DEO; hi erunt viri pœnitentes. Et nomine Isràëlis pronominabitur; hi erunt Hagberim, id est conversi ex Gentilibus.* Hæc ille. Sed quid expressius?

Gal. l. 10. c. 2. col. 533. D.

Galat. l. 9. c. 13. col. 525. B.

Ad ARTIC. XX. XXI. & XXV. *De Lege Nova instituenda, antiqua antiquanda, & ad spiritualem sensum reducenda.*

A.

I. Quo ad Imum: In *Midras tehillim*, super illud Ps. 20. (jud. 21.) v. 2. *Domine in virtute tua lætabitur Rex*; dicitur: *Hoc est, quod scriptum est Isai. 11. c. Et erit in die illa radix Issai, qui erit stans in signum populorum. Dixit R. Hanina: Non est Rex Messias venturus, nisi ad dandum nova præcepta Gentibus - - - Isràël autem discent Legem à DEO Sancto & Benedicto, sicut dictum est Isai. 54. c. Et omnes filij tui erunt docti à DEO. Et quare? Idcirco, quia dictum est Isai. 11. c. Ad eum Gentes studebunt.* Item: Is. 12. v. 3. dum

Gal. l. 10. c. 1. col. 530. A.

in hebr. dicitur: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus JESU*; Id R. Jonathas in *Targum*, Chaldaicè sic transtulit: *Et suscipietis doctrinam novam cum lætitia ab electis Justi, id est Messiæ.* Item: Dum Is. 42. v. 1. de Messia dicitur: *Judicium Gentibus proferet*; id etiam ibid. idem R. Jonathas sic transfert: *Judicium Gentibus revelabit.* Per quod judicium quòd intelligatur Lex Nova à Messia danda, ex ipsa Glossa R. Samuelis patet, qui explicans illa verba, quæ ibid. in Isai immediatè sequuntur, *Non clamabit, neq; accipiet personam, nec audietur vox ejus foris*; dicit: *Non clamabit, & non vociferabit, quia non erit opus ei clamare, ad arguendum (scilicet & persuadendum Gentibus; ipso enim ex se venient ad discendum.* Sic ille. Hinc l. *Siphre*, super illud Levit. 26. c. 9. *Respiciam vos, & crescere faciam: multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiscum*; dicitur: *Statuam pactum meum vobiscum: non sicut pactum primum, quod transgressi estis, sicut dictum est Jer. 31. Quòd ipsi transgressi sunt pactum meum. Sed pactum novum, quod non transgredientur deinceps, de quo dictum est Jerem. 31. c. Et feriam cum domo Juda pactum novum.* Hæc ibi.

Gal. l. 10. c. 1. col. 532. D. Gal. ibid. col. 530. E.

Gal. l. 11. c. 1. col. 554. A.

B. II. Quò ad 2dum: In l. *Irubin*. c. *Osin passin.* Jechosuas, filius Levi, ait: *Quid est, quod scriptum est Deut. 7. c. Et serva præceptum & decreta atq; judicia quæ ego præcipio hodie tibi ut facias? Hodie inquit facias, & non cras, ut facias.* Inquit. Per quod innuit, quòd Lex Vetus tantùm *hodie*, stante scil. statu Legis scriptæ, & non *Cras*, i. e. succedente ei statu Legis Gratiæ observari debuerat, tunc enim potius à Christo quò ad præcepta, sua ceremonialia & judicialia, carnalemq; observationem eorum, antiquanda erat. Item: Super illud Eccles. 2. v. 1. & 2. ubi in Vulg. est: *Dixi ego in corde meo: Vadam & affluam delicijs,*

Galat. ibid. E.

& fruar

& fruar bonis. Et vidi quòd hoc quoq; esset vanitas. In hebr. vero: *Dixi ego in corde meo: Vade quæso præsto, vel dominare in lætitia, & vide bonum. Et ecce etiam ipsum vanitas;* in *Midras Coheleth*, dicitur: *Et vide bonum, bonum videlicet Legis. Et ecce etiam ipsum vanitas. Nonne necesse fuit Scripturam dicere: & ecce etiam ipsum letitia? Quid est ergo quod dixit: Ecce ipsum vanitas? Rabbi Hizkiia dixit: Quia omnis Lex quam tu discis in sæculo, isto, habellim, id est, vanitates sunt coram Lege* (Nova Evangelica) *venturi sæculi.* Item: In eadem *Midras* super illud Ecclæ 11. v. 8 quod in Vulg. est: *Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis.* In hebr. autem: *Si annis multis vixerit homo, in omnibus lætetur, & memoretur dies tenebrarum;* dicitur: *Si annis multis vixerit homo, in omnibus his lætetur, in lætitia videlicet Legis. Et memoretur dies tenebrarum, hi sunt dies malitiæ, quiquam multi erunt? Quidquid enim præcessit erit habel, id est, vanitas: omnis tora, id est Lex, quam discit homo in sæculo isto, vanitas est in conspectu Legis Messiæ.* Hæc ibi. Gal. l. 11. c. 1. col. 551. C.

C.

III. Quò ad 3tium: In lib. *Maccoth*, i. e. *Flagellorum.* c. *Ellu hen hallokin*, i. e. *Hi sunt flagellandi*, dicit R. Cumlai, quòd sexcenta tredecim præcepta data sunt Moysi in monte Sinai, ea tamen post David Ps. 14. (judæis, 15.) ad undecim tantùm præcepta, reduxit, dicens: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo: aut quis requiescet in monte sanctò tuo?* I. *Qui ingreditur sine macula.* II. *Et operatur justitiam.* III. *Qui loquitur veritatem in corde suo.* IV. *Qui non egit dolum in lingva sua.* V. *Nec fecit proximo suo malum.* VI. *Et opprobrium non accepit adversus proximos suos.* VII. *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus.* VIII. *Timentes autem Dominum glorificat.* IX. *Qui jurat proximo suo, & non decipit.* X. *Qui pecuniam suam non dedit* Gal. l. 11. c. 4. col. 560. C.

ad usuram. XI. *Et munera super innocentem non accepit. Qui facit hæc,* (quamvis illa sexcenta tredecim præcepta Moysaica carnaliter non observet) *non movebitur in æternum.* Post David veniens Isaias omnia illa præcepta ad sex tantùm restrinxit, Is. 33. v. 15. & 16. dicens: I. *Qui ambulat in justitijs.* II. *Qui loquitur veritatem.* III. *Qui proicit avaritiam ex calumnia.* IV. *Et excutit manus suas ab omni munere.* V. *Qui obturat aures suas ne audiat sangvinem.* VI. *Et claudit oculos suos ne videat malum. Iste in excelsis habitabit.* Post Isaiam venit Michæas, & præcepta illa reduxit tantùm ad tria Mich. 6. v. 8. dicens: *Indicabo tibi ô homo quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te:* I. *Utiq; facere judicium.* II. *Et diligere misericordiam.* I I. *Et solicitum ambulare cum DEO tuo.* Deinde: Ipsemet Isaias omnia hæc præcepta ad duo reduxit Is. 56. v. 1. dicens: I. *Custodite judicium.* II. *Et facite justitiam: quia juxta est salus mea ut veniat.* Demum: Habacuc ex omnibus illis præceptis unum tantùm fecit, Hab. 2. v. 4. inquiens: *Justus autem in fide sua.* (charitate formata) *vivet.* Hæc ibi fusiùs, quæ hìc brevioribus verbis sunt allata. In quibus clarè dicitur, quod sexcenta & tredecim veteris Legis præcepta, ad undecim David reduxit; & post eum Isaias ad sex; deinde Michæas ad tria; rursus Isaias, ad duo; Habacuc tandem ad unum, scil. ad fidem vivam, quæ per charitatem operatur. Quia autem Messias est Moyse, cæterisq́ Patriarchis ac Prophetis major, quod & judæi fatentur, ut *in Demonstr. Artcit. II. lit.* S. patet; hinc potiori jure potuit numerosa illa præcepta Moysaica ad breviorem numerum restringere, ac spiritualem intelligentiam revocare. Prout revera fecit, Matt. 7. v. 12. dicens: *Omnia ergo quæcunq; vultis ut faciant vobis homines, & vos facite*

illis.

illis. Hæc est enim Lex & Prophetæ. Et Matt. 22. v. 40. *In his duobus mandatis* (dilectionis scil. DEI & proximi) *universa Lex pendet, & Prophetæ.* Et maximè ideò, quia carnalis observatio omnium præceptorum Legis veteris *erat revera grave jugum, sed duræ* (judæorum) *cervici convenienter impositum*, ut. D. Aug. ait. Quod ipsum R. Moses Ægyptius in *Tract.* 3. l. *More* confitetur dicens, quod plurima Legis præcepta magis exigebat populi illius hebetudo, & prava idololatriæ consvetudo, quàm eorum perfectio, juxta illud Ps. 31. (jud. 32.) v. 9. *In camo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Sicut ergo pater creatus filium suum juvenem, adhuc inconstatem, levem, aliquandoq; procacem legibus severioribus educat, ad honestatemq; impellit, postquam verò is adoleverit, progredienteq; ætate, constantior, circumspectior, ac ad bonum proclivior redditus fuerit, leges mutat, regitq; eum mitiùs & clementiùs; sic DEUS populum judaicum, hebetissimum, levissimum, & procacissimum plurimis, ut indomitam bestiam edomabat legibus, at nunc nos sola Lege Charitatis ligat, sibiq: obligat, ut olìm Osee 11. v. 4. promiserat: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.*

Serm. 9. de verb. Domini.

Gal. l. 11. c. 3. col. 558. B.

Ad ARTIC. XXII. & XXIII XXIV. *De abroganda carnali circumcisione, sabbatis, sacrificijs cruentis, ac ciborum delectu.*

I. Quantùm ad circumcisionem. In *Beresith ketanna*, i. e. In *Expositione Genesis minori*, super illud Gen. 17. v. 7. *Et statuam pactum meum inter me & te;* R. Akiba dicit: A.

Gal. l. 11. c. 7. col. 569. D.

dicit: *Quatuor sunt præputia. Dicitur enim præputium in aure, de quo scriptum est Jer. 6: c. Cui loquar, & contestabor, & audient? Ecce præputiatæ sunt aures eorum, & non poterunt attendere - - - Dictum est etiam præputium oris, sicut scriptum est Exod. 6. c. Et ego præputiatus labijs - - - Dictum est etiam præputium in corde, juxta illud Jer. 9. c. Et omnis domus Israël præputiati sunt corde. Et iterum Levit. 21. c. Et inducam eos in terram inimicorum eorum: ut tunc supplicet, vel humilietur cor eorum præputiatum, & tunc placent pro peccato suo. Et rursus ait Deut. 10. c. Et circumcidetis præputium cordis vestri. Et denuo ejusdem libri 30. c. Et circumcidet Dominus DEUS tuus cor tuum, & cor seminis tui. Dicitur deniq; præputium in corpore, juxta illud. Gen' 17. c. Et præputiatus masculus, qui non circumciderit carnem præputij sui, abscindetur anima ejus de populo suo. Dixit R. Tanhuma: Dubium est circa hanc Scripturam, quæ ait: Et præputiatus masculus; numquid enim est ibi præputiata femina? Sed sensus est, quod de loco unde quisq; alienus est à DEO sive sit mas, sive femina, inde circumcidendus est.* Hæc ibi. Ex quo sequitur, quòd sicut sunt quatuor præputia, sic & quatuor circumcisionum genera, & horum tria priora sunt spiritualia, nempe aurîs, oris, & cordis suntq; semper & omnibus necessaria. At quartum, scil. corporis est materiale, ac illorum priorum umbra & figura, proinde ex quo venit Messias, omnesq; umbræ & figuræ sunt completæ, & ipsum abrogari debuerat. In *Midras Sir hassirim*, i. e. in *Expositione Cantici Canticorũ*, super illud. Cant. 2. v. 10. *En dilectus meus loquitur mibi*; dicitur: *Dixit Ecclesia Israëlis: Respondit mibi per manum Eliæ; dedit expositionem per manum Danielis; & dixit mihi per manum Regis Messiæ. Et quid dixit mibi? Surge tibi amica mea, formosa mea, & vade tibi, ecce enim hiems transijt.*

Gal. l. 61 1, c. 7. col. 569. A.

Et reli-

Et reliqua, usque: *Tempus putationis pervenit. Pervenit enim tempus, ut redimatur Israël: pervenit tempus, ut amputetur præputium, de quo dictum est Deut.* 30. *c. Et circumcidet Dominus DEUS tuus cor tuum, & cor seminis tui, ad diligendum Dominum DEUM tuum. Et Lex convertetur ad novitatem, & renovabitur Israël, sicut dictum est Jer.* 31. *c. Et feriam cum domo Israël, & cum domo Juda, pactum novum, id est, Legem novam.* Hæc inibi. Per quæ patet, quòd tempore Messiæ debuerat esse tantùm circumcisio cordis, & non corporis. B.

II. Quantùm ad sabbata. In *Midras tebillim*. i. e. in *Expositione Psalmorum*, super illud Psal. 89. (jud. 90.) v. 15. *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis, quibus vidimus mala*; dicitur: *Isaias ait ult. c. Et erit scilicet semen eorum, ex sufficientia mensis in mense suo, & ex sufficientia sabbati in sabbato suo. Illud sabbatum est sæculum futurum quod totum est sabbatum. id est requies.* Hæc ibi. En dicitur, quòd in futuro sæculo, nempe Messiæ, omne tempus erit sabbatum, i. e. requies spiritualis, quæ non est aliquit aliud, quàm (juxta If. 1. v. 16.) *quiescere agere perversè*, seu non habere peccatum. In sabbato enim judaico carnaliter sumpto, Exod. 20. v. 10. est præceptum, ut non fiat ullum opus servile; nullum autem est magis opus servile quàm peccatum, juxta illud Christi Joan. 8. v. 34. *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Hinc ipsum quoq; Thalmud testatur, solis judæis, judaismo (puta) adhuc durante, datum esse præceptum de observando carnaliter sabbato. Nam in *Perus*, i. e. in *Glossa*, super illud Exod. 26. v. 29. *Videte quod Dominus dederit vobis sabbatum*; dicitur: *Et quid est, dedit vobis sabbatum? Quia vobis scilicet judæis dedit, & non Gentibus sæculi.* Et in *l. Bitsa*, i. e. *Ovi*. c. *Jom tob*, i. e. *dies bonus*, dicitur: Dixit R. Joha-

Gal. l. 11. c. 8. col. 582. E.

Gal. l. 11. c. 9. col. 582. E.

R, Johanan: *Omne præceptum quòd dedit DEUS Sanctus & Benedictus Israëli, dedit eis publicè, præter sabbatum, quod dedit eis secretò, sicut dictum est Exod. 31. Inter me, & filios Israël Quod si ita est, non obligantur Goim, id est, Gentes, ad sabbatum.* Hæc ibi.

C. III. Quantùm ad sacrificia In *Midras tehillim*, i. e. in *Exposit. Psalmorum* super illud Ps. 55. (jud. 56.) v. 12. *In me sunt DEUS vota tua, quæ reddam laudationes tibi*; R. Pinhas, & R. Johanan dicit: *Omnes orationes deletæ erunt in futuro, & confessio, vel, laus, non delebitur in æternum. Sic enim scriptum est Nechemiæ 12. c. Et stabunt duæ confessiones in domo Domini. Una loco orationis, & altera loco sacrificij.* Ajunt. Et per hoc manifestè innuunt, quòd in locum carnalium & cruentorum sacrificiorum veterum substituenda erant sacrificia spiritualia confessionis & laudis, secundum illud Ps. 49. (jud. 28.) v. 13. & 14. *Numquid manducabo carnes taurorum?* &c. *Immola DEO sacrificium laudis.* Et ibid. v. 23. *Sacrificium laudis honorificabit me* &c. Et in l. *Succa*, i. e. *Casulæ*. c. *Sota hamegale isto*, i. e. *Stultus despicit uxorem suam*; R. Jehosuas, filius Levi dicit: *Veni vide, quàm magni sint humiles. In tempore enim quo domus sanctuarij stabat, homo sacrificabat holocaustum, & merces holocausti erat in manu ejus. Si offerebat oblationem, merces oblationis erat in manu ejus. Illum verò cujus conscientia humilis est, perinde habet Scriptura acsi omnia sacrificia sacrificaret, juxta dictum illud: Sacrificia DEI spiritus confractus.* Et. l. *Sanhedrin*, c. *Nigmar baddin*, i. e. *Desinitum est judicium*, R. Jehosuas, filius Levi, ait: *Omnem eum qui immollat fomitem, vel concupiscentiam, & confitetur ipsam, haud secus habet Scribtura, ac si honoraret DEUM in duobus sæculis. Quorum unum est sæculum*

Gal. l. 11. c. 11. col. 587. E.

Gal. l. 11. c. 11. col. 588, A.

culum præsens, alterum futurnm, juxta dictum illud Ps. Immolans confessionem honorabit me. Hæc ille.

IV. Quantum ad delectum ciborum. R. Moses Hadarsan, *in Exposit. l. Genesis*, super illud Gen. 41. v. 1. *Post duos annos, vidit Pharao somnium;* dicit: *Hoc est quod Scriptura dicit Ps.* 146. (in Vulg. 145. v. 8.) *DEUS erit absolvens prohibita* * *Omnis enim bestia, quæ immunda reputata est in sæculo isto, DEUS Sanctus & Benedictus faciet eam mundam in sæculo venturo, id est tempore Messiæ quemadmodum munda fuerunt primùm omnia filijs Nòé, sicut dictum est Gen.* 9. *& omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum: sicut olus herbæ, vel, sicut viridem herbam, dedi vobis omnia. Quemadmodum igitur olus fuit mundum omnibus, & sicut animalia & bestiæ munda fuerunt filijs Nòé, ita quoq; in futuro sæculo, id est id diebus Messiæ, ipse erit absolvens quidquid prohibuit. Et cur prohibuit in sæculo isto? Ut videretur, quis esset recipiens verba ejus.* Hæc ille.

D. *Gal. l.* 11. *c.* 12. *col.* 589. *F.*

* *in Vulg. est Dominus solvit compeditos.*

Ad ARTIC. XXIII. *De secundo Messiæ Adventu, & judicio.*

In antiqua *Beresith Rabba*, i. e. *Exposit. Genesis magna*, super illud Gen. 49. v. 10. *Donec veniat Silo*, dicitur: *Hic est Messias. Et ad eum congregabunt se Gentes, quia ipse erit judicans universum mundum. Et hoc est, quod scriptum est Michææ* 4. *c. Et judicabit inter populos multos, & arguet gentes robustas. Et etiam dictum est Isai.* 9. *c. Et judicabit in justitia pauperes, & arguet in æquitate mansvetos terræ. Et percutiet terram virgâ oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Et in *Midras tehillim*, i. e. in *Exposit. Psalmorum*,

A. *Gal. l.* 12. *c.* 5. *col.* 600. *G.*

Gal. l. 12. c. 5. col. 601. F. *rum*, super illud Ps. 117. (jud. 118.) v. 7. *Dominus mihi adjutor: & ego despiciam inimicos meos;* dicitur; *Simile est hoc filijs hominum, qui venientes ad judicium apud tribunal, pertimescebant judicium. Dictumq; est eis: Ne timeatis, neq; gravetis cor vestrum. Sic enim est futurum ut Israël stet in judicio coram DEO Sancto & Benedicto, & ipsi quidem pertimescent; Angeli verò ministerij dicent eis: Ne timeatis, neq; paveatis, neq; terreamini; Filius quippe civitatis vestræ est; sicut dictum est Isai. 45. c. Ipse ædificabit civitatem meam, & captivitatem meam emittet. Iterum dicent eis: Ne timeatis judicium; nonne recognoscitis eum, scilicet Judicem, kerobchem; id est, Propinquus, vel, Consangvineus vester est, sicut dictum est Ps. 148. Filijs Israël populo propinquo, vel, consangvineo suo. Halleluia. id est: Laudate DEUM. Adhuc rursus dicent eis: Ne timeatis à judicio; Frater enim vester est, sicut dictum est Ps. 122. Propter fratres meos, vel, socios, vel, amicos meos, loquar nunc pacem in te. Maximè autem vos non oportet timere, quia Pater est, sicut dictum est Deut. 32. c. Nonne ipse est Pater tuus. Possessor tuus vel, emptor tuus.* Hæc ibi. In quibus patet, quòd Messias Deus & Homo, qui nedum secundùm Divinitatem est Pater, Possessor, & Emptor Israëlis, ast & secundùm Humanitatem, Civitatensis, Propinquus, Consangvineus, Fraterq; illius, sit Judex ejus futurus. Hinc dum Dan. 7. vidit Propheta quasi Filium hominis venientem in nubibus cæli, postquam judicium sedit, & libri aperti sunt, R. Abraham Aven Ezra, citans R. Jehosuam, dicit: *Hunc quasi Filium hominis esse Messiam.* Quod confirmat R. Salomon dicens super hunc locum in Glossa. *Hunc quasi Filium hominis esse Regem Messiam.*

B.

Galat. immediatè citt c.

EPILO-

EPILOGUS
Ex THALMUD,
Perstringens vix credibilem cæcitatem judaicam.

Cæcitas, proindeq; imperitia, & impietas judaica, quòd sit vix credibilis, ex decursu totius opusculi sat abundè patuit; nunc deniq; ex ipsomet Thalmud illorum, maximè in duobus punctis, Adventum Messiæ, antiquationemq: Legis antiquæ concernentibus in oculos cuivis se ingerit. Nam.

I. Judæi despectô, abnegatô, atq; neci traditô verô Messia & D. N. JESU Christo, ut impleri, in se ostenderent, quod eis D. JESUS Joan. 5. v. 43. prædixerat dicens: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis:* paulò post Passionem Ejus, duos sibi, unum post alterum, falsos assumpsêre Messias. Surrexit enim quidam judæus paulò ante defectionem judæorum à Romano imperio, ac excidium à Tito, cui nomen erat hebraicè *Bencozba*, & Chaldaicè *Barcozba*, quæ nomina idem omnino sunt, ac, filium mendacij, vel, falsitatis significant; hebraicum enim *Ben*, & Chaldaicum *Bar*, interpretatur *Filius*, *cazab* verò interprætatur *mendacium*, idèòq; *Bencozba*, vel, *Barcozba*, idem est: quod *filius mendacii*. Hunc ergo filium mendacij susceperunt judæi pro Messia, quamvis ex ipsomet ejus tam probroso nomine abhorrere ab eo (si aliquem sensum habuissent) debuissent, impleveruntq; illam prædictionem A.

Apoſtoli 2. Theſſ. 2. v. 10. *Quòd charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent, ideò mittet illis DEUS operationem erroris; ut credant mendacio.* Imò nec àb hoc falſo Meſſia aliquod ſignum fieri quæſierunt: ut à Chriſto & quæſierant & viderant, aſt (quod eſt mirum) cæcô modô illi adhæſerunt, idq; non ſolùm rudes & plebeij, aſt & inter eos ſapientiſſimi; quod ipſummet Thalmud teſtatur. Nam l. *Sanhendrin.* c. *Helec.* dicitur; *Barcozba annis 30. cum dimidio regnavit. Dixit enim Lerabbanan id eſt, Magiſtris: Ana Meſſiha, hoc eſt; Ego ſum Meſſias.* Hæc Thalmud. Supra quem locum gloſſa R. Salomonis dicit, quòd id ſub tempus Hærodis Agrippæ contigerit. Et in. *ſentencijs regum* R. Moſes, filius Maimon dicit; *Rabbi Akiba ſapiens fuit, & quidem de ſapientioribus Thalmud. Ipſeq; ferebat arma Barcozbæ regis, & dicebat ipſum eſſe Meſſiam. Ipſe enim ſic arbitratus eſt, omnesq; ſapientes generationis ſuæ putabant eum eſſe Meſſiam, quousq; ob ſcelera ſua fuit interfectus. Et non petierunt ab eo ſapientes ſignum, neq; miraculum.* Hæc ille Cumq; obſiderentur judæi à Romanis in Jeruſalem, tunc primum à *Bencozba* pſeudomeſſia ſuo, ob cujus amorem facti ſunt rebelles Romanis, liberationis ſignum fieri petierunt. At videntes, quòd facere nullum poterat, eum occiderunt, ut in eodem l. *Sanhendrin.* c. *Helec.* dicitur: *Dixerunt ei* (i. e. Bencozbæ) *Magiſtri: Scriptum eſt Iſai. 11. c. de Meſſia, quòd odorans erit; & judicans,* * *hoc eſt odoratu ſentiet, quis innocens, quiſvè reus erit: videamus igitur an odorando id judicare valeas. Qui cùm vidiſſent quòd non eſſet odorans & judicans, ipſum interfecerunt.* Hæc in Thalmud. Idem judæi anno 48. à Jeroſolimitano excidio, urbē nomine *Bitter* metropolim ſibi fecerunt, inibiq. pſeudomeſſiā aliū receperunt qui etiam *Bencozba* hebraicè, & *Barcozba* Chaldaicè, nomen

Gal. l. 4. c. 21. col. 261. A.

Galat. ibid. col. 262. A.

* *in Vulg. eſt: Non ſecundum viſionem judicabit.*

B.

habu-

habuit. Adèó, ut ipse quoq; (de quo hìc supra) R. Akiba, non obiit ante quòd ab antedicto pseudomessia *Bencozba* jam Jerosolimis tam turpiter erat delusus, hunc nedum recipere horruerit, ast etiam eum (suprema cæcitas!) verum esse Messiam per Scripturas persvadere alijs conatus fuerit. Nam l. *Taanith*, i. e. *De jejunio c. Bistosa perakim.* i. e. *In tribus capitulis*, legitur, quòd R. Akiba Script. illam Num. 24. v. 17. *Orietur Stella ex Jacob*, sic exponebat: *Orietur Barcozba ex Jacob.* Et cùm videret ipsum Barcozbam, dicebat: *En hic est rex Messias*, Insuper in *Echa rabbethi*. i. e. in *Expositione Threnorum*. super illud Thren. 2. v. 2. *Præcipitavit Dominus nec pepercit*, dicitur, quòd perversus hic rabbi exponens illud: *Orietur Stella ex Jacob*, dicebat, non esse legendum *Cochab*, i. e. *Stella*, ast, *cozab*, i. e. *mendacium* quod sui falsi Messiæ nomen erat. Hic tamen *Barcozba*, filius mendacij, ac pseudomessias, cùm Adrianus imperator post tres annos, ac sex menses obsidionis civitatem *Bitter* cepisset, occissus est cum summa judæorum strage, ut in eodem l. *Echa rabbethi* Thalmud describit, plura, pro more suo, fabulosa interserens. Fuit quoq; hic *Bencozba*, seu, *Barcozba* homo impiissimus, nam ibidem de illo dicitur, quòd dum ad pugnam egrediebatur, dicebat: *Domine mundi, non fulcias nos, neq; præstes audaciam nobis. Nonne enim tu DEUS repulisti nos? Non ergo egrediaris in exercitibus nostris.* En qualem sibi judæi Messiam adlegerant, qui tam impiè & blasphemè contemnebant DEUM!

Gal. l. 4. c. 21. col. 263. A.

II. Judæi veterem Legem observant carnaliter, sabbata nempe colendo, se circumcidendo, à menstruatis abstinendo &c. & tamen ipsi in Thalmud fatentur, quòd postquam Titus & Romani hanc observationem illis prohibue-

C.

hibuerant, eam eis diabolus, cui nomen *Bentamalion*, re-
Gal. l. 11. c. 13. col. 591. C. stituit. Sic enim in l. *Mechila*. i. e. *Historia*, c. *Codes hamitsbeah*, i. e. *Sanctitas altaris*, dicitur: *Cùm semel decrevisset regnum nequam, id est Romanorum, ut judæi non servarent sabbatum, nec filios suos circumciderent, & ut menstruatas cognoscerent; tunc abijt R. Ruben, circinavitq; se more Romanorum. Cùmq; cum eis sedisset, ait illis: Qui habet inimicum, eumne depauperat, non ditat? Responderunt ei: Depauperat. Ait illis: Si ita est, non faciant judæi opus in sabbato, ut depauperentur. Dixeruntq; Romani: Bene locutus est; abrogârùntq; decretum. Rursus dixit eis: Qui habet inimicum, debilitatne eum, an fortificat? Responderunt ei: Debilitat. Inquit ille: Si ita est, circumcidant filios suos judæi octavo die, ut debilitentur. Aiunt illi: Optimè dixit; deleveruntq; decretum illud. Iterum dixit eis: Qui habet inimicum, multiplicatne eum, an diminuit? Inquiunt illi: Diminuit. Ait eis: Si ita est, non cognoscant judæi menstruatas. Dixeruntq; illi: Bene quoq; dixit; abrogaveruntq; decretum. Deniq; verò perpendentes, quòd judæus esset ille, & non Romanus, refirmaverunt decretum, ut priùs erat. Dixerunt igitur judæi: Quis ibit, & statutum hoc irritum reddet? Vadat R. Simeon, qui didicit signa facere. Post eum autem vadat R. Elazar. Illis itaq; euntibus, egressus est obviam eis Bentamalion, id est dæmonium sic vocatum, dixitq; eis: Placetne vobis, ut vobiscum veniam? Flevit R. Simeon, & ait: Ancillæ domûs patris nostri ter angelus apparuit, nobis autem ne semel quidem. Veniat ergo miraculum undequaq; Præcessit ergo Bentamalion, & invasit Cæsaris filiam. Cùmq; pervenissent illi, dixerunt: Bentamalion exi ab ea. Qui vocatur statim exijt. Dixit igitur judæis Cæsar: Petite quidquid vobis videtur petendum. Introducti ergo in domum thesauri, ut tollerent quidquid vellent, invenientesq;*

tesq; chartam, in qua statutum illud scriptum erat, laceraverunt eam. Adusq; non tam Historia, quàm fabella Thalmudica, nullam speciem verisimilitudis præleferens. Ex qua tamen patet, quòd dum DEUS à judæis decem cornua, inter quæ Lex etiam fuit, abstulisset (ut dictum est hìc supra, *Ad Art. XIX. lit.* C.) hancce legem, carnaliter observandam, diabolus eis (ut ipsimet fatentur) restituit. Proinde nemo, nisi demens, dæmoniq; devotus, sic illam observare debebit, quam DEUS ipse abstulit, & diabolus, tam libenter se ingerendo, restituit. Numquam enim diabolus homini aliquo bonum persvadet, vel procurat, nisi tunc fortè cùm videt majus ex illo ei emersurum malum. Sic utiq; ille Adæ quasi bonum persvadens, eum, nosq; omnes perdidit. Job innocentem grandibus ærumnis afflixit. Judæos in deserto verum DEUM deserere, mutumq; ac brutum vitulum adorare edocuit. Davidem, ut superbè populum numerari præciperet, dementavit. Ac nunquam potest homini bonum persvadere, vel, procucurare, ast malum, ut & ipsimet Thalmudistæ fatentur. Nam l. *Jelamed-nu*, super illud Gen. 22. v. 6. *Tulit quoq;* (Abraham) *ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum --- Cùmq; duo pergerent simul;* dicitur: *Dixit R. Johanan: Cùm ipsi pariter ambularent venit satan, stetitq; ad dexteram Ishac, & ait ei: O injuriam passe, fili mulieris injuriam passæ! Quot afflictionibus afflicta est mater tua, antequam ei advenires Senex iste insanit, & idcirco vadit ad immolandum, vel, dilaniandum te. Vertit se ergo Ishac, dixitq; patri suo: Pater vide, quid iste mihi dicit. Dixit ei pater ejus: Ne respicias in eum; non enim venit, nisi ad subvertendum, & profanandum nos. Hujusmodi enim est opus ejus à sæculo, id est à mundi initio.* Hæc ibi ex quo patet omnem diaboli conatum

D.

Gal. l. 11. c. 13. col. 592.E.

tum ac ſtudium eſſe, ut homines fallat ac perdat; proinde ſummè ſtultos cæcosq; eſſe judæos, qui carnaliter veterem Legem obſervant, quam, ſic obſervandam, diabolum ſibi reſtituiſſe, ipſimet fatentur. Hinc merito Joan. 8. v. 44. dixit Chriſtus ad illos: *Vos ex patre diabolo eſtis: & deſideria patris veſtri vultis facere*; quod enim diabolus affectat, hoc illi effectuant. Ex parte autem noſtra, qui indolemus cæcitati eorum, Illi, *Qui* (1. Pet. 2. v. 9.) *de tenebris nos vocavit in admirabile lumen ſuum.*

Gloria Summa DEO ſit, gloria magna MARIÆ,
Debitus & Sanctis inde ſequatur honos.

PROTESTATIO Authoris.

Hæc omnia Judicio ac Correctioni Summi Pontificis, Maximi in terris Chriſti Vicarii, & Sacræ Romanæ Eccleſiæ, plenè ſubijcio, ut pote & ipſe, tam ex cujusvis fidelis obligatione, quâm ex Seraphicæ Regulæ, Profeſſione, Sacris Ejus, Pedibus pleniſſimè ſubjectiſſimus.

Fr. Marchianus Wierzbicki Reformatus

Author Operis mpp.



INDEX ARTICULORUM.

AR-



(✠)

INDEX
RERUM

Art. *denotat Demonstrationis Articulum.* App. *In Appendice.* Supp. *In Supplemento.* Epil: *In Epilogo.* Literæ additæ, *Literas mariginales significant.*

corpo-


rum

ad Art.

naturales,

Paulus

Ita libri termino reficitur lectoris intentio, sicut labor viatoris hospitio. Ait D. August. contra adversarium Legis & Proph. l. 1. in fine.



Erra-



Errata Typographica in Dedicatione, & Præfatione.

In Dedic. *Aliisq;* Lege *Alijq;* In Præfat. *Velle Semoth, i. e. Hæc sunt omnia.* L. *Veelle Semoth, i. e. Hæc sunt nomina.*

In Demonstratione.

Pagina 5. v. 26. *Galatino* L. *Lyrano.* P. 16. v. 16. *mori* L. *mari.* P. 18. v. 15. *Utq;* L. *Idq;* P 35. v. 10. *semetiosum* L. *sed semetipsum.* P. 39. v. 3. *Revelatorum* L. *Revelator.* P. 42. v. 13. *Hebræum Haalma* L. *Hebræum Halma.* P. 58 v. 2. *deinde* L. *proinde.* P. 65. v. 14. *tribus* L. *tribui.* P, 79. v. 26. *prævaricationis* L. *prævaricationes.* P. 85. v. 6. *exaggeret* L. *exaggerat.* P. 121. v. 26. *Inglorius* L. *Inglorius.* P. 158. v. 30. *ostendo* L. *ostendendo.* P. 167. v. 18. *de ipso* L. *de seipso.* P. 117. v. 4. *incocentem* L. *innocentem.* P. 179. v. 1. *lumbos* L. *lumbos meos.* P. 182 v. 19. *indubio* L. *in dubio.* P. 185. v. 2. *exanitionem* L. *exinanitionem.* P. 185. v. 5. *Aruit tanquam virtus mea* L. *Aruit tanquam testa virtus mea.* P. 185. v. 7. *Quomodo statim* L. *Quomodo ergo statim.* P. 190. v. 2. *infirmitate* L. *in infirmitate.* P. 195. v. 17. *radicula* L. *ridicula.* P. 200. v. 23. *resuscitatus* L. *resuscitandus.* P. 201. v 25. *non gaudebit* L. *non gaudebit inimicus meus.* P. 205. v. 12. *in Beresith* L. *in Beresith rabba.* P. 205. v. 15. *illud* L. *illa.* P. 213. v. 8. *dum in id crediderat* L. *dum crediderat.* P. 218. v. 27. *invisibili* L. *in visibili.* P. 219. v. 12. *extruerunt* L. *extruerent.* P. 221. v. 26. *Domum sto & Domini* L. *Domū Domini.* P. 223. v. 3. *longinqvum* L. *in longinqvum.* P. 226. v. 5. *Viri & Juda habitatores* L. *Viri Juda, & habitatores.* P. 231. v. 22. *vel aliorum* L. *vel aliorum deorum.*

ERRATA.

orum. P 231. v. 26. *terrenorum* L. *terrenorumq;* P. 233. v. 24. *secundùm Aaron* L. *secundùm ordinem Aaron.* P. 236. v. 24. *ejus ordinis* L. *ejusdem ordinis.* P. 238. v. 24. *maledicti pharisæi* L. *hi maledicti pharisæi.* P. 241. v. 16. *plusquam* L. *quàm plusquam.* P. 243. v. 27. *aliiq;* L. *aliisq;* P. 247. v. 8. *Chana* L. *Chanaan.* P. 247. v. 18. *Et judæi,* L. *En judæi,* P. 249. v. 28. *moderis* L. *modernis.* P. 251. v. 7. *est* L. *non est.* P. 251. v. 24. *Aid* L. *Ast.* P. 254. v. 14. *deberent eum audire* L. *deberent audire.* P. 259. v. 19. *corde* L. *in corde.* P. 260. v. 3. *tam* L. *tamen.* P. 282. v. 31. *holoatmoata* L. *holocautomata* P. 286. v. 5. *vallibusq;* L. *vallisq;* P 290. v. 28. *dixit* L. *dixi.* P. 299. v. 2. *non permittit* L. *Christus non permittit.* P. 330. v. 9. *Idem* L. *Iidem.* P. 300. v. 12. *exprobat.* L. *exprobrat.* P. 310. v. 22. *plaspemans* L. *blasphemans.* P. 311. v. 15. *inquè* L. *iniquè.* P. 312. v. 1. *prociicies* L. *proijciet.* P. 313. v. 2. *illum adorandas, magnificandas* L. *illum adoraturas, magnificaturas.* P. 313. v. 12. *Quidni etiam sint colendæ Sacræ Imagines Cherubim* L *Quidni etiam sint colendæ Sacræ Imagines? nam & in Arca illa erant imagines Cherubim.* P. 318. v. 28. *etiam verum Deum* L. *hoc ipso faciebant, etiam verũ Deum,* P 318. v 36. *inffebilem* L. *ineffabilem* P. 319. v. 14. *præterea* L. *prætereo,* P. 327. v. 27. *in qua temporaliter* L. *in qua eos temporaliter.* P. 333. v. 10. *An verè* L. *an verò.* P. 339. v. 13. *Deum enim* L. *Dum enim.* P. 346. v. 24. *concludendo* L. *concludendo dicunt:* P. 348. v. 28. *universum opus* L. *universum est opus.* P. 363. v. 15. *Apuletus* L. *Apuleius.* P. 367. v. 15 *pervenerit* L. *pervenerint.* P. 378. v. 13. *comburet* L. *combureret.* P. 387. v. 10. *spiritu labiorum suorum* L. *spiritu labiorum suorum interficiet.* P. 390. v. 30. *Conterriti in Sion* L. *Conterriti sunt in Sion.* P. 395. v. 8. *SESUS* L. *JESUS.*

In

E R R A T A.

In Supplemento

P. 2. v. 12. *Scema Iſràél* L. *Scema Iiſràél.* P. 6. v. 15. *At.* L. *Ait.* P. 9. v. 9. *Bereſith ketſana* L. *Bereſith ketanna.* P. 13. v. 25. *Donec veniat Sito* L. *Donec veniat Silo.* P. 20. v. 1. *iccarereth* L. *iscareth.* P. 24. v. 28. *comprehendes ſingula, & aliquoeies patrem* L. *comprehendens ſingula, & aliquoties partem.* P. 36. v. 7. *Ad* L. *At.* P. 36. v. 12. *Civitatem ſublimem humiliabit uſq; ad terram* L. *Civitatem ſublimem humiliabit eam uſq; ad terram.* P. 39. v. 22. *Zain D. 5, 7.* L. *Zain Ds. 7.* P. 43. v. 4. *id appropinqua* L. *id eſt appropinqua.* P. 43. v. 20. *calpas* L. *culpas.* P. 46. v. 13. *& vitam* L. *& eùm ad vitam.* P. 46. v. 21. *ponam in foramine* L. *ponam te in foramine.* P. 58. v. 12. *ipſo* L. *ipſæ.* P. 60. v. 29. *at ſpiritualem* L. *ac ad ſpiritualem.* P. 65. v. 18. *Ad Art. XXIII.* L. *Ad Art. XXXIII.* P. 68. v. 28. *Idem* L. *Iidem.* P. 69. v. 4. *recipere horruerit* L. *recipere non horruerit.* P. 69. v. 26. *contemnebant* L. *contemnebat.* P. 71. v. 11. *homini aliquo* L. *homini aliquod.* P. 72. v. 11. *DEO ſit* L. *DEO ſit.*

Reliqua Lector Amicus ex ſua corrigat benevolentia

Sis mihi corrector reſecando ſuperflua;
Veraq; digneris quæ deſunt jungere veris.

Ait S. Bonavent. in libro Confeſſionali.




0




Biblioteka Jagiellońska
stdr0017784

